ORDO OFFICIORUM
DIŒCESI SANCTI CLAUDII
PROPRIORUM

JUXTA EXEMPLAR A S. R. C. REVISUM

ET A SS. DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII.

APPROBATUM

DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DD. CÆSARIS JOSEPHI MARPOT

EPISCOPI SANCTI CLAUDII

EDITUS

PARS HIEMALIS



TURONIBUS

TYPIS A. MAME TYPOGRAPHI

ILL. AC RR. DD. ARCHIEPISCOPI ET CLERI

M. D. CCC. XCVI

me infrascripto Cardinali Sacræ eidem Congregationi Præfecto, Rescriptum sacræ ipsius Congregationis ratum habens, benigne concedere dignata est, ut ab universo Clero sæculari diœceseos Sancti Claudii et a Religiosis ac Monialibus Calendario Diœcesano utentibus, in Horis Canonicis persolvendis atque in Sacro peragendo, idem Calendarium et Proprium in posterum adhiberi valeat; addita tamen conditione, ut, statim atque ea typis cusa fuerint, duplex exemplar ad Sacram Rituum Congregationem transmittatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 7 Julii 1896.

✝ CAJ. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Præfect.

Locus ✝ sigilli.

ALOISIUS TRIPEPI S. R. C. Secret.

Quapropter de Venerabilium fratrum nostrorum Ecclesiæ Nostræ Cathedralis Canonicorum consilio, præsenti nostro mandato omnibus et singulis de Clero nostro qui ad Officium divinum tenentur, mandamus ac præcipimus ut in divinarum Laudum recitatione Missarumque celebratione Ordinem Sancti Claudii proprium subjectum Calendariumque perpetuum ei adnexum adamussim curent observare.

Datum Sancti Claudii sub signo sigilloque nostris ac Secretarii Episcopatus nostri subscriptione, anno Domini 1896, die vero prima mensis Septembris.

✝ CÆSAR J. EPISCOPUS SANCTI CLAUDII.

KALENDARIUM PERPETUUM

AD USUM CLERI CATHEDRALIS

ET DIŒCESIS SANCTI CLAUDII

NOTA. — Quæ rubro caractere notantur Ecclesiæ Sancti Claudii titulo quodam sunt propria, sive quia festum est huic Ecclesiæ peculiare, sive quia ritu superiori in diœcesi gaudet, sive quia translatum est pro eadem diœcesi, e die propria, sive tandem quia est ex iis, quæ pro aliquibus locis tantum conceduntur et in Supplem. Missalis et Breviarii inserta sunt.

NOVEMBER

27 Odonis Abb. dupl. (e 18 hujus mensis).
28 Felicis de Valois Conf. dupl. (e 20 hujus).
29 Columbani Abb. dupl. Commem. Vigiliæ et S. Saturnini Mart.
30 ANDREÆ APOST. dupl. 2. classis.

DECEMBER

1 Eligii Episc. et Conf. semid.
2 Bibianæ Virg. et Mart. semid.
3 Francisci Xaverii Conf. dupl. maj.
4 Barbaræ Virg. et Mart. dupl. maj.
5 Petri Chrysologi Episc. Conf. et Eccles. Doct. dupl. (e 4 hujus). Commem. S. Sabbæ Abb.
6 Nicolai Episc. et Conf. dupl. maj.
7 Ambrosii Episc. Conf. et Eccles. Doct. dupl. Commem. Vigiliæ.
8 IMMACULATA CONCEPTIO B. M. V. dupl. 1. classis cum Oct.
9 Manifestationis Immaculatæ V. M. a Sacro Numismate, dupl. maj.
10 Translationis almæ Domus Lauretanæ, dupl. maj. Commem. S. Melchiadis Papæ et Mart.
11 Damasi Papæ et Conf. semid. Commem. Oct.
12 De Octava, semid.
13 Luciæ Virg. et Mart. dupl. Commem. Oct.
14 De Octava, semid.
15 Octava Immac. Concept. B. M. V. dupl.
16 Adelaidis Imperatricis Vid. dupl.
17 Lazari Discipuli D. N. J. C. Episc. et Mart. dupl.
18 Exspectationis Partus B. M. V. dupl. maj.

19 Eusebii Episc. et Mart. semid. (e 16 hujus).
20 Vigilia.
21 THOMÆ APOST. dupl. 2. classis.
22
23
24 Vigilia Nativitatis Domini.
25 NATIVITAS D. N. J. C. dupl. 1. classis cum Oct.
26 STEPHANI PROTOM. dupl. 2. classis cum Oct. Commem. Oct. Nativ. et (in Gallia) Omnium SS. Mart.
27 JOANNIS APOST. ET EVANG. dupl. 2. classis cum Oct. Commem. Octavarum.
28 INNOCENTIUM MART. dupl. 2. classis cum Oct. Commem. Octavarum.
29 Thomæ Cantuariensis Episc. et Mart. dupl. Commem. quatuor Octavarum.
30 De Dom. infra Oct. Nativ. vel de Oct. semid. Commem. Oct.
31 Silvestri Papæ et Conf. dupl. Commem. quatuor Octavarum.

JANUARIUS

1 CIRCUMCISIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, dupl. 2. classis.
2 Octava S. Stephani Protomart. dupl. Commem. Oct.
3 Octava S. Joannis Apost. et Evang. dupl. Commem. Oct.
4 Octava SS. Innocentium, dupl.
5 Vigilia Epiphaniæ, semid. Commem. S. Telesphori Papæ et Mart.
6 EPIPHANIA D. N. J. C. dupl. 1. classis cum Oct.
7 De Octava, semid.
8 De Octava, semid.
9 De Octava, semid.
10 De Octava, semid.
11 De Octava, semid. Commem. S. Hygini Papæ et Mart.
12 De Octava, semid.
13 Octava Epiphaniæ, dupl.
14 Hilarii Episc. Conf. et Ecclesiæ Doct. dupl. Commem. S. Felicis Presb. et Mart.
15 Mauri Abb. dupl.
16 Marcelli Papæ et Mart. semid.
17 Antonii Abb. dupl.
18 Cathedræ S. Petri Romæ, dupl. maj. Commem. S. Pauli Apost. et S. Priscæ Virg. et Mart.
19 EUGENDI Abb. dupl. 2. classis (e 1 huj.). Commem. SS. Marii et Soc. Mm.
20 Fabiani et Sebastiani Mm. dupl.
21 Agnetis Virg. et Mart. dupl. maj.
22 Vincentii et Anastasii Mm. semid.
23 Desponsationis B. Mariæ Virg. dupl. maj. Commem. S. Joseph, ejus Sponsi, et S. Emerentianæ Virg. et Mart.
24 Timothei Episc. et Mart. dupl.
25 Conversionis S. Pauli Apost. dupl. maj. Commem. S. Petri Apost.
26 Polycarpi Episc. et Mart. dupl.
27 Joannis Chrysostomi Episc. Conf. et Eccles. Doct. dupl.

28 Agnetis Virg. et Mart. secundo.
29 Francisci Salesii Episc. Conf. et Eccles. Doct. dupl. maj.
30 Martinæ Virg. et Mart. semid.
31 Petri Nolasci Conf. dupl.

Dominica II. post Epiphaniam, SS. Nominis Jesu, dupl. 2. classis.

Dominica III. post Epiph. S. Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph, dupl. maj.

Feria III. post Dom. Septuag. Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti, dupl. maj.

Feria III. post Dom. Sexag. Commemoratio Passionis D. N. J. C. dupl. maj.

FEBRUARIUS

1 Ignatii Episc. et Mart. dupl.
2 Purificatio B. M. V. dupl. 2. classis.
3 Anatolii Ep. et Conf. dupl. Commem. S. Blasii Ep. et Mart.
4 Joannæ Valesiæ Vid. dupl.
5 Agathæ Virg. et Mart. dupl. Commem. S. Aviti Episc. et Conf.
6 Titi Ep. et Conf. dupl. Commem. S. Dorotheæ Virg. et Mart.
7 Romualdi Abb. dupl.
8 Joannis de Matha Conf. dupl.
9 Cyrilli Alexandrini Episc. Conf. et Eccl. Doct. dupl. Commem. S. Apolloniæ Virg. et Mart.
10 Scholasticæ Virg. dupl.
11 Apparitionis B. M. V. Immaculatæ, dupl. maj.
12 Pauli primi Eremitæ, Conf. dupl. (e 15 Januarii).
13 Andreæ Corsini Episc. et Conf. dupl. (e 4 hujus mensis).
14 Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. Conf. dupl. (e 11 hujus mensis). Commem. S. Valentini Presb. et Mart.
15 Raymundi de Pennafort Conf. semid. (e 23 Januarii). Commem. SS. Faustini et Jovitæ Mart.
16
17
18 Simeonis Episc. et Mart.
19
20
21
22 Cathedræ S. Petri Antiochiæ, dupl. maj. Commem. S. Pauli Apost.
23 Petri Damiani Ep. Conf. et Eccl. Doct. dupl. Commem. Vig.
24 Mathiæ Apost. dupl. 2. classis.
25
26
27
28 Romani Abb. dupl. maj.

In anno bissextili de S. Mathia fit die 25, et de S. Romano die 29.

Feria VI. post Cineres, SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C. dupl. maj.

MARTIUS

1	
2	
3	
4	Casimiri Conf. semid. Commem. S. Lucii Papæ et Mart.
5	
6	Coletæ Virg. dupl. maj.
7	Thomæ Aquinatis Conf. et Eccles. Doct. dupl. Commem. SS. Perpetuæ et Felicitatis Mm.
8	Joannis de Deo Conf. dupl.
9	Franciscæ Romanæ Vid. dupl.
10	Quadraginta Martyrum, semid.
11	
12	Gregorii Papæ Conf. et Eccles. Doct. dupl.
13	

ORDO OFFICIORUM

DIŒCESI SANCTI CLAUDII PROPRIORUM

PARS HIEMALIS

FESTA MOBILIA

DOM. III. POST EPIPHANIAM

SANCTÆ FAMILIÆ

JESU, MARIÆ, JOSEPH

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

FERIA III. POST DOM. SEPTUAGESIMÆ

ORATIONIS D. N. J. C. IN MONTE OLIVETI

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

FERIA III. POST DOM. SEXAGESIMÆ

COMMEM. PASSIONIS D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

FER. VI. POST CINERES

SS. SPINEÆ CORONÆ D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

FESTA FIXA

FESTA NOVEMBRIS

DIE XXVII

SANCTI ODONIS

ABBATIS

Duplex.

Quando Dom. I. Adventus incidit in diem 27 Novembris, in II. Vesperis S. Silvestri Commem. Dom. I. Adventus et S. Odonis Abbat. Ant. Similábo. ℣. Amávit. Oratio. Intercéssio. de Communi Abbat.

In Laud. Commem. S.

Odonis. Ant. Euge serve. ℣. Justum. Oratio ut supra.

Vesp. de seq. Commem. Dom. I. Advent. et S. Odonis.

DIE XXVIII

(e 20 hujus.)

S. FELICIS DE VALOIS

CONFESSORIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

Oratio.

Deus, qui beátum Felicem Confessórem tuum ex erémo ad munus rediméndi captivos cǽlitus vocáre dignátus es : præsta, quǽsumus ; ut per grátiam tuam ex peccatórum nostrórum captivitáte, ejus intercessióne liberáti, ad cæléstem pátriam perducámur. Per Dóminum.

Deinde Commem. S. Odonis. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Orat. ut supra.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Felix, Hugo ántea dictus, ex regáli Valesiórum família ortus in Gállia, ab ineúnte ætáte non lévia dedit futúræ sanctitátis indicia, præsértim misericórdiæ erga páuperes : nam adhuc infántulus, manu própria, ac si grándior esset, et judícii maturitáte polléret nummos egénis distribuit. Jam grandiúsculus, solébat ex appósitis in mensa dápibus ad ipsos míttere, et ferme eo, quod sapídius erat, obsónio paupérculos púeros recreábat. Adoléscens, non semel véstibus se exspoliávit, ut inopes cooperíret. Ab avúnculo Theobáldo, Xámphanæ et Blésii cómite, vitam reo mortis impetrávit, prædicens hunc infámem háctenus sicárium, mox sanctíssimis prǽditum móribus evasúrum : verídicum testimónium monstrávit evéntus.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Post exáctam laudabíliter adolescéntiam, cœpit ex cæléstí contemplatiónis stúdio solitúdinem cogitáre : prius tamen vóluit sacris initiári, ut omnem regni, a cujus successióne jure legis Sálicæ non longe distábat, spem sibi prǽcideret. Sacérdos factus, et prima missa devotíssime celebráta, non multo post in erémum secéssit, ubi

summa abstinéntia victitans, cæléstium charismatum abundántia pascebátur. Ibi cum sancto Joánne de Matha, Parisiénsi doctóre, a quo ex divína inspiratióne quæsítus et invéntus, per áliquot annos sanctíssime vixit; donec ambo per Angelum a Deo admóniti, Romam petiérunt, speciálem a Summo Pontífice vivéndi régulam impetratúri. Facta ígitur Innocéntio Papæ tértio, inter Missárum solémnia, revelatióne religiónis et institúti de rediméndis captívis, ab ipso Pontífice, simul cum sócio cándidis véstibus, bicolóri cruce signátis, indúitur, ad eam formam, qua Angelus indútus appáruit : et ínsuper vóluit Póntifex, ut nova relígio, juxta tríplicem colórem, quo hábitus constat, sanctíssimæ Trinitátis título decorarétur.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Régula própria ex Summi Pontíficis Innocéntii confirmatióne accépta, in diœcési Meldénsi, apud locum, qui Cervus Frígidus dícitur, primum órdinis, páulo ante a se et sócio exstrúctum cœnóbium ampliávit, ubi religiósam observántiam, et Redemptiónis institútum mirífice cóluit, ac inde per alúmnos in álias províncias diligentíssime propagávit. Illústrem hic a beáta Vírgine Matre favórem accépit : dormiéntibus síquidem cunctis frátribus, et ad matutínas preces in pervigílio Nativitátis Deíparæ média nocte recitándas, Deo sic disponénte, non surgéntibus, Felix de more vígilans, et horas prævéniens, chorum ingréssus, réperit beátam Vírginem in médio chori, hábitu cruce órdinis insigníto indútam, ac cælítibus simíliter indútis sociátam. Quibus permíxtus Felix, præcinénte Deípara, láudes divínas concínuit, ritéque persólvit. Et quasi jam a terréstri ad cæléstem chorum evocarétur, instántis mortis ab Angelo cértior factus, fílios ad caritátem erga páuperes et captívos adhórtans, ánimam Deo réddidit, ætáte ac méritis consummátus, anno post Christum natum ducentésimo duodécimo supra millésimum, sub eódem Pontífice Innocéntio tértio.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Nolíte timére. de Communi

Conf. non Pont. 2° loco.
In Laud. Commem. Feriæ.
Vesp. a Capit. de seq. Commem. præced., Fer. et S. Saturnini Mart.

DIE XXIX

SANCTI COLUMBANI

ABBATIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.
In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.
Orat. Intercéssio. de Comm. Abbat.
Et fit Commem. præced. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Orat. ut supra; deinde Commem. Feriæ et S. Saturnini Mart. ut in Proprio Sanctorum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Columbánus, natióne Hibérnus, pátria Lageniénsis, acúto ingénio et óptima índole prædítus erat. Adoléscens, quo libérius Deo servíret, natále solum relíquit, et in Hibérniam orientálem proféctus, senis cujúsdam, Silénis nómine, disciplínam secútus est, et ab eo sacras Litteras edóctus, psalmos expósuit múltaque de divína psalmódia et pietáte christiána utíliter scripsit. Deinde monásticam vitam in cœnóbio Bencorénsi, sub sancto Comogállo proféssus, cum per multos annos ómnibus religiósæ milítiæ exercitatiónibus magno cum fervóre incubuísset, accépta a sancto abbáte licéntia, in majórem Británniam cum duódecim sóciis, et subínde in Gállias transmigrávit. Ipsíus et sodálium humilitátem, austeritátem, patiéntiam et caritátem omnes admirabántur.

℟. Honéstum.

Lectio v.

Cum in Austrásiam devenísset, mox illíus fama ad áures regis pervénit, qui quidquid ad vitæ subsídia opus esset ei óbtulit. Cui respóndit se suósque non álias divítias quam Christi paupertátem, mortificatiónem et crucem quærere. Itaque, primum in rudéribus véteris cujúsdam castélli, Anagrátes nómine, prope montem Voségi, consédit, ubi, pro cibo, granis et malis silvéstribus arborúmque cortícibus utebátur. Crescénte áutem número discipulórum, Luxóvii et Fontánis monastéria con-

strúxit, in quibus tanta afflúxit monachórum multitúdo, ut eórum chori sibi vicíssim in decantándis Dei láudibus, diu noctúque indesinénter succéderent.

℟. Amávit.

Lectio vj.

THEODORÍCUS, qui, mórtuo patre Childerico, in Burgúndiæ regnum Guntrámno propátruo succéssit, máximam aliquámdiu erga Columbánum reveréntiam exhíbuit, eum sæpe invísens, et ejus précibus sese comméndans. Póstea vero, irátus contra illum, eo quod dissolútos ejus mores líbere argúeret, Luxóvio éxpulit. A Clotário secúndo, rege Néustriæ, benígne excéptus, ei prædíxit post tres annos futúrum ut Theodebérti et Theodorici regna ditióni ejus accéderent; quod evéntus comprobávit. Parisiis, ad portam urbis, energúmenum ab immúndo spíritu liberávit. In Itáliam proféctus, Medioláni Ariános voce et scriptis expugnávit, et Ebobiénse monastérium eréxit, ubi undécimo Kaléndas Decémbris, anni sexcentésimi décimi quinti felíciter mórtuus est.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ecce nos. de Communi Abbatum 1º loco.

In Laud. Commem. Fer. et S. Saturnini Mart., ut in Proprio Sanctorum.

In I. Vesp. S. Andreæ, Commem. S. Columbani. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Orat. ut supra. Deinde Commem. Fer. occur.

FESTA DECEMBRIS

DIE I

SANCTI ELIGII

EPISCOPI ET CONFESSORIS

Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq.

In II. Vesp. S. Andreæ, fit Commem. S. Eligii. Ant. Sacérdos. ℣. Amávit. Orat. Da, quǽsumus. de Comm. Deinde Commem. Feriæ. In Hymno Iste Conféssor. m. t. v.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

ELÍGIUS, Lémovix, áuri faber indústrius, Parísios se cóntulit, ubi pe-

ritiæ suæ fama Clotário secúndo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit, et deinde in ópera pietátis cum omni stúdio incúbuit. Quando enim artem suam exercébat, in sacros códices óculos simul intendébat, ita ut mens Deo vacáret, dum manus úsibus serviébant humánis. Quidquid arte sua comparábat, id totum fovéndis egénis, captívis rediméndis, et áliis bonis opéribus erogábat. Hinc tantus ad eum páuperum concúrsus, ut quærénti domum ejus responderétur : Ubi páuperum cœtum conspéxeris, illic et Elígium repéries. Quotídie vacábat oratióni cum familiáribus, qui diu noctúque in ejus cámera canónicum cursum solémniter adimplébant.

℟. Invéni.

Lectio v.

NON minus accéptus fuit Dagobérto quam ejus patri Clotário, a quo ad Armoricórum regem, pacis componéndæ cáusa, missus, reges ambos felíci fœ́dere sociávit. Plura ejus hortátu et impénsis exstrúcta sunt templa et monastéria, sanctorúmque sepúlcra áuro, argénto et gemmis ornáta. Mausoléum imprimis mártyris Dionýsii miro artifício decorávit. De Ecclésiæ disciplína sollícitus, simoníacam labem, quæ altas in Gállia radíces égerat, exstirpávit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

AD Noviodunénsem episcopátum assúmptus, non modo salúti gregis sibi commíssi invigilávit, sed et Flandros et Frisios, aliósque ad septentriónem pópulos, non sine magno labóre ac vitæ discrímine, ad Christum addúxit. Sedit in concílio Cabilonénsi, sub Clodovǽo secúndo. Multa præcláre scripsit, ejécit dǽmones, futúra divínitus prædíxit. Plúribus miráculis illústris, óbiit septuagenárius, die última Novémbris, anno sexcentésimo quinquagésimo nono. Vix ánimam exhalárat, jamque platéas omnes lúgubris rumor impléverat, et quasi commúni orbitátis vúlnere tota cívitas lamentabátur. Ipsa Bathíldis, Francórum regína, ubi primum ingravescéntem ejus morbum cognóvit, cum fíliis, quorum natu majórem Clotárium tértium beátus

antistes e sacro fonte suscéperat, Noviodúnum festinánter advénit, illíus benedictiónem exceptúra; cumque mórtuum reperisset, ejus féretro incúmbens, in jejúnio, flétibus et laméntis tríduo mansit: quo exácto, illum ab áliis episcopis honorificentissime sepelíri curávit.

℟. Iste est qui ante Deum.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Homo péregre. de Comm. 1° loco.

In Laudibus Commem. Feriæ occur.

Vesp. a Capit. de seq. ut in Proprio Sanctorum. Commem. præced. Ant. Amávit. ℣. Justum. Orat. ut supra. Deinde Commem. Feriæ.

DIE III

S. FRANCISCI XAVERII

CONFESSORIS

Duplex majus.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, præter sequentia.

IN I. NOCTURNO

Lect. Justus si morte. de Communi Conf. non Pont. 1° loco.

Vesperæ a Capitulo de seq. cum Commem. præcedentis et Feriæ occurrentis.

DIE IV

SANCTÆ BARBARÆ

VIRGINIS ET MARTYRIS

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, præter seq.

Vesp. a Capit. de Communi Virg. et Mart. cum Commem. S. Francisci Xaverii. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Orat. Deus qui. ut in Proprio Sanct. Deinde Commem. Feriæ occur.

IN I. NOCTURNO

Lect. Confitébor. de Comm. 2° loco.

In Laud. Commem. Fer.

In II. Vesp. Commem. seq., Feriæ et S. Sabbæ Abbatis.

DIE V

(ex heri.)

S. PETRI CHRYSOLOGI

EPISC. CONF.

ET ECCLES. DOCT.

Duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum (die 4 hujus mensis), præter seq.

In II. Vesp. S. Barbaræ fit Commemorat. S. Petri Chrysologi. Ant. O Doctor. ℣. Amávit. Deinde Commem. Fer. et S. Sabbæ Abbat. Ant. Similábo. ℣. Justum. In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

In Laud. Commem. Feriæ et S. Sabbæ. ℣. Amávit.

Vesp. de seq. Commem. præced. et Feriæ.

DIE VI

SANCTI NICOLAI

EPISCOPI ET CONFESSORIS

Duplex majus.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, præter seq.

Vesp. dicuntur integræ de S. Nicolao cum Commem. præced. Ant. O Doctor. et Feriæ occurrentis.

In I. Noct. Lect. Fidélis sermo. de Comm. 1° loco.

In Laud. Commem. Feriæ occur.

In II. Vesp. Commem. S. Ambrosii. Ant. O Doctor. ut in Proprio Sanctorum. Deinde Commemoratio Fer. occur.

DIE IX

(e 27 Nov.)

MANIFESTATIONIS IMMAC. VIRG. MARIÆ

A SACRO NUMISMATE

Duplex majus.

Omnia ut in Officio votivo Immaculatæ Conceptionis B. M. V., præter seq.

In II. Vesp. Immacul. Conceptionis nihil fit de Manifestatione.

Si vero transferatur, I. Vesp. dicuntur ut in Officio votivo Immacul. Concept., præter seq.

℣. Signum magnum appáruit in cælo. ℟. Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus.

Ad Magnif. Ant. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui beatíssimam Vírginem Maríam Matrem tuam ab orígine immaculátam innúmeris miráculis claréscere voluísti : concéde; ut ejúsdem patrocínium semper implorántes, gáudia consequámur ætérna : Qui vivis.

AD MATUTINUM

Hymnus.

Tutéla præsens ómnium,
Salvéto Mater Núminis;
Intácta in Hevæ fíliis,
Tu fœda mundes péctora.

Numísma quos ornat tuum,
Fove benígno lúmine;
Virtus sit inter prælia
Ægisque in hostes præpotens.

Sit fléntibus solátium,
Ægris levámen ártubus;
In mortis hora, fúlgidæ
Æternitátis spónsio.

Jesu, tuam qui fíniens
Matrem dedísti sérvulis,
Precánte Matre, fíliis
Largíre cæli gáudia.

Amen.

IN I. NOCTURNO

℣. Qui me invénerit invéniet vitam. ℟. Et háuriet salútem a Dómino.

De Apocalýpsi beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 12.

SIGNUM magnum appáruit in cælo : Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim : et in útero habens, clamábat partúriens, et cruciabátur ut páriat. Et visum est áliud signum in cælo : et ecce draco magnus rufus, habens cápita septem, et córnua decem ; et in capítibus ejus diadémata septem : et cáuda ejus trahébat tértiam partem stellárum cæli, et misit eas in terram, et draco stetit ante mulíerem, quæ erat paritúra ; ut, cum peperísset, fílium ejus devoráret. Et péperit fílium másculum, qui rectúrus erat omnes gentes in virga férrea; et raptus est fílius ejus ad Deum, et ad thronum ejus; et múlier fugit in solitúdinem, ubi habébat locum parátum a Deo, ut ibi pascant eam diébus mille ducéntis sexagínta.

℟. Per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, in quo omnes peccavérunt. * Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Deum. ℣. Erípuit Dóminus ánimam tuam de morte, et contra inimícum factus est protéctor tuus. Ne tímeas.

Lectio ij.

ET factum est prælium magnum in cælo : Míchaël et Angeli ejus præliabántur cum dracóne, et draco pugnábat, et ángeli ejus : et non valuérunt, neque locus invéntus est eórum ámplius in cælo. Et projéctus est draco ille magnus, serpens antíquus, qui vocátur diábolus, et sátanas, qui sedúcit univérsum orbem : et projéctus est in terram, et ángeli ejus cum illo missi sunt. Et audívi vocem magnam in cælo dicéntem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potéstas Christi ejus : quia projéctus est accusátor fratrum nostrórum, qui accusábat illos ante conspéctum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi vicérunt eum propter sánguinem Agni et propter verbum testimónii sui, et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem. Proptérea lætámini, cæli, et qui habitátis in eis. Væ terræ, et

mari, quia descéndit diábolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod módicum tempus habet.

℟. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me : * Et narrábo vobis quanta fecit Deus ánimæ meæ. ℣. Vivit Dóminus, quóniam adimplévit in me misericórdiam suam. Et narrábo.

Lectio iij.

Et postquam vidit draco quod projéctus esset in terram, persecútus est mulíerem, quæ péperit másculum; et datæ sunt mulíeri alæ duæ áquilæ magnæ, ut voláret in desértum in locum suum, ubi álitur per tempus et témpora et dimídium témporis, a fácie serpéntis. Et misit serpens ex ore suo post mulíerem, aquam tamquam flumen, ut eam fáceret trahi a flúmine. Et adjúvit terra mulíerem; et apéruit terra os suum, et absórbuit flumen, quod misit draco de ore suo. Et irátus est draco in mulíerem : et ábiit fácere prǽlium cum réliquis de sémine ejus, qui custódiunt mandáta Dei, et habent testimónium Jesu Christi. Et stetit supra arénam maris.

℟. Elécta mea cándida sicut nix in Líbano; sicut favus distíllans lábia ejus : * Mel et lac sub lingua illíus. ℣. Veni de Líbano, sponsa mea, veni, coronáberis coróna gratiárum. Mel. Glória Patri. Mel.

IN II. NOCTURNO

℣. Mélior est fructus meus áuro. ℟. Et genímina mea argénto elécto.

Lectio iv.

Anno Christi millésimo octingentésimo trigésimo, quod legítima testántur monuménta, beatíssima Dei Mater sanctimoniáli cuídam fœminæ, Catharínæ Labouré nuncupátæ, e família puellárum Caritátis sancti Vincéntii a Páulo, sese vidéndam exhíbuit; eamdémque jussit curáre ut Numísma in honórem Immaculátæ Conceptiónis suæ cuderétur. Cudéndi áutem ea lex erat ex visu, ut in advérsa fronte Deíparæ prostáret effígies, virgíneo quidem pede serpéntis próterens caput, mánibus vero pátulis subjéctum terræ orbem rádiis illústrans; inscrípta circum circa ea prece : O María concépta sine peccáto, ores pro nobis qui ad te confúgimus. Inésse áutem in fronte avérsa sacrosánctum Maríæ nomen debébat, eminénte

supra crucis signo, binis inférius adjéctis córdibus, áltero óbsito spinis, áltero ense transfósso. Jubénti Vírgini páruit puélla; remque divínitus accéptam evéntus comprobávit. Vix enim novum Numísma in vulgus pródiit, íllico a christifidélibus, uti relígio Matri sanctíssimæ pergráta, coli certátim ac gestári cœptum; in Gállia primum, mox, probántibus epíscopis, ubíque terrárum. Cujus augescéntis in dies reveréntiæ ac fidúciæ id cáusæ fuit, quod a Vírgine respiciénte plúrima patrabántur mira seu córporis ærúmnis levándis, seu ánimis e vitiórum cœno eruéndis.

℟. Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram : ego feci in cælis ut orirétur lumen indefíciens. * Nondum erant abýssi, et ego jam concépta eram. ℣ Deus enim creávit me in justítia, et apprehéndit manum meam, et servávit me. Nondum.

Lectio v.

In his illud præ cæteris memorátu dignum, quod Alphónso Ratisbónne Romæ cóntigit décimo tértio Kaléndas Februárii anno millésimo octingentésimo quadragésimo secúndo, legítimo ecclesiásticæ auctoritátis testimónio comprobátum. Argentoráti Judáicis ortus paréntibus, in Oriéntem iter fáciens Alphónsus Romæ substíterat. Ubi cum amicítiam cum nóbili viro, ex hǽresi ad cathólica sacra convérso, junxísset; is, adolescéntis miserátus vicem, omni ope conténdit ut illum ad veram Christi religiónem tradúceret. Nihil tamen verbis profétum; unum hoc impetrátum, ut hebrǽus homo sacrum Deíparæ Numísma e collo pendens deférret. Preces ínterim pro eo ad Vírginem Immaculátam adhibebántur. Nec diu Virgo exoráta auxílium conférre dístulit. Nam, cum Alphónsus templum sancti Andréæ in vico nemorénsi, vulgo *delle Fratte*, fortúitu sub merídiem esset ingréssus, repénte illi ædes obscurári visa, una excépta Archángeli Michaélis cella, unde vivídior contra lux emicábat. Eo dum, horróre corréptus, advértit óculos, ecce illi beáta Virgo María conspiciéndam se præbet vultu mitíssimo, eóque hábitu quo in sacro Numísmate refértur. Cæ-

lésti visu súbito immutári Alphónsus; tum lácrymis perfúsus judáicam abhorrére perfídiam, et cathólicam religiónem, quam páulo ante detestabátur, veram profitéri totóque péctore amplécti. Christiána dógmata edóctus, páucis post diébus, commúni Urbis lætítia, sacro baptísmate lustrátus est.

℟. Nihil inquinátum in eam incúrrit : * Candor est lucis ætérnæ et spéculum sine mácula. ℣. Est enim hæc speciósior sole, et luci comparáta invenítur púrior. Candor est.

Lectio vj.

TANTÆ igitur pientíssimæ Matris per sacrum Numísma poténtiæ ac liberalitátis ut memória recolerétur, simúlque christianárum géntium erga Immaculátam ejúsdem Vírginis Conceptiónem religio amplióres habéret áuctus, cénsuit Apostólica Sedes, quod dudum ab ea pro sacratíssimo Rosário et carmelítico Scapulári concéssum fúerat, Manifestatiónem hanc sanctíssimæ Dei Paréntis et sacrum ipsius Numísma peculiári festo quotánnis commemoránda. Quamóbrem, tota factórum série a Sacra Rituum Congregatióne recógnita maturéque perpénsa, ex ejúsdem Congregatiónis consúlto Leo décimus tértius Póntifex Máximus Societáti Presbyterórum sancti Vincéntii a Páulo, quibus ex sancti auctóris lege solémne semper fuit illábem Maríæ oríginem profitéri et cólere, Manifestatiónis ejúsdem beátæ Vírginis Officium et Missam celebráre concéssit, idémque indúltum ad síngulos epíscopos ac Religiosórum famílias peténtes exténdit.

℟. Signum magnum appáruit in cælo : Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus : * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. ℣. Induit eam Dóminus vestiméntis salútis, induménto justítiæ, et quasi sponsam ornávit eam monílibus suis. Et in cápite. Glória Patri. Et in cápite.

IN III. NOCTURNO

℣. Esto mihi in domum refúgii. ℟. Ut salvum me fácias.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 2

IN illo témpore : Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ : et erat Mater Jesu

ibi. Vocátus est áutem et Jesus, et discípuli ejus, ad núptias. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Dom. I. post Epiph. Serm. 1.

Vinum non habent. Compássa est María eórum verecúndiæ, sicut miséricors, sicut benigníssima. Quid de fonte pietátis procéderet nisi píetas? Quid, inquam, mirum si pietátem éxhibent víscera pietátis? Nonne qui pomum in manu sua tenúerit dimídia die, réliqua diéi parte pomi servábit odórem? Quantum ígitur víscera illa virtus pietátis affécit, in quibus novem ménsibus requiévit? Nam et ante mentem replévit, quam ventrem, et cum procéssit ex útero, ab ánima non recéssit. Dúrior fortásse et austérior vidéri posset respónsio Dómini; sed nóverat ille, cui loquerétur; et quis loquerétur illa non ignorábat. Dénique ut scias, quómodo respónsum ipsum accéperit, aut quantum de Fílii benignitáte præsúmpserit, ait minístris: Quæcúmque præcéperit vobis, serváte et fácite.

℟. Hortus conclúsus soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus: * Emissiónes tuæ paradísus, o María. ℣. Aperi mihi, soror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea. Emissiónes tuæ.

Lectio viij.

Ibid. Serm. 2.

Quid mihi et tibi est múlier? Quid tibi et illi est, Dómine? Nonne quod fílio et matri? Quid ad illam pértines quæris, cum tu sis benedíctus fructus ventris ejus immaculáti? Non ipsa est, quæ salvo pudóre concépit et sine corruptióne te péperit? Nonne ipsa est, in cujus útero novem ménsibus morátus es, cujus virgíneis ubéribus lactátus es, cum qua jam duódecim annórum factus de Jerúsalem descendísti, et eras súbditus illi? Nunc ergo, Dómine, quid moléstus es illi, dicens: Quid mihi et tibi? Multum per omnem modum. Sed manifésteiam vídeo, quod non velut indígnans aut confúndere volens Vírginis Matris téneram verecúndiam, díxeris: Quid mihi et tibi? Cum, veniéntibus ad te juxta Matris præcéptum minístris, nihil cunctátus fácias quod illa suggéssit.

℟. Magníficat ánima

mea Dóminum, * Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quia. Glória. Quia.

Lectio ix.

Serm. de duod. prærogativis.

Quid ergo ad Mariam accédere trépidet humána fragilitas? Nihil áusterum in ea, nihil terríbile : tota suávis est, ómnibus ófferens lac et lanam. Revólve diligéntius evangélicæ históriæ sériem univérsam, et si quid forte increpatórium, si quid durum, si quod dénique signum vel ténuis indignatiónis occúrrerit in Maria, de cǽtero suspéctam hábeas, et accédere vereáris. Quod si (ut vere sunt) plena magis ómnia pietátis et grátiæ, plena mansuetúdinis et misericórdiæ, quæ ad eam pértinent invéneris, age grátias ei, qui talem tibi mediatrícem benigníssima miseratióne próvidit, in qua nihil potest esse suspéctum ; quæ ómnibus misericórdiæ sinum áperit, ut de plenitúdine ejus accípiant univérsi, captívus redemptiónem, æger curatiónem, tristis consolatiónem, peccátor véniam, justus grátiam, ut non sit, qui se abscóndat a calóre ejus.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Hymn. O gloriósa vírginum.

℣. O María, sine labe origináli concépta. ℟. Intercéde pro nobis, qui ad te confúgimus.

Ad Bened. Ant. Pósuit in ea verba signórum suórum et prodigiórum suórum in terra.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui beatíssimam Vírginem Maríam Matrem tuam ab orígine immaculátam innúmeris miráculis claréscere voluísti : concéde ; ut ejúsdem patrocínium semper implorántes, gáudia consequámur ætérna : Qui vivis et regnas.

Commem. Fer. occur.

IN II. VESPERIS

Omnia ut in I., præter

Ad Magnif. Ant. Sancta María, * succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuum sanctum Patrocínium.

Orat. ut supra.

Commem. Fer. et S.

Melchiadis Papæ et Mart. tantum.

DIE X

TRANSLATIONIS
ALMÆ DOMUS LAURETANÆ

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, cum Commem. Fer. et S. Melchiadis Papæ et Mart., ut in Proprio Sanctorum.

In II. Vesp. Commem. S. Damasi et Fer. ut in Proprio Sanctorum.

DIE XVI

SANCTÆ ADELAIDIS
IMPERATRICIS VIDUÆ

Duplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart., præter seq.

In Vesp. diei Octav. Immaculatæ Conceptionis. Commem. S. Adelaidis. Orat. Exáudi. de Communi nec Virg. nec Mart. Deinde Commem. Fer. occur.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur., vel si fuerit in Quatuor Temporibus, Mulierem. de Comm.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Adeláis, filia Rodólphi secúndi, Burgúndiæ regis, nupsit Lothário regi Itáliæ. Mórtuo Lothário, ipsa annum décimum nonum agénte, occupávit regnum Itáliæ Berengárius, Lothárii competitor, et Adeláidem conjécit in tetrum cárcerem, ubi dire ádmodum vexavérunt eam viri immites, comam ipsi evelléntes, et corpus ejus pugnis et cálcibus inhumáne contundéntes. Vir quidam, misericórdia motus super eam et indignabúndus quod tam male tractarétur, áuctor illi fuit ut per noctem eváderet.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Verum tam obscúra erat nox, ut Adeláis, fúgiens cum pedísequa, et nésciens quo iret, incíderit in stagnum, in quo tota nocte et tota die mansit, nullo per id témporis spátium sumpto cibo, a Deo solo, quem invocábat, sperans auxilium. Pene conféctam e stagno piscátor edúxit. Imploráverat opem Othónis primi, Germániæ regis, qui póstea fuit imperátor. In Itáliam cum numeróso exércitu advénit Otho, et Berengárium sine labóre debellávit: deinde Adeláidem uxórem duxit.

℟. Dilexísti.

Lectio vj.

Hæc inter delícias sǽculi, quibus in áula

affluébat, vitam nihilóminus duxit semper austéram, et omni virtúte, præsértim misericórdia in páuperes, conspícuam. Multa et dura passa est a ministris Othónis tértii, sui nepótis, qui, cum eam a se amandátam revocásset, commísit ipsi regéndum impérium. At illa injuriárum immemor, non malum, imo bonum pro malo réddidit et injúrias benefíciis compensávit. Vita laudábili functa, óbiit annum agens sexagésimum nonum. Scripsit vitam ejus sanctus Odilo abbas Cluniacénsis, et testátur ad ejus túmulum cæcos illuminátos, paralýticos aliósque váriis morbis laborántes, ejus ope imploráta, sanátos.

℟. Fallax grátia.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Símile est. de Comm. 1° loco.

In Laud. Commem. Fer.

In Quatuor Temp. Lect. ix. de Homil. Fer., cujus Commem. in Laud.

Vesp. a Capit. de seq. Commem. præced. et Fer.

DIE XVII

SANCTI LAZARI

DISCIPULI DOMINI
EPISCOPI ET MARTYRIS

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. Pont., præter seq.

Oratio.

Deus, qui beátum Lázarum Christi discípulum, quatriduánum mórtuum suscitátum, pontifício et martýrio decorásti: concéde nobis ejus méritis a peccátis resúrgere ejúsque constántiam æmulári; ut coronári cum ipso mereámur in cælis. Per eúmdem Dóminum.

Commem. præced. Ant. Manum suam. ℣. Diffúsa est. Orat. Exáudi. de Communi.

Deinde Commem. Fer. occur.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur. In Quatuor Temp. Lect. A Miléto. de Communi unius Mart.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Lázarus e Bethánia, clarus génere, sed virtúte nobílior, Martham et Maríam soróres hábuit. His Christum Jesum hospítio frequénter excipiéntibus, eúmdem páriter cordis hospítio excépit Lázarus, et a suo vicíssim excéptus hóspite, inter amícos adscríptus est. Cóntigit áutem, abshénte Christo, Lázarum grávius infirmári; de cujus valetúdine sollícitæ

soróres misérunt qui hóspiti suo de amíci perículo nuntiáret. Quo audíto, Jesus dum ad Lázarum veníre differt, inter moras, ille diem suum último óbiit. Ubi vero Christus accéssit et amícum mórtuum vidit, ad hoc spectáculum et sorórum dolórem ínfremens, fusis lácrymis, quatriduánum et jam fœténtem de monuménto, magna voce inclámans, suscitávit.

℟. Honéstum fecit illum.

Lectio v.

Hoc prodígio, cum Christi virtus et doctrína manifèstius cunctis clarescerent, id ægris óculis excipiéntes Judǽi, Lázaro ejúsque soróribus parant exítium. Et ne tam stupéndi miráculi testes usquam conspiceréntur, una cum Marcélla, Maximíno, aliísque Christiánis, in vetústa nave, sine velo, sine remígio, sine viático, impósitos, vastíssimo mari commíttunt, ut omnes, vel inédia, vel naufrágium certum absúmeret. Sed navis, Deo adgubernánte, salvis ómnibus, Massíliam appúlsa est, ubi Massiliénsium episcopus creátus Lázarus, verbi prædicatióne et vitæ cæléstis exémplis plúrimos ad Christum convértit.

℟. Desidérium ánimæ ejus.

Lectio vj.

Cum áutem annos círciter trigínta, tenéllum gregem evangélicæ doctrínæ pábulo nutrivísset, tentus tandem ab infidélibus, procónsuli sístitur; a quo vel idólis sacrificáre vel mori compúlsus, respóndit amícum se habére cujus poténtia fúerat semel a morte revocátus in vitam, et pro quo mortem subíre dénuo non recúset. Pectínibus ítaque férreis lacerátus, ignita étiam loríca circúmdatus et crate férrea tostus, cum superári non posset, jussus est sagíttis confígi; sed illǽsus persevérans, ad últimum cápite truncátus, consummáto martýrio, migrávit ad Christum, anno salútis círciter octogésimo.

℟. Stola jucunditátis índuit.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 11.

In illo témpore: Erat quidam languens Lázarus a Bethánia, de castéllo Maríæ et Marthæ soróris ejus. Et réliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tract. 49. in Joan. post initium.

In superióri lectióne meminístis quod Dóminus éxiit de mánibus eórum qui lapidáre illum volúerant, et discéssit trans Jordánem, ubi Joánnes baptizábat. Ibi ergo Dómino constitúto, infirmabátur Lázarus in Bethánia, quod castéllum erat próximum Jerosólymis. María áutem erat quæ unxit Dóminum unguénto, et extérsit pedes ejus capíllis suis, cujus frater Lázarus infirmabátur. Misérunt ergo soróres ejus ad eum. Jam intellígimus quo misérunt : ubi erat Jesus; quóniam absens erat, trans Jordánem scílicet. Misérunt ad Dóminum, nuntiántes quod ægrotáret frater eárum, ut si dignarétur, veníret et eum ab ægritúdine liberáret. Ille dístulit sanáre, ut posset resuscitáre.

℟. Coróna áurea.

Lectio viij.

Quid ergo nuntiavérunt soróres ejus? Dómine, ecce quem amas infirmátur. Non dixérunt : Veni, amánti enim tantúmmodo nuntiándum fuit. Non áusæ sunt dícere : Veni et sana. Non áusæ sunt dícere : Ibi jube, et hic fiet. Cur enim non et istæ, si fides illíus centuriónis inde laudátur? Ait enim : Non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus. Nihil horum istæ, sed tantúmmodo : Dómine, ecce quem amas infirmátur. Súfficit ut nóveris; non enim amas et déseris.

℟. Hic est vere martyr.

Lectio ix.

Dicit áliquis : Quómodo per Lázarum peccátor significabátur, et a Dómino sic amabátur? Audiat eum dicéntem : Non veni vocáre justos, sed peccatóres. Si enim peccatóres Deus non amáret, de cælo ad terram non descénderet. Audiens áutem Jesus, dixit eis : Infírmitas hæc non est ad mortem, sed pro glória Dei, ut glorificétur Fílius Dei. Talis glorificátio ipsíus non ipsum áuxit, sed nobis prófuit. Hoc est ergo quod ait, non est ad mortem. Quia et ipsa mors non erat ad mortem, sed pótius ad miráculum; quo facto créderent hómines in Christum et vitárent veram mortem. Sane vidéte quemádmodum tamquam ex oblíquo

Dóminus Deum se dixit, propter quosdam qui negant Filium Dei Deum esse.

Te Deum laudámus.

Commem. Feriæ.

In Quat. Temp. Lect. ix. de Homil. Feriæ, cujus Commem. in Laud.

Vesp. de seq. Commem. præced. et Feriæ ut infra.

DIE XVIII

IN EXSPECTATIONE PARTUS B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

In I. Vesp. Commem. præced. Ant. Qui vult. de Comm. unius Mart. ℣. Justus. Orat. Deus qui. ut supra. Deinde Commem. Feriæ. Ant. O Sapiéntia.

In II. Vesp. Commem. seq. et Feriæ.

DIE XIX

(e 16 hujus mensis.)

S. EUSEBII EPISC. ET MART.

Semiduplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, die 16 Dec.

In II. Vesp. Exspectationis B. M. V. Commem. S. Eusebii, ut in Proprio Sanctorum. Deinde fit Commem. Feriæ. Ant. O Adonai.

In II. Vesp. S. Eusebii Commem. Feriæ. Ant. O Radix Jesse.

FESTA JANUARII

DIE XV

SANCTI MAURI

ABBATIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Vesp. a Capit. Orat. Intercéssio. de Communi Abbat. Commem. præced. O Doctor. ut in Proprio Sanctorum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Máurus, nóbilis Románus, puer a patre Eutýchio Deo sub sancti Benedicti disciplina oblátus, brevi tantum divina grátia profécit, ut ipsi magistro admiratióni esset : qui illum sæpe, véluti reguláris observántiæ et virtútum ómnium spécimen, cǽteris discípulis ad imitándum proponébat. Cujus adhuc adolescéntis illud admirábilis obediéntiæ exémplum a sancto Gregório Papa, his verbis commemorátur : Quadam die, dum venerábilis Benedíctus in cella

consisteret, Plácidus puer, sancti viri mónachus, ad hauriéndam de lacu aquam egréssus est : qui vas quod tenúerat, in aquam incáute submíttens, ipse quoque cadéndo secútus est. Quem mox unda rápuit et pene ad unius sagittæ cursum eum a terra intrórsus traxit. Vir áutem Dei, intra cellam pósitus hoc prótinus agnóvit et Máurum festíne vocávit, dicens : Frater Máure, curre, quia puer ille, qui ad hauriéndam aquam perréxerat, in lacum cécidit, jamque eum lóngius unda trahit.

℟. Honéstum.

Lectio v.

RES mira et post Petrum Apóstolum inusitáta! Benedictióne enim postuláta atque percépta, ad patris sui impérium cóncitus perréxit Máurus : atque usque ad eum locum, quo ab unda deducebátur puer, per terram se ire exístimans, super aquam cucúrrit, eúmque per capíllos tenens, cursu rápido rédiit. Qui mox ut terram tétigit, ad se revérsus, post tergum respéxit, et quia super aquas cucurrísset agnóvit : et quod præsúmere non potuísset, ut fíeret, mirátus extrémuit factum. Revérsus itaque ad patrem, rem gestam rétulit. Vir áutem venerábilis Benedíctus hoc non suis méritis, sed illíus obediéntiæ deputáre cœpit. At e contra Máurus pro solo ejus império factum dicébat, seque cónscium in illa virtúte non esse, quam nésciens fecisset. Sed in hac mútuæ humilitátis amica contentióne accéssit árbiter puer qui eréptus est. Nam dicébat : Ego, cum ex aqua trahérer, supra caput meum melótem abbátis vidébam, atque ipsum me ex aquis edúcere considerábam.

℟. Amávit.

Lectio vj.

CONTINÉNTIÆ tantæ fuit beátus Máurus, ut per quadragésimam bis tantum in hebdómada et quidem parcíssimum cibum súmeret. Somnum stando, vel cum nímia eum lassitúdo frégerat, sedéndo super aggéstum calcis et sábuli strato cilício capiébat. Missus in Gálliam ab eódem sancto Benedícto, célebri monastério exstrúcto, cui annos quadragínta præfuit, monásticam disciplínam mirífice propagávit. Dénique sanctitáte et miráculis clarus, septuagenário major, migrávit

in cælum anno salútis quingentésimo sexagésimo quinto. Sǽculo nono sacræ beáti Máuri relíquiæ ab ejus discípulis, irruéntes Normánnos fugiéntibus, asportátæ, aliquámdiu in Burgúndia repósitæ sunt. Quædam eárum partes in ecclésia loci dicti sancti Máuri, in diœcési sancti Cláudii, etiámnunc asservántur et religióse colúntur.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ecce nos. de Communi Abbatum 1° loco.

In II. Vesp. Commem. S. Marcelli Papæ et Mart. ut in Proprio Sanctorum.

DIE XIX

SANCTI EUGENDI

ABBATIS

Duplex 2. classis.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

Oratio.

Da nobis, quǽsumus Dómine, ut beátus Abbas Eugéndus, qui zelo reguláris observántiæ glóriam consecútus est : suis nos exémplis infórmet, et ádjuvet suffrágiis. Per Dóminum.

Deinde Commem. Cathedræ S. Petri, et Commem. S. Pauli tantum ut in Proprio Sanctorum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Comm. Beátus vir. 2° loco.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Ex vita S. Eugendi ab auctore coævo, apud Boll.

Eugéndus natus est patre exímiæ probitátis, qui, cónjuge defúncta, Isarnodóri, in província Sequanórum, officio presbytérii fungebátur. Séptimum ætátis annum agébat, cum, cæléstí admónitus visióne, monastérium Condaténse a beátis Románo et Lupicíno fundátum ingréssus est, ac sub perítis iisdem pátribus, vitam monásticam ampléxus est. Reguláris observántiæ perfectíssimum fuit exémplar. Unica conténtus túnica, semel tantum in die cibum sumébat. Ad sacrum presbyterátus órdinem, onus ipsis Angelis reformidándum, promovéri præ humilitáte recusávit; non enim illi beatórum Antónii atque Martíni gesta et mores ánimo excíerant. Sacræ lectiónis ac præcípue oratiónis stúdio constánter inténtus, lítteris tamen, tum latínis, tum græcis, óperam dedit, mul-

támque adhíbuit curam ad juventútem in sciéntia, in pietáte, in doctrína sana erudiéndam.

℟. Honéstum.

Lectio v.

MATÚRAM ætátem jam adéptus erat beátus Eugéndus, cum eum Mináusius, tértius abbas Condaténsis, plenus diérum, languóre et sénio conféctus, coadjutórem sibi in monastérii gubérnium assúmpsit. Mináusio mórtuo, abbas eléctus est. Monastérium incéndio consúmptum in mélius restítuit, sanctissimisque constítuit légibus. In regéndis súbditis mira ejus prudéntia, mira suávitas. Interiórem animórum statum ita dignoscébat, ut unicuique secúndum aptitúdinem et pro captu cóngrua officia in cœnóbio demandáret. Omnibus ómnium necessitátibus studióse providébat. Nulla in re óptimi abbátis múneri défuit. Numquam ex ore procéssit oblocútio; malilóquium tamquam pestem detestabátur.

℟. Amávit eum Dóminus.

Lectio vj.

A SÉPTIMO ad sexagésimum quo excéssit annum, pedem e monastério non éxtulit. Primus inter fratres sanctitáte et dignitáte, sese infra omnes humilitáte deprimébat. Vita ipsíus non tantum virtútibus, sed miráculis quoque refúlsit. Jam sexagenárius, cum incidísset in morbum, arcessívit eum sacerdótem cui curam commíserat ungéndi infírmos, et ab eo sacraméntum extrémæ unctiónis suscépit. Licet in extrémis constitútus, ab offícii divíni recitatióne non abstínuit. Tandem fratres hortátus ut a régula in nullo deficerent, et eam adamússim observárent, obdormívit in Dómino, Kaléndis Januárii. Sacræ ejus relíquiæ in ecclésia quæ sancto Cláudio dicáta erat olim repósitæ, nunc capsa argéntea inclúsæ, in ecclésia cathedráli sancti Petri asservántur.

℟. Iste homo perfécit ómnia.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vij. Cap. 19. c

IN illo témpore: Ait Jesus adolescénti: Si vis perféctus esse, vade, vende quæ habes, et da paupéribus, et habébis thesáurum in cælo; et veni, séquere me. Et réliqua.

Homilia sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 64. in Matthæum.

ANTEQUAM Jesus adolescénti certámen et labórem osténderet, bravium præ óculis pósuit, dicens : Si vis perféctus esse; actum infert : vende ómnia quæ habes, et da paupéribus. Et mox íterum prǽmia incúlcat : et habébis thesáurum in cælo; et veni, séquere me. Magna enim retribútio est, sequi Dóminum. Non ergo satis est pecúniam spérnere; opórtet ante ómnia Christum sequi, id est ómnia præstáre quæ ab eo jubéntur; paratúmque semper esse tam labóres subíre quam omne genus mortis sufférre. Si quis enim, inquit, veníre post me velit, ábneget semetípsum, tollátque crucem suam et sequátur me.

℟. Iste est.

Lectio viij.

HÆC cum audísset adoléscens, ábiit tristis Quod non absque cáusa illi accidísse significávit Evangelista, dicens : Habébat enim multas possessiónes; non eódem quippe modo detinéntur qui páuca póssident et qui magna rerum cópia submergúntur; tunc enim violéntior fit ipsórum cupíditas. Nec umquam prædicáre cessábo quod accéssio divitiárum majórem accéndit flammam; et eos qui póssident pauperióres reddit, quandóquidem eos plúribus constítuit cupiditátibus, efficítque ut indigéntiam magis séntiant. Pérspice ígitur quanta vis sit talis afféctus. Cum enim magna dives iste lætítia Christum adiísset, ita suffóssus atque óbrutus fuit, ut nec respondére quidem potúerit, sed tristis ac mœstítia pressus discésserit.

℟. Sint lumbi.

Lect. ix. de SS. Mario et Sociis Mart. in Proprio Sanctorum.

Si transferatur :

Lectio ix.

VÉNIAT tibi in mentem qualis erat Páulus, qualis Petrus, qualis Joánnes, qualis Elías, vel pótius ipsius unigéniti Dei Filii recordáre, qui non habébat ubi caput reclináret. Hæc ítaque cogitántes, discámus æmulári quæ digna sunt æmulatióne. Non magníficas ædes, non ubérrima prǽdia quærámus, sed eos qui magnam apud Deum fidúciam habent, qui thesaurízant sibi thesáuros in cælo, qui pro Christo páuperes fiunt, imitémur, ut

æternórum bonórum participes esse mereámur.
Te Deum laudámus.
In Laud. Commem. SS. Marii et Soc. ut in Proprio Sanctorum.
In II. Vesp. Commem. SS. Fabiani et Sebastiani, Mart. ut in Proprio SS.

DIE XXI

SANCTÆ AGNETIS

VIRGINIS ET MARTYRIS

Duplex majus.

Omnia ut in Proprio Sanctorum.
Vesp. dicuntur integræ de sancta Agnete, cum Commem. præced., ut notatur in Proprio Sanctorum.

DIE XXIII

DESPONSATIONIS B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.
Fit Commem. S. Joseph ante alias Commem. in utrisque Vesp. et Laud.

DIE XXIX

S. FRANCISCI SALESII

EPISC. CONF.

ET ECCLESIÆ DOCTORIS

Duplex majus.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, hac die.

FESTA FEBRUARII

DIE III

SANCTI ANATOLII

EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq.
In II. Vesp. Purificationis B. M. V. fit Commem. S. Anatolii. Ant. Sacérdos. ℣. Amávit. Orat. Exáudi. de Comm. Deinde Commem. S. Blasii Episc. et Mart., ut in Proprio Sanctorum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

ANATÓLIUM episcopum, Salinénsium tutelárem inclytum, pene tantum ex miráculis nóvimus. Cum apud Séquanos venísset, in território Scodingórum juxta Salinas súbstitit, in clivo prærúpti montis, ædículæ opportunitátem nactus, Symphoriáno Augustodunénsi Martýri sacræ, quam dulcis aquæ fons alluébat perénnis et copiósus. Ex eo loco felix Anatólii ánima ad cælites emigrávit, et ibidem corpus cónditum sex fere sǽculis delituit; donec ineúnte undécimo post Christum natum sǽculo exhumátum, tumulóque honoratióre

apud Salinas compósitum est, Idibus Júnii, in basilica quam Hugo, póstea Bisuntinus archiepiscopus, in honórem sanctórum Symphoriáni atque Anatólii, sanctǽque virginis et mártyris Agathæ dedicári fecit, nóbili ibi canonicórum collégio constitúto.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Transáctis exinde annis ducéntis, cum Anatólii sepúlcrum plúribus atque insígnibus illustrarétur miráculis, ossa ejus veneránda Nicoláus, Bisuntinus archiepíscopus, Kaléndis Septémbris túmulo eláta in pretiósam tránstulit hierothécam. Cǽterum, quia constat ejus ope ac virtúte cæcos, cláudos, mutos, surdos, contráctos, débiles, ægros aliósque ejúsdem géneris curátos; malos dǽmones e corpóribus exturbátos, urbes obsidióne liberátas, victoriásque de hóstibus reportátas, imbres étiam pro rei necessitáte, nunc laxátos, nunc cohíbitos, eum mérito in cælis sanctórum cœtui insértum crédimus.

℟. Pósui adjutórium.

Lect. vj. Beáti patris Anatólii. de Comm. 2° loco cum ℟. Iste est qui.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Vigiláte. de Comm. Conf. Pont. 2° loco.

Lect. ix. de S. Blasio Episc. et Mart., et ejus Commem. in Laud.

Vesp. a Capit. de seq. Commem. præced.

DIE IV

BEATÆ JOANNÆ VALESIÆ

VIDUÆ

Duplex.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

Oratio propr. Deus qui. in Supplem.

Commemor. præced. Ant. Amávit. ℣. Justum. Orat. Exáudi. de Communi.

Vesperæ a Capitulo de seq. Commem. præcedentis et S. Aviti Episc. et Conf.

DIE V

SANCTÆ AGATHÆ

VIRG. ET MART.

Duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, præter seq.

Oratio Deus qui inter cǽtera. de Comm.

Et fit Commem. B. Joannæ Valesiæ. Ant. Manum suam. ℣. Diffúsa est. Orat. Deus qui. in Supplem.; et S. Aviti. Ant. Sacérdos. ℣. Amávit. Orat. Exáudi. de Comm.

Pro S. Avito Episc.
Lectio ix.

Avítus apud Arvérnos, nóbili génere natus, beáti Apollináris Valentíni episcopi frater, circa finem sǽculi quinti, patri Isicio in episcopátu Viennénsi succéssit. Zelo cathólicæ fidei Ariános hæréticos insequens, Gundobáldum Burgundórum regem eádem hǽresi inféctum, tanta argumentórum mole convicit, ut Christum Filium Dei et Spíritum sanctum æquálem Patri conféssus, clam ut chrismarétur expetierit, ait Gregórius Turonénsis; sed témpori sérviens, fidem rex pudóre malo negávit: sancto tamen pontífici, cujus consíliis utebátur, alióquin amicíssimus. Ejus jussu, contra Nestórium et Eutychen duos libéllos édidit Avítus. Quin et Hormisdæ, Románo Pontífici, luculénter scripsit, ipsi insínuans Ecclésiæ Constantinopolitánæ schismáticos, in cáusa Acácii, non fácile ad pacem admítti debére. Pari ecclesiásticæ disciplínæ stúdio incénsus, ad concílium Epaonénse multos convocávit epíscopos. In Lugdunénsi quoque sýnodo sub Viventiólo excommunicatiónis senténtiam tulit, cum áliis episcopis, advérsus incestuósum quemdam Stéphanum, ærárii régii præféctum. Piis opéribus déditus, ad Ligúriæ captívos liberándos eleemósynas multas cóntulit. Regi Sigismúndo, quem in pietáte erudíerat, quemque póstea immániter occísum veheménter dóluit, monastérii Agaunénsis extruéndi consílium dedit. Demum consummátus virtútibus, diem cláusit extrémum Nonis Februárii.

Te Deum laudámus.

In Laud. Commem. S. Aviti. Ant. Euge serve. ℣. Justum. Oratio ut supra.

In II. Vesp. ut in Proprio Sanctorum.

DIE XI

APPARITIONIS B. M. V.

IMMACULATÆ

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

In II. Vesp. Commem. S. Pauli primi Eremitæ, ut in Proprio Sanctorum, die 15 Januarii.

DIE XII

(e 15 Januarii.)

SANCTI PAULI

PRIMI EREMITÆ, CONF.

Duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, præter seq.

In II. Vesp. Apparitionis B. M. V. Immaculatæ fit Commem. S. Pauli ut in Proprio Sanctorum, et in Quadr. Commem. Fer. occur.

In Hymn. **Iste Conféssor.** m. t. v.

In Quadrag. Lect. I. Noct. **Beátus vir.** de Communi Conf. non Pont. 2° loco, et Lect. ix. de Homilia Feriæ, cujus fit Commemoratio in Laudibus.

Vesperæ a Capitulo de seq. cum Commem. præced.

In Quadrag. Commem. Feriæ occur.

DIE XIII

(e 4 hujus mensis.)

S. ANDREÆ CORSINI

EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, die 4 Febr., præter seq.

In Hymn. **Iste Conféssor.** m. t. v.

Orat. **Deus qui in Ecclésia.**

Deinde Commem. S. Pauli primi Eremitæ. Ant. **Hic vir.** ℣. **Justum.** Orat. ut in Proprio Sanctorum.

In Quadrag. Commem. Fer. occur.; ad Matutinum Lect. I. Noct. **Fidélis sermo.** de Comm. Conf. Pont. 1° loco. Lect. ix. de Homil. Fer., cujus fit Commem. in Laud.

Vesperæ a Capitulo de seq. Commem. præced. et S. Valentini Presbyt. et Mart., ut in Proprio Sanct.

In Quadrag. Commem. Fer., deinde S. Valentini.

DIE XIV

(e 11 hujus mensis.)

SS. SEPTEM FUNDATORUM

ORDINIS SERVORUM B. M. V.

CONFESSORUM

Duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, præter seq.

Vesp. a Capit. de SS. Septem Fundatoribus cum Commem. S. Andreæ. Ant. **Amávit.** ℣. **Justum.** Oratio propria. Deinde Commem. S. Valentini Presbyt. et Mart. ut in Proprio Sanctorum, hac die.

Lect. ix. de S. Valentino, cujus Commem. in Laud.

In Quadrag. in Vesp. et Laud. Commem. Fer., ante Commem. simplicis; ad Matut. Lect. I. Noct. **Laudémus viros gloriósos.** de Communi Conf. Pont. 2° loco, et Lect. ix. de Homil. Feriæ.

In II. Vesp. Commem. seq. ut in Proprio Sanctorum, die 23 Jan., et SS. Faustini et Jovitæ Mm.

18

DIE XV

(e 23 Januarii.)

S. RAYMUNDI DE PENNAFORT

CONFESSORIS

Semiduplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, die 23 Jan., præter seq.

In II. Vesp. de SS. Septem Fundatoribus fit Commem. S. Raymundi. Ant. Similábo. ℣. Amávit. Orat. propria. Deinde SS. Faustini et Jovitæ Mart., ut in Proprio Sanctorum.

In Quadrag. Commem. Fer. occur., et postea SS. Faustini et Jovitæ.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

Lect. ix. de SS. Faustino et Jovita, quorum Commem. in Laud.

In Quadrag. Lect. I. Noct. Beátus vir. de Communi Conf. non Pont. 2º loco. Lect. ix. de Homil. Fer.

In Laud. Commem. Fer., deinde SS. Mart.

Vesp. de S. Raymundo de Pennafort.

In Quadrag. Commem. Feriæ occur.

DIE XXVIII

SANCTI ROMANI

ABBATIS

Duplex majus.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Oratio.

CONCÉDE, quæsumus omnipotens Deus : ut beáti Románi Abbátis solémnia recenséntes; méritis ipsius protegámur et précibus. Per Dóminum nostrum.

In Quadrag. fit Commem. Fer. occur.

IN I. NOCTURNO

Lect. Beátus vir. de Comm. 2º loco.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

ROMÁNUS, Isarnodóri apud Séquanos honésta família inítio quinti sǽculi natus, præcláram índolem a pueritia præ se tulit. Ætáte matúrior a Sabíno, Lugdunénsis Interámnis abbáte, vitæ monásticæ præcépta páriter et exémpla traxit. Quibus imbútus et secrétis erémi delectátus, matre, soróre ac fratre domi relíctis, abditíssimas Jurénsium silvas ingréssus est, annum agens ætátis trigésimum quintum. Primus ómnium in Sequanórum província monásticam aut anachoréticam ex institúto proféssus vitam, sistit in loco cui Condátum nomen índidit, ob plures flúvios in unum ibídem confluéntes.

℟. Honéstum fecit illum.

Lectio v.

ROMÁNUS jamprídem vita fruebátur angélica, cum ipsíus frater natu inférior Lupicínus, ab eo per visum admónitus, relíctis étiam ob amórem Christi soróre et matre, fratris sui pétiit tugúrium et professiónem ampléxus est. Illis se adjunxérunt clérici duo Nividunénses, exínde álii pene innumerábiles. Románus duo statim monastéria, álterum Condáti, Laucóni álterum ædificávit; tértium deínde exstrúxit in Valdénsi pago, diœcésis Lausannénsis. Insuper in édita balma haud longe a Laucóno fundávit cœnóbium, ubi soror ejus Iola centum ámplius moniálibus mox præfuit; et quod póstea priorátus monachórum factum, sancti Románi de Rupe nuncupátum est.

℟. Amávit.

Lectio vj.

AUDÍTA sanctórum ascetárum fama, sanctus Hilárius Arelaténsis epíscopus, qui tunc Apostólicum legátum agébat per Gállias, Románum non longe a Vesuntióne arcessítum, collaudáto vitæ ejus institúto presbýterum consecrávit. Quo ex honóre factus modéstior, níhilo quam ántea minus totíus reguláris disciplínæ formam sese exhíbuit; tum áliis virtútum instrúctus ornaméntis, tum caritáte imprímis et suavitáte insígni, qua ómnibus jugum Christi leniébat, ac vitæ severióris asperitátem mira arte mitigábat. Morbo corréptus et de sui tránsitus hora, revelánte Dómino, certus, frátribus ad se vocátis pacem Christi, quam ipse puro ac mansuéto semper servávit afféctu, magnam hereditátem distríbuit. Germánum tandem Lupicínum osculátus, fraternitátem cunctam amóre pastoráli regéndam ei commendávit; et lætus exhalávit ánimam prídie Kaléndas Mártias. In ecclésia supra laudatárum moniálium pro voto suo cónditus, multis post mortem cláruit miráculis.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vij. Cap. 11 d

IN illo témpore : Respóndens Jesus dixit : Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilia sancti Joánnis Chrysóstomi.
Homilia 38. 2.

VENÍTE ad me, qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Non hic et ille, sed omnes qui in sollicitúdine, in tristítia, in peccátis estis. Veníte, non ut pœnas éxpetam, sed ut peccáta solvam. Veníte, non quod glória vestra égeam, sed quod salútem vestram sítiam: ego, inquit, refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde, et inveniétis réquiem animábus vestris; jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. Ne timeátis, inquit, cum jugum audítis; suáve quippe est; ne formidétis quia dixi: onus; leve quippe est.
℟. Iste est qui.

Lectio viij.

ET quómodo supra dixit: Angústa est porta et arcta via? Nempe si segnis sis, si remíssus: ut si supra dicta perféceris, leve erit onus; idcírco nunc illud hujúsmodi esse dixit. Quómodo áutem id perfícitur? Si húmilis fúeris, mansuétus et modéstus. Hæc quippe virtus mater est omnis philosophíæ. Quaprópter leges divínas ésferens hinc incépit. Hic quoque rursum idipsum facit, magnámque ponit mercédem: Non tantum enim, inquit, álteri útilis eris; sed ante omnes tibi réquiem paras. Inveniétis enim réquiem animábus vestris. Ante futúra jam hic tibi dat mercédem, et bravíum nunc præbet.
℟. Sint lumbi.

In Quadrag. Lect. ix. de Homil. Fer. occur., cujus Commem. in Laud. Ante Quadrag.:

Lectio ix.

QUOD seipsum det in exémplum, sermónem reddit acceptiórem. Quid enim times, inquit, ne minor habeáris, si sis húmilis? Me réspice et mea ómnia a me díscito, et tunc clare scies quantum sit bonum. Vidén quómodo omni ex parte ipsos indúcat ad humilitátem? Ab iis quæ ipse fecit: Díscite, inquit, a me quia mitis sum; ab iis quæ ipsi lucratúri sunt: Nam inveniétis, inquit, réquiem animábus vestris; ab iis quæ ipsis largítur: Refíciam vos, inquit; ab eo quod onus leve effécerit: Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.
Te Deum laudámus.

In II. Vesp. in Quadrag. Commem. Feriæ occur.

FESTA MARTII

DIE VI

SANCTÆ COLETÆ
VIRGINIS

Duplex majus.

Omnia de Comm. Virg., præter seq.

Oratio.

DÓMINE Jesu Christe, qui beátam Colétam sponsam tuam innúmeris dótibus decorásti : tríbue quǽsumus; ut quo spíritu seráphicam régulam prístinæ puritáti restítuit, eódem intus reformári mereamur : Qui vivis et regnas.

In Quadrag. fit Commem. Feriæ.

IN I. NOCTURNO

Lect. De virginibus. de Comm. 1º loco.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

COLÉTA Corbéiam, Picárdiæ civitátem, diœcésis Ambianénsis, natálibus et sanctitáte illustrávit. Hæc ab ineúnte ætáte mirábilem se exhíbuit, máxime austeritáte vitæ, caritáte in páuperes et pietáte in Deum et próximum. Utróque paérnte orbáta, nihil eórum quæ ab ipsis accéperat sibi retínuit; et sǽculo renúntians, in reclusórium secéssit, ubi per triénnium moráta, austeriórem quam ántea vitam egit; humi cubans, cápite super saxum reclináto, carnem caténis ac cilício, vigíliis, jejúniis ac flagellatiónibus usque ad sánguinis effusiónem excrúcians, vota professiónis religiósæ emísit, et ad perpétuam clausúram sese obstrínxit. Verum de suscipiénda órdinis Clarissárum reformatióne divínitus admónita, e reclusório de licéntia superiórum egréditur, et facultátem óbtinet hábitum sanctæ Claræ suscipiéndi, et ejus primǽvam régulam quantúmvis rígidam instaurándi ac profiténdi, et áliis profiténdam proponéndi.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem.

Lectio v.

EO ánimo Vesuntiónem plúribus cum sóciis venit; omnes eum vivéndi modum, qui olim vigúerat, ampléxæ sunt tanto fervóre, ut ab eo ne mínimum quidem umquam defécerint. Vivébant enim

in vera paupertáte, nullos réditus, aut certa bona possidéntes in particulári, neque in commúni, toto anni spátio perpétuum servántes jejúnium, numquam cárnibus vescéntes, æstáte et hieme nudis pédibus incedéntes, arctíssima clausúra ab hóminum commércio separátæ. Sanctus Vincéntius Ferrérius, divino mónitu, Poliníacum se cóntulit, ut beátam reformatrícem inviseret. Multos cum ea de rebus cæléstibus et de pace Ecclésiæ procuránda sermónes miscuit. Tunc ambo collátis consiliis ad archiepiscopum Bisuntínum, qui tunc concílio Constantiénsi áderat, lttíteras misérunt, quibus coram sýnodo perléctis, intellexérunt Patres instáre diem qua omnes Christi oves sub uno pastóre congregaréntur; moxque eléctio Martini quinti infáusto schísmati finem impósuit. Multa monastéria Coléta reformávit; multa étiam fundávit, inter quæ Poliniacénse in Gállia, cui per decem annos præfuit, et Gandavénse in Bélgio, ubi vita decéssit. Miráculis ante et post óbitum claram, Sixtus quartus Beátam pronuntiávit, et sanctórum albo Pius séptimus adscrípsit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti.

Lectio vj.

Anno Dómini millésimo septingentésimo octogésimo tértio, Clarissæ Gandavénses e cœnóbio depúlsæ Poliniacénses Claríssas adiérunt cum máxima parte sanctæ Colétæ reliquiárum, quæ deínceps in hoc monastério magna cum veneratióne fuérunt conservátæ. Anno áutem millésimo septingentésimo nonagésimo quarto, sceléstis et sacrílegis homínibus templa vastántibus, hæ sacræ reliquiæ pia fidélium cura sunt abscónditæ. Póstea vero, e novo recógnitæ, in ecclésia parochiáli ómnium veneratióni fuérunt expósitæ, et tandem, archiepiscopi Bisuntíni jussu, ad Clarissárum monastérium solémniter dénuo translátæ, ibi singulári fidélium pietáte colúntur.

℟. Afferéntur Regi vírgines.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Símile ... decem virgínibus. de Comm. 1° loco.

In Quadrag. Lect. ix. de Homil. Fer. occur. et

de ea fit Commem. in Laud.

In II. Vesp. Commem. S. Thomæ Aquinatis. Ant. O Doctor. et SS. Perpetuæ et Felicitatis Mart., ut in Proprio Sanctorum.

In Quadrag. Commem. Feriæ, deinde SS. Perpetuæ et Felicitatis.

ORDO OFFICIORUM
DIŒCESI SANCTI CLAUDII PROPRIORUM

PARS HIEMALIS

FESTA MOBILIA

Dominica III. post Epiph. S. Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph, dupl. maj.
Feria III. post Dom. Septuag. Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti, dupl. maj.
Feria III. post Dom. Sexag. Commemoratio Passionis D. N. J. C. dupl. maj.
Feria VI. post Cineres, SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C. dupl. maj.

FESTA FIXA

NOVEMBRIS

27 S. Odonis Abbatis, dupl. (e 18 hujus mensis).
28 S. Felicis de Valois Conf. dupl. (e 20 hujus mensis).
29 S. Columbani Abbatis, dupl. Commem. Vigil. et Saturnini Mart.

DECEMBRIS

1 S. Eligii Episc. et Conf. semid.
3 S. Francisci Xaverii Conf. dupl. maj.
4 S. Barbaræ Virg. et Mart. dupl. maj.
5 S. Petri Chrysologi Episc. Conf. et Eccl. Doct. dupl. (e 4 hujus mensis). Commem. S. Sabbæ Abb.
6 S. Nicolai Episc. et Conf. dupl. maj.
9 Manifestatio Immaculatæ V. M. a sacro Numismate, dupl. maj.
10 Translatio Almæ Domus Lauretanæ, dupl. maj. Commem. S. Melchiadis Papæ et Mart.
16 S. Adelaidis Imperat. et Vid. dupl.
17 S. Lazari Discipuli Domini Episc. et Mart. dupl.
18 Exspectatio Partus B. M. V. dupl. maj.
19 S. Eusebii Episc. et Mart. semid. (e 16 huj.)

JANUARII

15 S. Mauri Abbatis, dupl.
19 S. Eugendi Abb., dupl. 2. cl. Commem. SS. Marii et Soc. Mart.

21 S. Agnetis Virg. et Mart. dupl. maj.
23 Desponsatio B. M. V. dupl. maj. Commem. S. Josephi ejus Sponsi et S. Emerentianæ Virg. et Mart.
29 S. Francisci Salesii Episc. Conf. et Eccl. Doct. dupl. maj.

FEBRUARII

3 S. Anatolii Episc. et Conf. dupl. Commem. S. Blasii Episc. et Mart.
4 S. Joannæ Valesiæ Vid. dupl.
5 S. Agathæ Virg. et Mart. dupl. Commem. S. Aviti Episc. et Conf.
11 Apparitio B. M. V. Immaculatæ, dupl. maj.
12 S. Pauli primi Eremitæ (e 15 Jan.).
13 S. Andreæ Corsini Episc. et Conf. dupl. (e 4 huj. mens.).
14 SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. Conf. dupl. (e 11 huj.). Commem. S. Valentini Presb. et Mart.
15 S. Raymundi de Pennafort Conf. semid. (e 23 Jan.). Commem. SS. Faustini et Jovitæ Mart.
28 S. Romani Abbatis, dupl. maj.

MARTII

6 S. Coletæ Virg. dupl. maj.

LICENTIA ET APPROBATIO

Cæsar Joseph MARPOT, Dei et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia, Episcopus Sancti Claudii,

Testamur hunc præsentem Officiorum Diœcesi nostræ propriorum Ordinem, Turonibus, typis A. Mame excusum, concordare cum Originali a S. Sede Apostolica adprobato et a nobis promulgato.

Datum Sancti Claudii, sub signo sigilloque nostris, et a Secretarii nostri subscriptione, anno Domini 1896, die vero mensis Septembris prima.

† CÆSAR J. Episcopus Sancti Claudii.

25515. — Turonibus, typis Mame.

ORDO OFFICIORUM
DIŒCESI SANCTI CLAUDII
PROPRIORUM

JUXTA EXEMPLAR A S. R. C. REVISUM

ET A SS. DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII.

APPROBATUM

DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DD. CÆSARIS JOSEPHI MARPOT

EPISCOPI SANCTI CLAUDII

EDITUS

PARS VERNA



TURONIBUS

TYPIS A. MAME TYPOGRAPHI

ILL. AC RR. DD. ARCHIEPISCOPI ET CLERI

M. D. CCC. XCVI

Cæsar Josephus MARPOT

Miseratione divina et Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate, Episcopus Sancti Claudii,

**Universo Clero Diœcesis Nostræ
Salutem et Benedictionem in Domino.**

Illustrissimus decessor Noster Joannes Petrus Mabile, dum anno Domini 1853, pro sua plebisque sibi commissæ insigni in Sanctam Sedem Apostolicam devotione, Liturgiam Romanam in hac Diœcesi restitui curaret, simul Officia et Missas Ecclesiæ Sancti Claudii propria a S. Rituum Congregatione approbari sategit.

Novorum autem Officiorum exemplaria cum deficiant, Nobis hanc occasionem nactis, dictum nostrum Proprium Ordinem quadantenus cum augere tum emendare visum est. Quorumdam enim Sanctorum hucusque omissorum memoriam recolere religiosissimum habemus, cum hasce regiones nostras virtutibus ac miraculis illustrarint; aut in Ecclesia Bisuntina, cujus Pontifices ampliorem partem Diœcesis Sancti Claudii ad elapsum usque sæculum rexerunt, merito recolantur. Insuper decurrentibus annis ipsa crescens fidelium devotio quædam mysteria Domini vel Deiparæ, quosdamque Cælites solemniori in dies cultu prosequi lætatur. Et demum in aliquibus Officiis jam concessis quædam notabantur ad veritatem historicam perfectius redigenda.

Quæ omnia sive addita sive mutata Sanctæ Sedis judicio revisenda et approbanda proposuimus. Precibus nostris humillimis annuens, SS. Dominus Noster Leo Papa XIII. sequens Decretum indulgere dignatus est :

SANCTI CLAUDII IN GALLIIS

Ut Calendarium perpetuum ac Proprium Officiorum et Missarum in Diœcesi Sancti Claudii in Galliis hucusque adhibitum ad accuratiorem formam redigerentur, Reverendissimus Dominus Cæsar J. Marpot, hodiernus Episcopus ejusdem Diœceseos, de legitima sacræ Liturgiæ ordinatione valde sollicitus, Calendarium ipsum et Proprium reformare aggressus est, atque ita eme datum et auctum supremæ Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papæ XIII. sanctioni humillime subjecit. Placuit vero eidem Sanctissimo Domino Nostro horum omnium examen Sacræ Rituum Congregationi committere; quæ, cum Calendarium ipsum perpetuum ac Proprium Officiorum et Missarum, prouti ea omnia a se revisa et correcta in superiori exstant exemplari, probari posse censuerit, Sanctitas sua, referente

me infrascripto Cardinali Sacræ eidem Congregationi Præfecto, Rescriptum sacræ ipsius Congregationis ratum habens, benigne concedere dignata est, ut ab universo Clero sæculari diœceseos Sancti Claudii et a Religiosis ac Monialibus Calendario Diœcesano utentibus, in Horis Canonicis persolvendis atque in Sacro peragendo, idem Calendarium et Proprium in posterum adhiberi valeat; addita tamen conditione, ut, statim atque ea typis cusa fuerint, duplex exemplar ad Sacram Rituum Congregationem transmittatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 7 Julii 1896.

✝ Caj. Card. Aloisi-Masella S. R. C. Præfect.

Locus ✝ sigilli.

Aloisius Tripepi S. R. C. Secret.

Quapropter de Venerabilium fratrum nostrorum Ecclesiæ Nostræ Cathedralis Canonicorum consilio, præsenti nostro mandato omnibus et singulis de Clero nostro qui ad Officium divinum tenentur, mandamus ac præcipimus ut in divinarum Laudum recitatione Missarumque celebratione Ordinem Sancti Claudii proprium subjectum Calendariumque perpetuum ei adnexum adamussim curent observare.

Datum Sancti Claudii sub signo sigilloque nostris ac Secretarii Episcopatus nostri subscriptione, anno Domini 1896, die vero prima mensis Septembris.

✝ CÆSAR J. Episcopus Sancti Claudii.

KALENDARIUM PERPETUUM

AD USUM CLERI CATHEDRALIS

ET DIŒCESIS SANCTI CLAUDII

NOTA. — Quæ rubro caractere notantur Ecclesiæ Sancti Claudii titulo quodam sunt propria, sive quia festum est huic Ecclesiæ peculiare, sive quia ritu superiori in diœcesi gaudet, sive quia translatum est pro eadem diœcesi, e die propria, sive tandem quia est ex iis, quæ pro aliquibus locis tantum conceduntur et in Supplem. Missalis et Breviarii inserta sunt.

FEBRUARIUS

8	Joannis de Matha Conf dupl.
9	Cyrilli Alexandrini Episc. Conf. et Eccl. Doct. dupl. Commem. S. Apolloniæ Virg. et Mart.
10	Scholasticæ Virg. dupl.
11	Apparitionis B. M. V. Immaculatæ, dupl. maj.
12	Pauli, primi Eremitæ, Conf. dupl. (e 15 Januarii).
13	Andreæ Corsini Episc. et Conf. dupl. (e 4 hujus mensis).
14	Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. Conf. dupl. (e 11 huj. mensis). Commem. S. Valentini Presb. et Mart.
15	Raymundi de Pennafort Conf. semid. (e 23 Januarii). Commem. SS. Faustini et Jovitæ Mart.
16	
17	
18	Simeonis Episc. et Mart.
19	
20	
21	
22	Cathedræ S. Petri Antiochiæ, dupl. maj. Commem. S. Pauli Apost.
23	Petri Damiani Ep. Conf. et Eccl. Doct. dupl. Commem. Vigil.
24	MATHIÆ Apost. dupl. 2. classis.
25	
26	
27	
28	Romani Abb. dupl. maj.

In anno bissextili de S. Mathia fit die 25, et de S. Romano die 29.

Feria VI. post Dom. I. Quadrag. SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. dupl. maj.
Feria VI. post Dom. II. Quadrag. SS. Sindonis D. N. J. C. dupl. maj.

MARTIUS

1
2
3
4 Casimiri Conf. semid. Commem. S. Lucii Papæ et Mart.
5
6 Coletæ Virg. dupl. maj.
7 Thomæ Aquinatis Conf. et Eccles. Doct. dupl. Commem. SS. Perpetuæ et Felicitatis Mm.
8 Joannis de Deo Conf. dupl.
9 Franciscæ Romanæ Vid. dupl.
10 Quadraginta Martyrum, semid.
11
12 Gregorii Papæ Conf. et Eccles. Doct. dupl.
13
14
15
16
17 Patritii Episc. et Conf. dupl.
18 Gabrielis Archangeli, dupl. maj.
19 JOSEPH SPONSI B. M. V. dupl. 1. classis.
20 Cyrilli Hierosolymitani Episc. Conf. et Eccles. Doct. dupl. (e 18 hujus).
21 Benedicti Abb. dupl. maj.
22
23
24
25 ANNUNTIATIO B. M. V. dupl. 1. classis.
26
27 Joannis Damasceni Conf. et Eccles. Doct. dupl.
28 Joannis a Capistrano Conf. semid.
29
30
31

Feria VI. post Dom. III. Quadrag. SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C. dupl. maj.
Feria VI. post Dom. IV. Quadrag. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. dupl. maj.
Feria VI. post Dom. Passionis. Septem Dolorum B. M. V. dupl. maj.

APRILIS

1
2 Francisci de Paula Conf. dupl.
3
4 Isidori Episc. Conf. et Eccles. Doct. dupl.

5 Vincentii Ferrerii Conf. dupl.
6
7
8
9
10
11 Leonis Papæ Conf. et Eccles. Doct. dupl.
12
13 Hermenegildi Mart. semid.
14 Justini Mart. dupl. Commem. SS. Tiburtii, Valeriani et Maximi Mm.
15
16 Benedicti Josephi Labre Conf. dupl.
17 Aniceti Papæ et Mart.
18
19
20
21 Anselmi Episc. Conf. et Eccles. Doct. dupl.
22 Soteris et Caii Pont. et Mart. semid.
23 Georgii Mart. dupl.
24 Fidelis a Sigmaringa Mart. dupl.
25 MARCI EVANGELISTÆ, dupl. 2. classis.
26 Cleti et Marcellini Pont. et Mart. semid.
27
28 Pauli a Cruce Conf. dupl. Commem. S. Vitalis Mart.
29 Petri Mart. dupl.
30 Catharinæ Senensis Virg. dupl.

Dominica III. post Pasch. PATROCINII S. JOSEPH SPONSI B. M. V. dupl. 2. classis.

MAIUS

1 PHILIPPI ET JACOBI APOST. dupl. 2. classis. Commem. S. Sigismundi Regis et Sociorum Mm.
2 Athanasii Episc. Conf. et Eccles. Doct. dupl.
3 INVENTIO SANCTISSIMÆ CRUCIS D. N. J. C. dupl. 2. classis. Commem. S. Alexandri Papæ et Soc. Mm. ac Juvenalis Episc. et Conf.
4 Monicæ Viduæ, dupl.
5 Pii V. Papæ et Conf. dupl.
6 Joannis ante portam Latinam, dupl. maj.
7 Stanislai Episc. et Mart. dupl.
8 Apparitionis S. Michaëlis Archang. dupl. maj. Commem. S. Petri Tarentas. Episc. et Conf.
9 Gregorii Nazianzeni Episc. Conf. et Eccles. Doct. dupl.
10 Antonini Episc. et Conf. dupl. Commem. SS. Gordiani et Epimachi Mart.
11
12 Nerei, Achillei, Domitillæ Virg. atque Pancratii Mm. semid.
13
14 Bonifacii Mart.
15 Isidori Agricolæ Conf. dupl.

16 Joannis Nepomuceni Mart. dupl.
17 Paschalis Baylon Conf. dupl.
18 Venantii Mart. dupl.
19 Petri Cælestini Papæ et Conf. dupl. Commem. S. Pudentianæ Virg.
20 Bernardini Senensis Conf. semid.
21 Lupicini Abb. dupl. maj.
22 Ubaldi Episc. et Conf. semid. (e 16 hujus mensis).
23
24 Beatæ Mariæ Virginis sub titulo Auxilium Christianorum, dupl. maj.
25 Gregorii VII. Papæ et Conf. dupl. Commem. S. Urbani Papæ et Mart.
26 Philippi Nerii Conf. dupl. Commem. S. Eleutherii Papæ et Mart.
27 Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. semid. Commem. S. Joannis Papæ et Mart.
28 Augustini Cantuariensis Episc. et Conf. dupl.
29
30 Ferdinandi Regis Conf. dupl. Commem. S. Felicis Papæ et Mart.
31 Angelæ Mericiæ Virg. dupl. Commem. S. Petronillæ Virg.

JUNIUS

1
2 Pothini et Soc. Mart. dupl. Commem. SS. Marcellini, Petri atque Erasmi Mm.
3 Clotildis Reginæ Viduæ, dupl.
4 Francisci Caracciolo Conf. dupl.
5 Bonifacii Episc. et Mart. dupl.
6 CLAUDII EPISC. ET CONF, totius Diœcesis Patroni, dupl. 1. classis cum Oct.
7 Norberti Episc. et Conf. dupl. (ex heri). Commem. Oct.
8 De Octava, semid.
9 De Octava, semid. Commem. SS. Primi et Feliciani Mart.
10 Margaritæ Reginæ Scotiæ, semid. Commem. Oct.
11 Barnabæ Apost. dupl. maj. Commem. Oct
12 Joannis a S. Facundo Conf. dupl. Commem. Oct. et SS. Basilidis et Soc. Mm.
13 Octava S. Claudii Episc. et Conf. dupl.
14 Basilii Magni Episc. Conf. et Eccles. Doct. dupl.
15 Antonii de Padua Conf. dupl. (e 13 hujus). Commem. SS. Viti, Modesti atque Crescentiæ Mm.
16 Ferreoli et Ferrucii Mm. dupl. 2. classis.
17 Joannis Francisci Regis Conf. dupl. (ex heri).
18 Marci et Marcelliani Mm.

ORDO OFFICIORUM

DIŒCESI SANCTI CLAUDII PROPRIORUM

PARS VERNA

FESTA MOBILIA

FERIA VI. POST DOM. I. QUADRAGESIMÆ

SS. LANCEÆ ET CLAVORUM D. N. J. C.

Duplex majus

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

FERIA VI. POST DOM. II. QUADRAGESIMÆ

SACRATISSIMÆ SINDONIS D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

FERIA VI. POST DOM. III. QUADRAGESIMÆ

SS. QUINQUE VULNERUM D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

FERIA VI POST DOM. IV. QUADRAGESIMÆ

PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

FESTA FIXA

FESTA FEBRUARII

DIE XI

APPARITIONIS B. M. V. IMMACULATÆ

Duplex majus.

Omnia ut in Suppl. pro aliq. locis, præter seq.

In II. Vesp. Commem. seq. et Fer.

DIE XII

(e 15 Januarii.)

SANCTI PAULI PRIMI EREMITÆ, CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

In II. Vesp. Apparitionis B. M. V. Immaculatæ, fit Commem. S. Pauli. Ant. Similábo. ℣. Amávit. Orat. seq.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Páuli Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Deinde fit Commem. Feriæ occur.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

IN I. NOCTURNO

Lect. Beátus vir. de Comm. Conf. non Pont. 2° loco.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

PÁULUS, Eremitárum áuctor et magíster, apud inferiórem Thebáidem natus, cum quíndecim esset annórum, orbátus paréntibus est. Qui póstea declinándæ cáusa persecutiónis Décii et Valeriáni, et Deo libérius inserviéndi, in erémi spelúncam se cóntulit : ubi, palma ei victum et vestítum præbénte, vixit ad centésimum et décimum tértium annum, quo témpore ab António nonagenário, Dei admónitu invísitur. Quibus inter se, cum ántea non nossent, próprio nómine consalutántibus, et multa de regno Dei colloquéntibus, corvus, qui ántea semper Páulo dimidiátum panem attúlerat, íntegrum détulit.

℟. Honéstum.

Lectio v.

POST corvi discéssum : Eia, inquit Páulus, Dóminus nobis prándium misit, vere pius, vere miséricors. Sexagínta jam anni sunt, cum accípio quotídie dimídii panis fragméntum, nunc ad advéntum tuum milítibus suis Christus duplicávit annónam. Quare cum gratiárum actióne ad fontem capiéntes cibum, ubi tantísper recreáti sunt, íterum grátiis de more Deo actis, noctem in divínis láudibus consumpsérunt. Dilúculo Páulus de morte, quæ sibi instáret, ádmonens Antónium, hortátur, ut pállium, quod ab Athanásio accéperat, ad involvéndum suum corpus afférret. Quo ex itínere rédiens ille, vidit inter Angelórum choros, inter Prophetárum et Apostolórum cœtus Páuli ánimam in cælum ascéndere.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

CUMQUE ad ejus cellam pervenísset, invénit,

génibus complicátis, erécta cervíce, extensisque in altum mánibus corpus exánime : quod pállio obvólvens, hymnósque et psalmos ex christiána traditióne decántans, cum sárculum, quo terram fóderet, non habéret; duo leónes ex interióre erémo rápido cursu ad beáti senis corpus ferúntur: ut fácile intelligerétur, eos, quo modo póterant, plorátum édere : qui certátim terram pédibus effodiéntes, fóveam, quæ hóminem cómmode cáperet, effecérunt. Qui cum abiissent, Antónius sanctum corpus in eum locum íntulit, et injécta humo, túmulum ex christiáno more compósuit : túnicam vero Páuli, quam in sportæ modum ex palmæ fóliis ille sibi contexúerat, secum áuferens, eo vestitu diébus solémnibus Paschæ et Pentecóstes, quoad vixit, usus est.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11. d

In illo témpore: Respóndens Jesus dixit : Confíteor tibi Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Episcopi.

Serm. 10. de Verbis Domini.

Veníte ad me omnes qui laborátis. Quare enim omnes laborámus, nisi quia sumus hómines mortáles, frágiles, infírmi, lútea vasa portántes, quæ fáciunt ínvicem angústias? Sed si angustiántur vasa carnis, dilaténtur spátia caritátis. Quid ergo dicit: Venite ad me omnes qui laborátis, nisi ut non laborétis? Dénique promíssio ejus in promptu est, quóniam laborántes vocávit. Quærent forte, qua mercéde vocáti sunt. Et ego vos, inquit, refíciam. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, non mundum fabricáre, non cuncta visibília et invisibília creáre, non in ipso mundo mirabília fácere, et mórtuos suscitáre; sed, Quóniam mitis sum, et húmilis corde.

℟. Iste est.

Lectio viij.

Magnus esse vis? a mínimo íncipe. Cógitas magnam fábricam constrúere celsitúdinis? de fundaménto prius cógita

humilitátis. Et quantam quisque vult, et dispónit superimpónere molem ædificii, quanto erit majus ædificium, tanto áltius fodit fundaméntum. Et fábrica quidem cum constrúitur, in supérna consúrgit : qui áutem fodit fundaméntum, ad ima deprímitur. Ergo et fábrica ante celsitúdinem humiliátur, et fastígium post humiliatiónem erígitur.

℟. Sint lumbi.

Lect. ix. de Homil. Fer., cujus Commem. in Laud.

Vesp. a Capit. de seq., Commem. præced. et Fer.

DIE XIII

(e 4 hujus mensis.)

S. ANDREÆ CORSINI

EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq. In Hymno Iste Conféssor. m. t. v.

Oratio.

Deus, qui in Ecclésia tua nova semper instáuras exémpla virtútum : da pópulo tuo beáti Andréæ Confessóris tui atque Pontíficis ita sequi vestígia; ut assequátur et præmia. Per Dóminum.

Commem. præced. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Orat. ut supra.

Deinde Commem. Feriæ.

IN I. NOCTURNO

Lect. Fidélis sermo. de Comm. Conf. Pont.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Andréam, Floréntiæ ex nóbili Corsinórum família natum, paréntes précibus a Deo impetrárunt, et beátæ Vírgini spopondérunt. Qualis áutem futúrus esset, divíno præságio, ántequam nascerétur, osténsum est : nam mater grávida sibi visa est per quiétem lupum edidisse, qui ad Carmelitárum ædem pergens, in ipso templi vestíbulo statim in agnum convérsus est. Adoléscens pie et ingénue educátus, cum sensim ad vítia declináret, sæpe a matre increpátus fuit. Ubi áutem cognóvit, se paréntum voto Deíparæ Vírgini dicátum fuísse, Dei amóre succénsus, deque visu matris admónitus, Carmelitárum institútum ampléxus est, in quo váriis tentatiónibus a dæmone vexátus, numquam tamen pótuit a religiónis propósito dimovéri. Mox Lutétiam missus, eménso studiórum currículo, et láurea donátus, in pátriam revocátur, suíque órdinis re-

gimini in Etrúria præfícitur.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Intérea Fesulána ecclésia, suo viduáta pastóre, eum sibi epíscopum elégit : quo múnere se indígnum ǽstimans, diu látuit ignótus, donec púeri voce mirabíliter loquéntis próditus, et extra urbem invéntus, ne divínæ contradíceret voluntáti, episcopátum suscépit. Ea dignitáte áuctus, humilitáti, quam semper colúerat, impénsius incúbuit : et pastoráli sollicitúdini misericórdiam in páuperes, liberalitátem, oratiónis assiduitátem, vigílias, aliásque virtútes adjúnxit, et spíritu étiam prophético clarus fuit; ádeo ut ejus sánctitas ab ómnibus celebrarétur.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

His permótus Urbánus quintus, ad sedándas Bonóniæ turbas, Andréam legátum misit : quo in múnere multa perpéssus, cívium ódia, quæ ad interneciónem exárserant, summa prudéntia restínxit : tum restitúta tranquillitáte, ad própria revérsus est. Nec multo post assíduis labóribus, et voluntária carnis maceratióne conféctus, óbitus die a beáta Vírgine sibi prædícto, ad cæléstia regna migrávit, anno Dómini millésimo tercentésimo septuagésimo tértio, ætátis suæ septuagésimo primo. Quem Urbánus octávus, multis magnísque miráculis clarum, Sanctórum número adscrípsit. Ejus corpus Floréntiæ, in ecclésia sui órdinis quiéscit, et máxima cívium veneratióne cólitur, quibus non semel in præsénti discrímine præsídio fuit.

℟. Iste est qui.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Homo péregre.

Lect. ix. de Homil. Fer. cujus Commem. in Laud.

Vesp. a Capit. de seq., Commem. præced., Feriæ et S. Valentini Presbyt. et Mart.

DIE XIV

(e 11 hujus mensis.)

SS. SEPTEM FUNDATORUM

ORDINIS SERVORUM B. M. V.

CONFESSORUM

Duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, præter seq.

Vesp. a Capit. de SS. Septem Fundatoribus. Orat. propr. Dómine Jesu Christe.

29

Deinde fit Commem. præced. Ant. Amávit. ℣. Justum. Orat. propr. ut supra. Postea Commem. Feriæ occur., et S. Valentini Presb. et Mart., ut in Proprio Sanctorum.

Lect. ix. de Homil. Feriæ, cujus fit Commem. in Laud.

In II. Vesp. Commem. seq., Feriæ, et SS. Faustini et Jovitæ Mart., ut in Proprio Sanctorum.

DIE XV

(e 23 Januarii.)

S. RAYMUNDI DE PENNAFORT CONFESSORIS

Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont., præter seq.

In II. Vesp. de SS. Septem Fundatoribus, Commem. S. Raymundi. Ant. Similábo. ℣. Amávit. Orat. seq.

Oratio.

Deus, qui beátum Raymúndum pœniténtiæ sacraménti insignem minístrum elegísti, et per maris undas mirabíliter traduxísti : concéde; ut ejus intercessióne dignos pœniténtiæ fructus fácere, et ad ætérnæ salútis portum pervenire valeámus. Per Dóminum.

Deinde fit Commem. Feriæ, et SS. Faustini et Jovitæ Martyrum.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

IN I. NOCTURNO

Lect. Beátus vir. de Comm. 2º loco.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Beátus Raymúndus Barcinonénsis, ex nóbili família de Pénnafort, christiánæ religiónis rudiméntis imbútus, adhuc párvulus exímia ánimi et córporis indole magnum áliquid porténdere visus est. Nam adoléscens humanióres litteras in pátria proféssus, Bonóniam se cóntulit, ubi pietátis offíciis, ac pontifício civilíque juri sédulo incúmbens, et doctóris láurea insignítus, ibídem sacros cánones magna cum hóminum admiratióne est interpretátus. Ejus virtútum fama percrebrescénte, Berengárius Barcinonénsis episcopus, cum Roma suam ad ecclésiam redíret, eum conveniéndi cáusa Bonóniam iter instítuit, et tandem summis précibus, ut secum in pátriam reverterétur, obtínuit. Mox ejúsdem ecclésiæ canonicátu et præpositúra ornátus, univérso clero et pópulo, integritáte, modéstia, do-

ctrína, et morum suavitáte præfúlsit, ac Deiparæ Vírginis, quam singulári pietátis afféctu venerabátur, honórem et cultum semper pro víribus áuxit.

℟. Honéstum.

Lectio v.

Annum círciter quintum supra quadragésimum agens, in órdine fratrum Prædicatórum solémni emíssa professióne, ut novus miles in omni virtútum génere, sed præcípue in caritáte erga egénos et máxime captívos ab infidélibus deténtos, se exércuit. Unde cum ejus hortátu sanctus Petrus Noláscus, cujus ipse confessiónes audiébat, suas opes piíssimo huic óperi conférret, tum eídem, tum beáto Raymúndo, et Jacóbo primo Aragóniæ regi appárens beatíssima Virgo, gratíssimum sibi et unigénito Fílio suo fore dixit, si in suum honórem instituerétur ordo religiosórum, quibus captívos ex infidélium tyránnide liberándi cura incúmberet. Quare collátis inter se consíliis, órdinem beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis Captivórum fundavérunt: cui beátus Raymúndus certas vivéndi leges præscrípsit ad ejúsdem órdinis vocatiónem accommodatíssimas, quarum approbatiónem, áliquot post annos, a Gregório nono impetrávit, et dictum sanctum Petrum primum Generálem órdinis magístrum suis ipse mánibus hábitu eódem indútum creávit.

℟. Amávit.

Lectio vj.

Ab eódem Gregório Romam accersítus, et capelláni ac pœnitentiárii et confessárii sui múnere decorátus, ejúsdem jussu Romanórum Pontíficum decréta, in divérsis concíliis et epístolis sparsa, in unum Decretálium volúmen redégit. Archiepiscopátum Tarraconénsem ab ipso Pontífice sibi oblátum constantíssime recusávit, et totíus órdinis Prædicatórum generále magistérium, quod per biénnium sanctíssime administráverat, sponte dimísit. Jacóbo Aragóniæ regi sacræ Inquisitiónis offícii suis in regnis instituéndi áuctor fuit. Multa patrávit mirácula, inter quæ illud clioríssimum, quod ex ínsula Baleári Majóri Barcinónem reversúrus, strato super aquas pállio, centum sexagínta milliária sex horis

confécerit, et suum cœnóbium jánuis cláusis fúerit ingréssus. Tandem prope centenárius, virtútibus et méritis cumulátus, obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo ducentésimo septuagésimo quinto, quem Clemens octávus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Sint lumbi vestri. de Comm.

Lect. ix. de Homil. Fer., cujus Commem. in Laud.

Deinde Commem. SS. Faustini et Jovitæ.

In II. Vesp. Commem. Feriæ.

DIE XXVIII

SANCTI ROMANI

ABBATIS

Duplex majus.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Oratio.

CONCÉDE, quæsumus omnípotens Deus : ut beáti Románi Abbátis solémnia recenséntes; méritis ipsíus protegámur et précibus. Per Dóminum.

Et fit Commem. Feriæ.

IN I. NOCTURNO

Lect. Beátus vir. de Comm. 2° loco.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

ROMÁNUS, Isarnodóri apud Séquanos honésta família, inítio quinti sǽculi, natus, præcláram índolem a pueritia præse tulit. Ætáte matúrior a Sabíno, Lugdunénsis Interámnis abbáte, vitæ monásticæ præcépta páriter et exémpla traxit; quibus imbútus et secrétis erémi delectátus, matre, soróre ac fratre domi relíctis, abditíssimas Jurénsium silvas ingréssus est, annum agens ætátis trigésimum quintum. Primus ómnium in Sequanórum província monásticam aut anachoréticam ex institúto proféssus vitam, sistit in loco cui Condátum nomen índidit, ob plures flúvios in unum ibidem confluéntes.

℟. Honéstum.

Lectio v.

ROMÁNUS jamprídem vita fruebátur angélica, cum ipsíus frater natu inférior Lupicínus, ab eo per visum admónitus, relíctis étiam ob amórem Christi soróre et matre, fratris sui pétiit tugúrium et professiónem ampléxus est. Illis se adjunxérunt clérici duo Nividunénses, exinde álii pene innumerábiles. Románus

duo statim monastéria, álterum Condáti, Laucóni álterum ædificávit; tértium deínde exstrúxit in Valdénsi pago, diœcésis Lausannénsis. Insuper in édita balma haud longe a Laucóno fundávit cœnóbium, ubi soror ejus Iola centum ámplius moniálibus mox præfuit, et quod póstea priorátus monachórum factum, sancti Románi de Rupe nuncupátum est. ℟. Amávit.

Lectio vj.

Audíta sanctórum ascetárum fama, sanctus Hilárius Arelaténsis epíscopus, qui tunc Apostólicum legátum agébat per Gállias, Románum non longe a Vesuntióne arcessítum, collaudáto vitæ ejus institúto, presbýterum consecrávit. Quo ex honóre factus modéstior, níhilo quam ántea minus totíus reguláris disciplínæ formam sese exhíbuit; tum áliis virtútum instrúctus ornaméntis, tum caritáte imprímis et suavitáte insígni, qua ómnibus jugum Christi leniébat, ac vitæ severióris asperitátem mira arte mitigábat. Morbo corréptus et de sui tránsitus hora, revelánte Dómino, certus, frátribus ad se vocátis, pacem Christi, quam ipse puro ac mansuéto semper servávit afféctu, magnam hereditátem distríbuit. Germánum tandem Lupicínum osculátus, fraternitátem cunctam amóre pastoráli regéndam ei commendávit; et lætus exhalávit ánimam prídie Kaléndas Mártias. In ecclésia supra laudatárum moniálium pro voto suo cónditus, multis post mortem cláruit miráculis. ℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vij. Cap. 11. d

In illo témpore: Respóndens Jesus dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 38. 2.

Veníte ad me, qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Non hic et ille, sed omnes qui in sollicitúdine, in tristítia, in peccátis estis. Veníte, non ut pœnas éxpetam, sed ut peccáta solvam. Veníte, non quod glória vestra égeam, sed quod salútem vestram sítiam: ego, ínquit, refíciam vos. Tóllite jugum meum

super vos, et discite a me quia mitis sum et húmilis corde, et inveniétis réquiem animábus vestris; jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. Ne timeátis, inquit, cum jugum audítis; suáve quippe est; ne formidétis quia dixi : onus; leve quippe est.

℟. Iste est.

Lectio viij.

Et quómodo supra dixit : Angústa est porta et arcta via? Nempe si segnis sis, si remissus : ut si supra dicta perféceris, leve erit onus; idcirco nunc illud hujúsmodi esse dixit. Quómodo áutem id perfícitur? Si húmilis fúeris, mansuétus et modéstus. Hæc quippe virtus mater est omnis philosophiæ. Quaprópter leges divínas éfferens hinc incepit. Hic quoque rursum idípsum facit, magnámque ponit mercédem; non tantum enim, inquit, álteri útilis eris, sed ante omnes tibi réquiem paras. Inveniétis enim réquiem animábus vestris. Ante futúra jam hic tibi dat mercédem, et bravíum nunc præbet.

℟. Sint lumbi.

Lect. ix. de Homil. Feriæ occur., cujus Commem. in Laud.

In II. Vesp. Commem. Feriæ occur.

FESTA MARTII

DIE VI

SANCTÆ COLETÆ

VIRGINIS

Duplex majus.

Omnia de Comm. Virg., præter seq.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui beátam Colétam, sponsam tuam, innúmeris dótibus decorásti : tribue quǽsumus; ut quo spíritu seráphicam régulam pristínæ puritáti restítuit, eódem intus reformári mereámur : Qui vivis.

Et fit Commem. Feriæ.

IN I. NOCTURNO

Lect. De virgínibus. de Comm. 1° loco.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Colēta Corbéiam, Picárdiæ civitátem diœcésis Ambianénsis, natálibus et sanctitáte illustrávit. Hæc ab ineúnte ætáte mirábilem se exhibuit,

máxime austeritáte vitæ, caritáte in páuperes, et pietáte in Deum et próximum. Utróque parénte orbáta, nihil eórum quæ ab ipsis accéperat sibi retínuit; et sǽculo renúntians, in reclusórium secéssit, ubi per triénnium moráta, austeriórem quam ántea vitam egit; humi cubans, cápite super saxum reclináto, carnem caténis ac cilício, vigíliis, jejúniis ac flagellatiónibus usque ad sánguinis effusiónem excrúcians, vota professiónis religiósæ emísit et ad perpétuam clausúram sese obstrínxit. Verum de suscipiénda órdinis Clarissárum reformatióne, divínitus admónita, e reclusório, de licéntia superiórum egréditur, et facultátem óbtinet hábitum sanctæ Claræ suscipiéndi et ejus primǽvam régulam quantúmvis rígidam instaurándi ac profiténdi, et áliis profiténdam proponéndi.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Eo ánimo Vesuntiónem plúribus cum sóciis venit. Omnes eum vivéndi modum qui olim vigúerat ampléxæ sunt tanto fervóre, ut ab eo ne mínimum quidem umquam defécerint. Vivébant enim in vera paupertáte, nullos réditus aut certa bona possidéntes in particulári, neque in commúni, toto anni spátio perpétuum servántes jejúnium, numquam cárnibus vescéntes, æstáte et hieme nudis pédibus incedéntes, arctíssima clausúra ab hóminum commércio separátæ. Sanctus Vincéntius Ferrérius, divíno mónitu, Poliniácum se cóntulit, ut beátam reformatrícem inviseret. Multos cum ea de rebus cæléstibus et de pace Ecclésiæ procuránda sermónes míscuit. Tum ambo collátis consíliis ad archiepíscopum Bisuntínum, qui tunc concílio Constantiénsi áderat, lítteras misérunt, quibus coram sýnodo perléctis, intellexérunt Patres instáre diem qua omnes Christi oves sub uno Pastóre congregaréntur; moxque eléctio Martíni quinti infáusto schísmati finem impósuit. Multa monastéria Coléta reformávit; multa étiam fundávit, inter quæ Poliniacénse in Gállia, cui per decem annos præfuit, et Gandavénse in Bélgio, ubi vita decéssit. Miráculis ante et post óbitum

claram Sixtus quartus Beátam pronuntiávit, et Sanctórum albo Pius séptimus adscripsit.

℟. Dilexísti.

Lectio vj.

Anno Dómini millésimo septingentésimo octogésimo tértio, Clarissæ Gandavénses e cœnóbio depúlsæ, Poliniacénses Clarissas adierunt cum máxima parte sanctæ Colétæ reliquiárum, quæ deinceps in hoc monastério magna cum veneratióne fuérunt conservátæ. Anno áutem millésimo septingentésimo nonagésimo quarto, sceléstis et sacrilegis hominibus templa vastántibus, hæ sacræ reliquiæ pia fidélium cura sunt abscónditæ. Póstea vero e novo recógnitæ, in ecclésia parochiáli, ómnium veneratióni fuérunt expósitæ, et tandem archiepiscopi Bisuntini jussu, ad Clarissárum monastérium solémniter dénuo translátæ, ibi singulári fidélium pietáte colúntur.

℟. Afferéntur.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Simile erit... decem virginibus. de Comm. 1° loco.

Lect. ix. de Homil. Feriæ, cujus fit Commem. in Laud.

In II. Vesp. Commem. seq. ut in Proprio Sanct.; Fer. occur. et SS. Perpetuæ et Felicitatis Mart. ut in Proprio Sanctorum.

DIE XVIII

S. GABRIELIS ARCH.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

DIE XX

(e 18 hujus mensis.)

S. CYRILLI HIEROSOLYMITAN.

EPISC. CONF.

ET ECCLESIÆ DOCTORIS

Duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, die 18 Martii, præter seq.

In II. Vesp. S. Joseph, Commem. S. Cyrilli. Ant. O Doctor. et Feriæ.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

Vesp. de seq. Commem. præced. Ant. O Doctor. et Fer.

FESTA APRILIS

DIE XVI
S. BENEDICTI JOSEPHI LABRE
CONFESSORIS
Duplex.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

DIE XXIII
S. GEORGII MART.
Duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, præter seq.

I. Vesp. integræ dicuntur de Communi unius Mart., cum Orat. propr. Deus, qui nos.

Deinde fit Commem. SS. Soteris et Caii Mart.

Vesperæ a Capitulo de seq. cum Commem. præced., ut in Proprio Sanctorum.

FESTA MAII

DIE I
SS. PHILIPPI ET JACOBI
APOSTOLORUM
Duplex 2. classis.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, præter seq.

Pro S. Sigismundo et Soc.

Lectio ix.

Sigismúndum, Gundobáldi Burgundiónum regis filium, post ejurátam ariánam hǽresim, qua inféctus erat, ea devótio accéndit, ut diu noctúque in vigiliis, jejúniis et oratiónibus persisteret. Regnum post mortem patris adéptus, ita negótiis regni vacábat, ut de sua salúte magis sollícitus esset. Dum hæréticos non intermisso stúdio persequebátur, máxime cavébat ne recénter convérsi eórum fráudibus deciperéntur; ipsiúsque zelum láudat sanctus Avítus. Mórtua cónjuge, áliam dúxerat, cujus nequissimis consíliis fílium suum Sigerícum, quem ex prióre uxóre suscéperat, intérfici jussit. Facti pœnitens, Agáunum se cóntulit, ut sanctórum Mauritii et sociórum mártyrum méritis véniam impetráret. Ibi dies contínuos in fletu et jejúniis ita transégit, ut et peccáti véniam et mercédem mártyrum una cum uxóre accípere merúerit. Circa annum Dómini vi-

gésimum quartum supra quingentésimum, Clodomírus rex Aurelianénsis Sigismúndum cum duóbus fíliis et uxóre in púteum prójici jussit. Ibi triénnio latuérunt sacra córpora, donec ab Agaunénsi abbáte divínitus admónito, Theodebérti regis permíssu inde extrácta, ad sanctórum Thebæórum límina honorífice deláta sunt. Sacræ eórum relíquiæ, áliæ álio translátæ, multis et insígnibus miráculis claruérunt.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. Commem. SS. Sigismundi et Soc. Mart. Ant. Fíliæ Jerúsalem. ℣. Sancti et justi. Orat. Deus qui nos concédis. de Comm. plur. Mart.

In II. Vesp. ut in Proprio Sanctorum.

DIE VIII

APPARITIONIS S. MICHAELIS

ARCHANGELI

Duplex majus.

Omnia ut in Proprio Sanct. hac die, præter seq.

In I. Vesp. Commem. S. Stanislai et S. Petri Tarentasiensis Episc. et Conf. Ant. Sacérdos. ℣. Amávit.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Petri Confessóris tui atque Pontíficis illumináre dignátus es gloriósis méritis ac doctrínis: concéde propítius; ut ipsíus perpétuis muniámur suffrágiis, cujus innúmeris mirificæ sanctitátis irradiámur exémplis. Per Dóminum.

Pro S. Petro Episcopo.

Lectio ix.

Petrus in Viennénsi diœcési natus, cœnóbium Bonæ Vallis, Ordinis Cisterciénsis, ingréssus, póstea abbas Stamediénsis eléctus, mox ad episcopátum Tarentasiénsem evéhitur, ómnium votis, non suis. Láudes sanctitáti suæ ab ómnibus persolútas pertiméscens, in Germániam secéssit, ibi latitáre cúpidus; verum detéctus, ad sedem redíre coáctus est. Vicínas regiónes Dei glóriæ promovéndæ stúdio perlústrans, innúmera patrávit mirácula; quorum multa apud Sanctum Cláudium facta, in conciónibus virtúti gloriósi Pontíficis præ humilitáte referébat. Tunc témporis Herbértus, archiepíscopus Bisuntínus, schismátis fáutor, clerum ac pópulum legítimo Pontífici Alexándro tértio addictíssimum opprimébat. Opportúne supérvenit Petrus: nam páulo post ejus

advéntum, mórtuo schismático, Dóminus tyránnidi finem impósuit. Missus Petrus a Summo Pontífice ad Gálliæ et Angliæ reges pacis inter eos componéndæ grátia, cum reverterétur, in morbum incidit in abbátia Bellevallénsi, diœcésis Bisuntínæ, ibique Deo ánimam réddidit, anno millésimo centésimo septuagésimo quarto, ætátis suæ septuagésimo tértio.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. Commem. S. Petri. Ant. Euge serve. ℣. Justum. Orat. ut supra.

In II. Vesp. Commem. seq. ut in Proprio Sanctorum.

DIE XV

S. ISIDORI AGRICOLÆ

CONFESSORIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter Orat. et Lect. II. Noct., ut in Supplem. pro aliquibus locis.

Vesperæ a Capitulo de seq., Commem. præced.

DIE XVI

S. JOANNIS NEPOMUCENI

MARTYRIS

Duplex.

Omnia ut in Comm. unius Mart., præter seq. Vesperæ a Capit. de S. Joanne. Oratio propr. in Suppl. pro aliq. loc. Commem. præced. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Orat. Da nobis, quǽsumus. in Supplem.

Lect. II. et III. Noct., ut in Supplemento pro aliquibus locis 1° loco.

Vesperæ a Capitulo de S. Paschali Baylon Conf. cum Commem. præced. Ant. Sancti et justi. ℣. Pretiósa. Orat. propria in Supplem.

DIE XXI

SANCTI LUPICINI

ABBATIS

Duplex majus.

Omnia de Communi Conf. non Pont., præter seq.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

Oratio.

Deus, cujus múnere beátus Lupicinus Abbas multíplici glória sanctæ conversatiónis emícuit: præsta quǽsumus; sic nos beatitúdinis ejus mérita venerári, ut ejúsdem valeámus sublevári suffrágiis. Per Dóminum.

Commem. S. Bernardini, ut in Proprio Sanctorum.

IN I. NOCTURNO

Lect. Beátus vir. de Comm. 2° loco.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Lupicínus, per visum in somnis a fratre Románo natu majóre admónitus, ad ipsum in Jurénsi erémo jam diu demorántem sese cóntulit. Tantum in ejus disciplína profécit, ut, brevi témpore in partem regíminis adscítus, cum ipso monastériis Condaténsi et Lauconénsi sociáliter præfúerit. Mórtuo Románo, per multos annos utrúmque cœnóbium Lupicínus gubernávit. Ad severióris institúti disciplínam suo exémplo fratres próvocans, eam vitam agébat quæ sanctórum Thebáidis eremitárum mores et austeritátem exprímeret.

℟. Honéstum.

Lectio v.

Victum de radícibus herbárum quærébat. Vigíliis, jejúniis, aliísque pœniténtiæ acerbitátibus, corpus castigábat. Túnica de divérsis quadrúpedum assúta pellículis cuculláque páriter vilíssima erat indútus, solúmmodo calceaméntis utens cum e monastério, propter utilitátem fratrum, vel áliam quamcúmque necessitátem, egrederétur. Lectum aut straménta numquam adhíbuit. Cǽteris enim in léctulos recedéntibus, in oratórium meditatúrus intrábat, et ibi tantum capiébat somni quantum ei fesso, ad sedíle reclívo, natúra subripiébat; aliquándo tamen sæviénte ácrius frígore, robóreo córtice in cunæ modum caváto pro lecto utebátur. A professióne monástica vinum non bibit. Austeritáti morum in beáto abbáte accedébant auctóritas et sincéritas in sermóne, cáritas et lénitas in ópere. Ad tuéndos páuperes et oppréssos promptus, ardénti zelo necnon efficácia mirábili ánimi morbos curábat.

℟. Amávit.

Lectio vj.

Jam invalescénte senectúte, Lupicínus dignum Condaténsi cœnóbio præfécit abbátem. Páulo post plenus diérum, designáto étiam successóre qui, se mórtuo, Lauconénse monastérium régeret, obdormívit in Dómino. Corpus ejus a discípulis sepúlcro honoríficé cónditum, destrúcto monastério, diu látuit; donec, anno millésimo sexcentésimo octogésimo nono, repértus est in ecclésia ejus nómine dicáta lóculus, cui inscrípta erant hæc verba : Hic

requiéscit beátus Lupicínus Abbas. Quarum facta recognitióne reliquiárum, archiepiscopus Bisuntínus, eásdem in dicto lóculo custodíri et públicæ veneratióni fidélium expóni solémni decréto declarávit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ecce nos. de Comm. Abbat. 1° loco.

In II. Vesp. Commem. seq., ut in Proprio Sanctorum (die 16 Maii).

DIE XXII

(e 16 Maii.)

SANCTI UBALDI

EPISCOPI ET CONFESSORIS

Semiduplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum (die 16 hujus mensis), præter seq.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

In II. Vesp. omnia ut in Comm. Conf. Pont. cum Orat. propr., ut in Proprio Sanctorum.

DIE XXIV

Bᵀᴬᴱ MARIÆ VIRGINIS

SUB TITULO

AUXILIUM CHRISTIANORUM

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

DIE XXX

SANCTI FERDINANDI

REGIS CONFESSORIS

Duplex.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, præter seq.

In I. Vesp. Commem. S. Felicis Papæ et Mart., ut in Proprio Sanctorum hac die.

Lect. ix. de S. Felice, cujus Commem. in Laudibus.

Vesperæ a Capitulo de sequenti. Commem. præcedentis. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Oratio propria.

Deinde Commem. S. Petronillæ Virg. et Mart. per Ant. et ℣. de Laud. Orat. Exáudi. de Comm. Virg.

FESTA JUNII

DIE II

SS. POTHINI ET SOC.

MARTYRUM

Duplex.

Omnia de Comm. plur. Mart., præter seq.

Orat. Deus, qui nos concédis.

In I. Vesp. Commem. SS. Marcellini, Petri atque Erasmi Mart. per Ant. et ℣. de Laud.

35

Orat. propr. in Proprio Sanctorum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

BEATÍSSIMUS Pothínus, Ecclésiæ Lugdunénsis episcopus, nonagenário major, ob córporis infirmitátem vix spiritum trahens, sed præ cupiditáte martýrii, mira alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal trahebátur. Quo perlátus, prosequéntibus ipsum magistrátibus civitátis et univérsa plebe váriis eum clamóribus impeténte, tamquam ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium. Interrogátus a præside quisnam esset Christianórum Deus, respóndit : Si dignus fúeris, cognósces. Post hæc, inhumáne raptátus et innúmeris plagis afféctus est; cum ii quidem qui própius adstábant, cálcibus et pugnis illum contumeliόse appéterent; qui vero lóngius distábant, quidquid ad manum erat in ipsum conjícerent : omnes dénique gravissimi piáculi reos se existimárent, nisi pro sua quisque parte ei petulánter insultárent. Quippe hoc modo injúriam deórum suórum ultúros se arbitrabántur. Exínde vix adhuc spirans, in cárcerem projéctus est; tandémque post biduum ánimam exhalávit.

℟. Lux perpétua.

Lectio v.

MATÚRUS vero neóphytus, et Sanctus, diáconus Viennénsis, cum Blandína ancilla et Attalo, ducti sunt ad béstias in amphitheátrum. Et Matúrus quidem ac Sanctus consuéta illic flagrórum vérbera pertulérunt, et bestiárum ipsos trahéntium morsus, ipsam postrémo férream cáthedram, cui superpósita mártyrum membra cum torreréntur, illórum nares molestíssimus nidor implébat. Hi ergo máximo certámine perfúncti, tandem juguláti sunt. Blandína áutem ad palum suspénsa béstiis objécta est. Quæ cum in crucis spécie suspénsa cernerétur, Deóque intentíssime supplicáret, máximam alacritátem addébat certántibus; quippe qui sub sorόris persóna cérnerent illum qui pro ipsis crucifíxus est. Cumque nulla tunc béstia corpus ejus attigísset, depósita ex stípite, rursus in cárcerem conjícitur, in áliud

certámen reserváta. Attalus quoque, cum per amphitheátrum circumducerétur, præcedénte eum tabélla in qua latíno sermóne scriptum erat : Hic est Attalus christiánus; præses, postquam civem románum eum esse cómperit, redúci in custódiam jubet, lítteris ad Cæsarem datis de his qui inclúsi tenebántur.

℟. In servis suis.

Lectio vj.

INEÚNTE igitur solémni apud nos mercátu, præses addúci jubet mártyres ad tribúnal, tamquam in theatráli pompa eos pópulis osténtans. Cumque illos dénuo interrogásset, quicúmque cives románi repérti sunt, eos cápite truncávit, réliquos trádidit béstiis. Cæterum, ingens glória accéssit Christo per eos qui prius quidem negáverant, tunc vero confitebántur fidem. Quibus exámini subjéctis, Alexánder, natióne Phryx, professióne médicus, plures jam annos morátus in Gálliis, cum illos ad fídei confessiónem nútibus hortarétur, cunctis qui tribúnal circúmdabant, tamquam partúriens videbátur. Instans íllico præses, interrogávit eum quis esset. Qui cum Christiánum se esse dixísset, irátus judex eum ad béstias damnávit. Postrídie ígitur una cum Attalo ingréssus est : nam et hunc præses béstiis íterum tradíderat. Ambo ítaque cum ómnia tormentórum génera in amphitheátro sustinuíssent, gládio percússi sunt. Ultimo tandem spectaculórum die, Blandína rursus illáta est, una cum Póntico adolescénte, quindecim círciter annos nato. Et Pónticus quidem, cuncta supplícia generóse perpéssus, emísit spíritum. Beáta vero Blandína, post flagra, post béstias, post sartáginem, retículo inclúsa, táuro objécta est : a quo diu in altum jactáta, tandem et ipsa, instar víctimæ, juguláta est.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ego sum... Iste locus. de Communi.

Lect. ix. de SS. Marcellino et Soc. (duabus in unam junctis).

Commem. SS. Mart. in Laud. Ant. et ℣. de I. Vesp.

Vesp. a Capit. de seq. Commemoratio præcedentis.

DIE III

SANCTÆ CLOTILDIS

REGINÆ, VIDUÆ

Duplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart., præter seq.

Oratio.

RÉSPICE, quǽsumus Dómine, ad Francórum benignus impérium: et quibus per devótam sanctæ Clotildis instántiam donum fidei contulisti; iisdem nunc per ejus intercessiónem tríbue sincérum christiánæ pietátis affectum. Per Dóminum.

Commem. SS. Pothini et Soc. Mart. Ant. Sancti et justi. ℣. Pretiósa. Orat. Deus, qui nos concédis.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

CLOTÍLDIS, Chilperici Burgundiónum regis filia, post paréntum necem, a pátruo Gundobáldo rege educáta, Clodovǽo adhuc éthnico in cónjugem trádita est. Cum primogénitum peperísset, eum, toleránte magis quam approbánte Clodovǽo, baptizári jussit. Quo infánte in albis defúncto, id ægre ádmodum tulit Clodovǽus, ac baptismo imputávit. Alterum filium regina cum genuisset, hunc quoque baptizári vóluit. Qui cum ægrotáre cœpisset, affirmánte rege fore ut idem ei quod fratri contingeret, matris précibus convâluit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

INTERIM regina non cessábat hortári virum, ut, abjécta idololátria, Deum verum cóleret: sed ille superstitióni Francórum adhærére non déstitit, donec in expeditióne Allemánica, jam inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Remos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium, a quo rex, fidem edóctus, baptizátus est et chrísmate sancto inúnctus.

℟. Dilexísti.

Lectio vj.

POST mortem Clodovǽi, Túrones ádiit Clotíldis; ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni summa pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemósynis aliísque piis opéribus inténta, munífica erga ecclésias et monastéria. Tandem plena dié-

rum, Turónibus migrávit ad Dóminum; et Parísios inter psalléntium choros transláta, sepúlta est a fíliis Childebérto et Clotário régibus, ad latus Clodovǽi, in sacrário basílicæ beatórum Petri et Páuli, ubi corpus sanctæ Genovéfæ quiéscit.

℟. Fallax grátia.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Símile est. de Comm. nec Virg. nec Mart.

Vesp. a Capit. de S. Francisco, ut in Proprio Sanctorum.

Commem. præcedentis. Ant. Manum suam. ℣. Diffúsa est. Orat. propr. ut supra.

DIE VI

S. CLAUDII EPISC. DIŒCESIS PATRONI

Duplex 1. classis cum Oct.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq.

IN I. VESPERIS

Ant. de Laud.; Pss. de Dom., et loco ult. Ps. Laudáte Dóminum omnes gentes.

Capitulum. Eccli. 44. c

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus.

Cláudii sanctos imitáre mores,
Qui cupis vero celebráre cultu;
Ipse nam grato solet hos honóres
Cérnere vultu.

Dótibus claris meritísque plenis
Jam senes vincit, júvenis modéstus,
Castus, et strictis cóhibens habénis
Córporis æstus.

In Bisuntínis adoléscit aris;
Factus est præstans ibi forma cleri,
Parvus in magnis, humilísque claris
Gáudet habéri.

Inde contémpto rútilans honóre,
Factus est summus pátriæ minister;
Pastor est cura, pater est amóre,
Voce magíster.

Pergit in silvas fúgiens tumúltum;

Plángitur luctu fuga funeráli,
Principes ornant, micat ordo multum
Præsule tali.

Cælites vivens imitátus ille
Scandit in cælum; manet illibátum
Corpus; hunc reddunt sibi parta mille
Dona beátum.

Sint tibi pláusus, tibi sint honóres,
Dona qui servo tríbuis fidéli,
Et beas sanctos hóminum labóres
Múnere cæli.

Amen.

℣. Elégit Dóminus servum suum, allelúia. ℟. Páscere hereditátem suam, allelúia.

Ad Magnif. Ant. Dóminus * státuit illi testaméntum ætérnum; et dedit illi sacerdótium gentis, et beatificávit eum in glória. Allelúia.

Oratio.

Deus, qui beátum Cláudium, Confessórem tuum atque Pontíficem, ut tibi soli víveret, sǽculo renuntiáre fecísti: da nobis ejus imitatióne; terréna ómnia despícere et amáre cæléstia. Per.

AD MATUTINUM

Invit. de Comm. Hymn. Cláudii sanctos. ut supra.

IN I. NOCTURNO

Lect. Fidélis sermo. de Comm. Conf. Pont. 1° loco.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Cláudius in Burgúndia orientáli apud Salinénses nóbili génere natus est. Ecclésiæ Vesuntionénsi adscríptus, pietáte ac doctrína mirum in modum enítuit. Ejúsdem ecclésiæ post óbitum Gervásii eléctus episcopus, sacrum honórem fuga declináre tentávit. Delítuit aliquámdiu: sed ágnito Dei consílio, pastorále assúmpsit munus. Quod cum per septénnium sanctíssime exercuísset, in Jurénsi cœnóbio sancti Eugéndi, monásticum institútum ampléxus est. Totus in observándis reguláris disciplínæ légibus, ita præfúlsit, ut Injuriósus, hujúsce monastérii sanctíssimus abbas, sibi eum adhuc vivens successórem habére volúerit. At ne id fíeret, fórtiter óbstitit Cláudius, dignum se réputans qui subésset ómnibus, indígnum qui vel uni præficerétur.

℟. Invéni.

Lectio v.

Erépto e vivis abbáte Injurióso, quod præ hu-

militáte recusáverat Cláudius, póstmodum commúni fratrum electióne et unánimi supplicatióne victus, accépit, licet vix triénnium in monastério peregísset. Tam gravi múnere per longam annórum sériem pie ádmodum et laudabíliter functus, ábiit ad Dóminum et sepúltus est in ecclésia sancti Eugéndi. Ejus sepúlcrum crebris nobilitátum est miráculis. Cum áutem sǽculo décimo tértio, Hubértus a Buénco, ejúsdem cœnóbii abbas, Cláudii corpus e sepúlcro voluísset edúcere, íntegrum illud réperit, inclusítque in capsa argéntea, in qua máxima cum veneratióne illǽsum et incorrúptum conservátum est. Tanta fuit miraculórum quæ Deus operátus est ad relíquias sancti Cláudii fama, ut monastérium quod prius sancti Eugéndi nómine notum erat, exínde sancti Cláudii nuncupátum fúerit, et, anno millésimo septingentésimo quadragésimo secúndo, ejus ecclésia in cathedrálem a Benedícto décimo quarto erécta fúerit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

Quanto in honóre fúerit sanctus Cláudius, indícium est, quod festum ejus per totam fere Gálliam celebrétur. Testántur étiam plures sub ejus nómine sodalitátes eréctæ, probant suscéptæ ad ejus túmulum peregrinatiónes. Tot enim ad illum confluxérunt úndique pópuli, étiam a remotióribus locis, ut inter celebérrimas Európæ pias peregrinatiónes habeátur peregrinátio ad sanctum Cláudium. Ipse Ludovícus undécimus, Gálliæ rex, multo cum comitátu ad ejus relíquias iter suscépit anno millésimo quadringentésimo octogésimo primo, atque monastérium plúrimis reditibus et fundatiónibus ditávit. Anna, Ludovíci duodécimi uxor, sanctum Cláudium tam impénse colébat, ut fíliam suam ejus nómine appellári volúerit. Ejus miracula sanctus Franciscus Salésius in fídei cathólicæ testimónium afferébat, ejus relíquias magna cum devotióne visitábat, et ad ejus túmulum, societátis Visitatiónis Beátæ Maríæ Vírginis, cum beáta Joánna Francísca fundaménta jecit. Exstat Romæ sub beáti Cláudii invocatióne ecclésia quæ Burgundiónum nuncupátur, in qua

ejus festum magna cum solemnitáte perágitur.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Vigiláte... Ut ignorántiam. de Comm. Conf. Pont. 2° loco.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1. Invéni virum * secúndum cor meum, qui fáciet omnes voluntátes meas, allelúia.

Ps. Dóminus regnávit. cum reliq. de Dom.

2. Zelándo * zelum Dei, accépit testimónium sacerdótii ætérni, allelúia.

3. Deus dixit * ad illum: Exi de terra tua et de cognatióne tua, et veni in terram quam monstrávero tibi, allelúia.

4. Circa illum * coróna fratrum, et quasi plantátio cedri in Líbano; sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ, allelúia.

5. Defóssus * secúrus dórmies, et deprecabúntur fáciem tuam plúrimi, allelúia.

Capit. Ecce sacérdos. ut in I. Vesp.

Hymnus.

Jesu sacerdótum decus,
In hac die, qua glória
Sanctum corónas præsulem,
Votis adésto súpplicum.

Sui probátus prǽmium
Amóris, et pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit agnos páscere,

Hos novit et præit vocans
In tuta quemque páscua,
Victúmque præbet; áudiunt,
Sequúntur, et vivunt oves.

Erráre si quam sénserit,
Hanc nocte quǽrit ac die,
Et gáudet invéntam suo
Portans ovíli réddere.

Arcet freméntes béstias,
Lupi retúndit ímpetus
Dolósque fallit, vel mori
Caro parátus pro grege.

Supréme, Christe, Póntifex,
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso, allelúia. ℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus, allelúia.

Ad Bened. Ant. Dormívit * et osténdit finem vitæ, et exaltávit vocem suam in prophetia, allelúia.

Orat. Deus, qui beátum Cláudium. ut supra.

IN II. VESPERIS

Ant. Invéni virum. cum reliq. de Laud.

Ps. Dixit Dóminus. cum reliq. de Dom., et loco ult., Ps. Meménto Dómine.

Capit. et Hymn. ut supra in I. Vesp.

℣. In Deo sperávit cor

meum, allelúia. ℟. Et reflóruit caro mea, allelúia.

Ad Magnif. Ant. In pópulo * hereditábit honórem; et nomen illíus erit vivens in ætérnum, allelúia.

Orat. Deus, qui beátum Cláudium. ut supra.

Commem. S. Norberti Episc. et Conf., ut in Proprio Sanct. die 6 Junii.

DIE VII

(ex heri.)

SANCTI NORBERTI

EPISCOPI ET CONFESSORIS

Duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum die 6 Junii, præter seq.

In Hymn. Iste Confés-sor. m. t. v.

In Laud. et Vesp. Commem. Oct. S. Claudii.

DIE VIII

TERTIA DIE INFRA OCT.

SANCTI CLAUDII

Semiduplex.

Omnia ut in die Festi, præter seq.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

De Epistola sancti Hierónymi Presbýteri ad Nepotiánum.

Lectio iv.

Hospitíolum tuum, aut raro, aut numquam mulierum pedes terant. Omnes puéllas et vírgines Christi, aut æquáliter ignóra, aut æquáliter dilige. Ne sub eódem tecto mánsites, nec in prætérita castitáte confídas. Nec David sánctior, nec Samsóne fórtior, nec Salomóne potes esse sapiéntior. Meménto semper quod paradísi colónum de possessióne sua múlier ejécerit. Si propter officium clericátus, aut vídua a te visitátur, aut virgo, numquam domum solus introéas. Tales habéto sócios quorum contubérnio non infaméris. Si lector, si acólythus, si psaltes, te séquitur, non ornéntur veste, sed móribus; nec calamistro crispent comas, sed pudicítiam hábitu polliceántur. Solus cum sola, secréto et absque árbitro vel teste non sédeas... Cavéto omnes suspiciónes, et quidquid probabíliter fingi potest, ne fingátur, ante devíta.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Divínas Scriptúras sǽpius lege; immo numquam de mánibus tuis sacra léctio deponátur. Disce quod dóceas; óbtine eum qui secúndum doctrínam est fidélem sermónem, ut possis exhor-

tári in doctrína sana, et contradicéntes revíncere. Pérmane in his quæ didicísti et crédita sunt tibi, sciens a quo didíceris, parátus semper ad satisfactiónem omni poscénti te ratiónem de ea quæ in te est spe. Non confúndant ópera tua sermónem tuum, ne cum in ecclésia lóqueris, tácitus quílibet respóndeat : Cur ergo quæ dicis ipse non facis? Sacerdótis Christi os, mens, manúsque concórdent. Esto subjéctus pontífici tuo, et quasi ánimæ paréntem súscipe.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

DOCÉNTE te in ecclésia, non clamor pópuli sed gémitus suscitétur. Lácrymæ auditórum láudes tuæ sint. Sermo presbýteri Scripturárum lectióne condítus sit. Nolo te declamatórem esse, sed mysteriórum perítum et sacramentórum Dei tui eruditíssimum. Verba vólvere, et celeritáte dicéndi apud imperítum vulgus admiratiónem sui fácere, indoctórum hóminum est. Vestes pullas æque devíta ut cándidas. Ornátus ut sordes pari modo fugiéndi sunt. Vis scire quales Dóminus quærat ornátus? Habéto prudéntiam, justítiam, temperántiam, fortitúdinem. His cæli plagis inclúdere, hæc te quadríga, velut aurígam Christi ad metam cóncitum ferat. Nihil hoc monili pretiósius, nihil hac gemmárum varietáte distínctius. Et ornaménto tibi sunt et tutámini : gemmæ vertúntur in scuta.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vij. Cap. 24. d

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Hom. 78. in Matth. ante med.

PROPTÉREA hæc dicit Dóminus discípulis ut vígilent, ut júgiter paráti sint, quia qua non exístimant hora ventúrus est. Sollícitos ígitur facit et curiósos, ne umquam virtútem négligant. Tale quid áutem est, quod dícitur : Si præscírent hómines, quando moritúri sint, diligéntiam suam circa illam horam osténderent. Ne ígitur in illo solúmmodo témpore, sed contínue diligéntes sint,

nec generálem, nec singulárem horam prædicit, ut semper exspectándo, semper vígilent: hac enim ratióne términum vitæ uniuscujúsque occúluit.

℟. Amávit eum.

Lectio viij.

DEÍNDE líquido ádeo ut numquam liquídius, Dóminum se ipsum appellávit. Hæc áutem étiam ad erubescéntiam desídiæ mihi dicta vidéntur: majórem enim diligéntiam pecuniárum conservandárum habent furem exspectántes quam vos salútis ánimæ. Vigílant enim tunc, ne áliquid sibi subripiátur: vos vero, quamvis certo sciátis ventúrum Dóminum, non perseverátis tamen, neque ita vigilátis, ut possítis non impræparáti ex hac vita discédere. Quaprópter cum perníicie dormiéntium dies ille ventúrus est.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

NAM quemádmodum non læderétur ille furto, si furem sciret ventúrum; sic et vos, quóniam scitis Dóminum ventúrum, paratióres esse debétis. Cæterum quóniam judícii mentiónem fecit, ad Doctóres étiam vertit oratiónem, de pœna et méritis disserens. Et primo bonis collocátis, ad peccatóres éxitum facit, commodíssime oratiónem conclúdens. Quis ergo, inquit, fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore?

Te Deum laudámus.

In II. Vesp. Commem. SS. Primi et Feliciani Mart., ut in Proprio Sanctorum.

DIE IX

QUARTA DIE INFRA OCT.

SANCTI CLAUDII

Semiduplex.

Omnia ut in die Festi, præter seq.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Ex libro Pastoráli sancti Gregórii Papæ.

Part. II. Cap. 1, 2, 3, 4.

Lectio iv.

TANTUM debet actiónem pópuli áctio transcéndere præsulis, quantum distáre solet a grege vita pastóris. Sit ergo, necésse est, cogitatióne mundus, quátenus nulla hunc immundítia pólluat, ut in aliénis quoque córdibus pollutiónis máculas tergat; quia necésse est, ut esse munda stúdeat manus quæ dilúere alió-

rum sordes curat. Sit operatióne præcipuus, ut vitæ viam súbditis vivéndo denúntiet; et grex qui pastóris vocem morésque séquitur, per exémpla mélius quam per verba gradiátur. Qui enim loci sui necessitáte exígitur summa dícere, hac eádem necessitáte compéllitur summa monstráre; illa namque vox libéntius auditórum cor pénetrat, quam dicéntis vita comméndat.

℟. Invéni David.

Lectio v. Cap. 5.

SIT rector singulis compassióne próximus, præ cunctis contemplatióne suspénsus; ut et per pietátis víscera in se infirmitátem cæterórum tránsferat, et per speculatiónis altitúdinem semetípsum quoque invisibília appeténdo transcéndat; ne, aut alta petens, proximórum infírma despíciat, aut infírmis proximórum cóngruens, appétere alta derelínquat. Sit bene agéntibus per humilitátem sócius, contra delinquéntium vítia per zelum justítiæ eréctus. Unde cuncti qui præsunt, non in se potestátem debent órdinis, sed æqualitátem pensáre conditiónis: nec præésse se homínibus gáudeant, sed prodésse.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

SCIÉNDUM quoque est quod non opórtet ut rectóres boni placére homínibus áppetant, sed ut suæ æstimatiónis dulcédine, próximos in afféctum veritátis trahant; non ut se amári desíderent, sed ut dilectiónem suam, quasi quamdam viam fáciant, per quam corda audiéntium ad amórem conditóris intro-dúcant. Difficile quippe est, ut quámlibet recta denúntians prædicátor qui non dilígitur, libénter audiátur. Debet ergo qui præest, et studére se diligi, quátenus possit audíri, et tamen amórem suum pro se ipso non quærere. ℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24. d

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

De Homilia S. Fulgéntii Episcopi

Serm. de Confessoribus.

DISPENSÁTOR vero, quis sit, quem opórtet esse fidélem páriter et prudén-

tem; Páulus nobis osténdit Apóstolus, qui de se suisque sóciis loquens ait: sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei. Ne quis áutem vestrum solos Apóstolos dispensatóres factos existimet, neglectóque militiæ spiritális officio, servus piger, infidéliter, imprudentérque dormitet, ipse beátus Apóstolus Episcopos quoque dispensatóres esse osténdens, ait: Opórtet enim episcopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem.

℟. Amávit eum.

Lectio viij.

SERVI áutem patrisfamílias sumus, dispensatóres Dómini sumus, mensúram trítici, quam vobis erogémus, accépimus. Quæ vero sit ista mensúra trítici, si quærámus, ipsam quoque nobis beátus Páulus Apóstolus osténdit, dicens: Unicuique sicut Deus divísit mensúram fídei. Quam ergo mensúram trítici Christus núncupat, ipsam mensúram fídei Páulus appéllat: ut agnoscámus non áliud esse spiritále tríticum quam christiánæ fídei venerábile sacraméntum.

℟. Sint lumbi.

Lect. ix. de SS. Primo et Feliciano Mart. (duabus in unam junctis), quorum Commem. in Laud. Vesp. de seq. Commem. Oct. S. Claudii.

DIEBUS X. XI. XII.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, cum Commem. Oct. S. Claudii, in Laud. et utrisque Vesp.

DIE XV

(e 13 hujus.)

S. ANTONII DE PADUA

CONFESSORIS

Duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, die 13 Junii, præter seq.

In I. Vesp. et Laud. Commem. SS. Viti et Soc. Mart.

DIE XVII

(Ex heri.)

S. JOANNIS FRANCISCI REGIS

CONFESSORIS

Duplex.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

ORDO OFFICIORUM

DIŒCESI SANCTI CLAUDII PROPRIORUM

PARS VERNA

FESTA MOBILIA

Feria VI. post Dom. I. Quadrag. SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. dupl. maj.
Feria VI. post Dom. II. Quadrag. Sacratissimæ Sindonis D. N. J. C. dupl. maj.
Feria VI. post Dom. III. Quadrag. Sacrorum Quinque Vulnerum D. N. J. C. dupl. maj.
Feria VI. post Dom. IV. Quadrag. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. dupl. maj.

FESTA FIXA

FEBRUARII

11 Apparitio B. M. V. Immaculatæ, dupl. maj.
12 S. Pauli primi Eremitæ, dupl. (e 15 Jan.).
13 S. Andreæ Corsini Episc. et Conf. dupl. (e 4 huj. mens.)
14 SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. dupl. (e 11 huj. mensis). Commem. S. Valentini Presb. et Mart.
15 S. Raymundi de Pennafort Conf. (e 25 Jan.) semidupl. Commem. SS. Faustini et Jovitæ Mart.
18 S. Romani Abbatis, dupl. maj.

MARTII

6 S. Coletæ Virg. dupl. maj.
18 S. Gabrielis Archang. dupl. maj.
20 S. Cyrilli Hieros. Episc. Conf. et Eccl. Doct. dupl. (e 18 huj. mens.).

APRILIS

16 S. Benedicti Josephi Labre Conf. dupl.
22 S. Georgii Mart. dupl.

MAII

1 SS. PHILIPPI ET JACOBI APOST. dupl. 2. cl. Commem. S. Sigismundi et Soc. Mart.
8 Apparitio S. Michaëlis Archang. dupl. maj. Commem. S. Petri Tarentas. Episc. et Conf.

15 | S. Isidori Agricolæ Conf. dupl.
16 | S. Joannis Nepomuceni Mart. dupl.
21 | S. Lupicini Abb. dupl. maj.
22 | S. Ubaldi Episc. et Conf. semid. (e 16 Maii).
25 | B. M. V. sub titulo Auxilium Christianorum, dupl. maj.
30 | S. Ferdinandi Regis Conf. dupl. Commem. S. Felicis Papæ et Mart.

JUNII

2 | SS. Pothini et Soc. Mart. dupl. Commem. SS. Marcelli, Petri atque Erasmi Mart.
3 | S. Clotildis Reginæ Vid. dupl.
6 | S. CLAUDII EPISC. ET CONF., PATRONI DIŒCESIS, dupl. 1. cl. cum Oct.
7 | S. Norberti Episc. et Conf. dupl. (ex heri.) Commem. Oct.
8 | De Octava S. Claudii (iij. die), semid.
9 | De Octava S. Claudii (iv. die), semid. Commem. SS. Primi et Feliciani Mart.
10 | S. Margaritæ Reginæ Scotiæ, semid. Commem. Oct.
11 | S. Barnabæ Apost. dupl. maj. Commem. Oct.
12 | S. Joannis a Facundo Conf. dupl. Commem. Oct. et SS. Basilidis et Soc. Mart.
15 | S. Antonii de Padua Conf. dupl. (e 13 hujus mensis). Commem. SS. Viti, Modesti atque Crescentiæ Mart.
17 | S. Joannis Francisci Regis Conf. dupl. (ex heri).

LICENTIA ET APPROBATIO

CÆSAR JOSEPH MARPOT, Dei et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia, Episcopus Sancti Claudii,

Testamur hunc præsentem Officiorum Diœcesi nostræ propriorum Ordinem, Turonibus, typis A. Mame excusum, concordare cum Originali a S. Sede Apostolica adprobato et a nobis promulgato.

Datum Sancti Claudii, sub signo sigilloque nostris, et Secretarii nostri subscriptione, anno Domini 1896, die vero mensis Septembris prima.

† CÆSAR J. EPISCOPUS SANCTI CLAUDII.

25515. — Turonibus, typis Mame.

42

ORDO OFFICIORUM
DIŒCESI SANCTI CLAUDII
PROPRIORUM

JUXTA EXEMPLAR A S. R. C. REVISUM
ET A SS. DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII.
APPROBATUM

DE MANDATO
ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI
DD. CÆSARIS JOSEPHI MARPOT
EPISCOPI SANCTI CLAUDII
EDITUS

PARS ÆSTIVA

TURONIBUS
TYPIS A. MAME TYPOGRAPHI
ILL. AC RR. DD. ARCHIEPISCOPI ET CLERI

M. D. CCC. XCVI

Cæsar Josephus MARPOT

Miseratione divina et Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate, Episcopus Sancti Claudii,

Universo Clero Diœcesis Nostræ
Salutem et Benedictionem in Domino.

Illustrissimus decessor Noster Joannes Petrus Mabile, dum anno Domini 1853, pro sua plebisque sibi commissæ insigni in Sanctam Sedem Apostolicam devotione, Liturgiam Romanam in hac diœcesi restitui curaret, simul Officia et Missas Ecclesiæ Sancti Claudii propria a S. Rituum Congregatione approbari sategit.

Novorum autem Officiorum exemplaria cum deficiant, Nobis hanc occasionem nactis, dictum nostrum Proprium Ordinem quadantenus cum augere tum emendare visum est. Quorumdam enim Sanctorum hucusque omissorum memoriam recolere religiosissimum habemus, cum hasce regiones nostras virtutibus ac miraculis illustrarint; aut in Ecclesia Bisuntina, cujus Pontifices ampliorem partem Diœcesis Sancti Claudii ad elapsum usque sæculum rexerunt, merito recolantur. Insuper decurrentibus annis ipsa crescens fidelium devotio quædam mysteria Domini vel Deiparæ, quosdamque Cælites solemniori in dies cultu prosequi lætatur. Et demum in aliquibus Officiis jam concessis quædam notabantur ad veritatem historicam perfectius redigenda.

Quæ omnia sive addita sive mutata Sanctæ Sedis judicio revisenda et approbanda proposuimus. Precibus nostris humillimis annuens, SS. Dominus Noster Leo Papa XIII. sequens Decretum indulgere dignatus est :

SANCTI CLAUDII IN GALLIIS

Ut Calendarium perpetuum ac Proprium Officiorum et Missarum in Diœcesi Sancti Claudii in Galliis hucusque adhibitum ad accuratiorem formam redigerentur, Reverendissimus Dominus Cæsar J. Marpot, hodiernus Episcopus ejusdem Diœceseos, de legitima sacræ Liturgiæ ordinatione valde sollicitus, Calendarium ipsum et Proprium reformare aggressus est, atque ita eme· datum et auctum supremæ Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papæ XIII. sanctioni humillime subjecit. Placuit vero eidem Sanctissimo Domino Nostro horum omnium examen Sacræ Rituum Congregationi committere; quæ, cum Calendarium ipsum perpetuum ac Proprium Officiorum et Missarum, prouti ea omnia a se revisa et correcta in superiori exstant exemplari, probari posse censuerit, Sanctitas sua, referente

me infrascripto Cardinali Sacræ 'eidem Congregationi Præfecto, Rescriptum sacræ ipsius Congregationis ratum habens, benigne concedere dignata est, ut ab universo Clero sæculari diœceseos Sancti Claudii et a Religiosis ac Monialibus Calendario Diœcesano utentibus, in Horis Canonicis persolvendis atque in Sacro peragendo, idem Calendarium et Proprium in posterum adhiberi valeat; addita tamen conditione, ut, statim atque ea typis cusa fuerint, duplex exemplar ad Sacram Rituum Congregationem transmittatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 7 Julii 1896.

✠ Caj. Card. Aloisi-Masella S. R. C. Præfect.

Locus ✠ sigilli.

Aloisius Tripepi S. R. C. Secret.

Quapropter de Venerabilium fratrum nostrorum Ecclesiæ Nostræ Cathedralis Canonicorum consilio, præsenti nostro mandato omnibus et singulis de Clero nostro qui ad Officium divinum tenentur, mandamus ac præcipimus ut in divinarum Laudum recitatione Missarumque celebratione Ordinem Sancti Claudii proprium subjectum Calendariumque perpetuum ei adnexum adamussim curent observare.

Datum Sancti Claudii sub signo sigilloque nostris ac Secretarii Episcopatus nostri subscriptione, anno Domini 1896, die vero prima mensis Septembris.

✠ CÆSAR J. Episcopus Sancti Claudii.

KALENDARIUM PERPETUUM

AD USUM CLERI CATHEDRALIS

ET DIŒCESIS SANCTI CLAUDII

NOTA. — Quæ rubro caractere notantur Ecclesiæ Sancti Claudii titulo quodam sunt propria, sive quia festum est huic Ecclesiæ peculiare, sive quia ritu superiori in diœcesi gaudet, sive quia translatum est pro eadem diœcesi, e die propria, sive tandem quia est ex iis, quæ pro aliquibus locis tantum conceduntur et in Supplem. Missalis et Breviarii inserta sunt.

MAIUS

17 Paschalis Baylon Conf. dupl.
18 Venantii Mart. dupl.
19 Petri Cælestini Papæ et Conf. dupl. Commem. S. Pudentianæ Virg.
20 Bernardini Senensis Conf. semid.
21 Lupicini Abb. dupl. maj.
22 Ubaldi Episc. et Conf. semid. (e 16 hujus mensis).
23
24 Beatæ Mariæ Virginis sub titulo Auxilium Christianorum, dupl. maj.
25 Gregorii VII. Papæ et Conf. dupl. Commem. S. Urbani Papæ et Mart
26 Philippi Nerii Conf. dupl. Commem. S. Eleutherii Papæ et Mart.
27 Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. semid. Commem. S. Joannis Papæ et Mart.
28 Augustini Cantuariensis Episc. et Conf. dupl.
29
30 Ferdinandi Regis Conf. dupl. Commem. S. Felicis Papæ et Mart.
31 Angelæ Mericiæ Virg. dupl. Commem. S. Petronillæ Virg.

JUNIUS

1 Pothini et Soc. Mart. dupl. Commem. SS. Marcellini,
2 Petri atque Erasmi Mm.
Clotildis Reginæ Viduæ, dupl.
3
4 Francisci Caracciolo Conf. dupl.
5 Bonifacii Episc. et Mart. dupl.

6 CLAUDII EPISC. ET CONF. totius Diœcesis Patroni, dupl. 1. classis cum Oct.
7 Norberti Episc. et Conf. dupl. (ex heri). Commem. Oct.
8 De Octava, semid.
9 De Octava, semid. Commem. SS. Primi et Feliciani Mart.
10 Margaritæ Reginæ Scotiæ, semid. Commem. Oct.
11 Barnabæ Apost. dupl. maj. Commem. Oct.
12 Joannis a S. Facundo Conf. dupl. Commem. Oct. et SS. Basilidis et Soc. Mm.
13 Octava S. Claudii Episc. et Conf. dupl.
14 Basilii Magni Episc. Conf. et Eccles. Doct. dupl.
15 Antonii de Padua Conf. dupl. (e 13 hujus). Commem. SS. Viti, Modesti atque Crescentiæ Mm.
16 FERREOLI ET FERRUCII Mm. dupl. 2. classis.
17 Joannis Francisci Regis Conf. dupl. (ex heri).
18 Marci et Marcelliani Mm.
19 Julianæ de Falconeriis Virg. dupl. Commem. SS. Gervasii et Protasii Mm.
20 Silverii Papæ et Mart.
21 Aloysii Gonzagæ Conf. dupl.
22 Paulini Episc. et Conf.
23 Vigilia.
24 NATIVITATIS S. JOANNIS BAPTISTÆ, dupl. 1. classis cum Oct.
25 Gulielmi Abb. dupl. Commem. Oct.
26 Joannis et Pauli Mm. dupl. Commem. Oct.
27 De Octava, semid.
28 Irenæi Episc. et Mart. dupl. Commem. Oct. et Vigiliæ.
29 PETRI ET PAULI APOSTOLORUM, dupl. 1. classis cum Oct. Commem. omnium SS. Apostolorum.
30 Commemoratio S. Pauli Apost. dupl. maj. Commem. S. Petri et Oct. S. Joannis Baptistæ.

Feria VI. post Oct. Corporis Christi, SS. CORDIS JESU, dupl. 1. classis.
Dominica III. post Pentecosten, SS. Eucharistiæ in flammis conservatæ, dupl. maj.

JULIUS

1 Octava S. Joannis Baptistæ, dupl. Commem. Oct. SS. Apostolorum.
2 VISITATIO B. M. V. dupl. 2. classis. Commem. SS. Processi et Martiniani Mm.
3 Aldegrini Conf. dupl. Commem. Oct. SS. Apost.
4 Leonis Papæ et Conf. semid. (e 28 Junii). Commem. Oct. SS. Apost.
5 Cyrilli et Methodii Pont. et Conf. dupl. Commem. Oct. SS. Apost.
6 Octava SS. Petri et Pauli Apost. dupl.
7 Justi Conf. simplex.

8 Elisabeth Reginæ Portug. Vid. semid.
9 Prodigiorum B. M. V. dupl. maj.
10 SS. Septem Fratrum et Rufinæ et Secundæ Mm. semid.
11 Viventioli Episc. et Conf. semid. Commem. S. Pii Papæ et Mart.
12 Joannis Gualberti Abb. dupl. Commem. SS. Naboris et Felicis Mm.
13 Anacleti Papæ et Mart. semid.
14 Bonaventuræ Episc. Conf. et Eccles. Doct. dupl.
15 Henrici Imperatoris Conf. semid.
16 B. M. V. de Monte Carmelo, dupl. maj.
17 Alexii Conf. semid.
18 Camilli de Lellis Conf. dupl. Commem. SS. Symphorosæ et Filiorum Mm.
19 Vincentii a Paulo Conf. dupl.
20 Hieronymi Æmiliani Conf. dupl. Commem. S. Margaritæ Virg. et Mart.
21 Praxedis Virg.
22 Mariæ Magdalenæ, dupl. maj.
23 Apollinaris Episc. et Mart. dupl. Commem. S. Liborii Episc. et Conf.
24 B. Ludovicæ a Sabaudia Vid. dupl. Commem. Vigil. et S. Christinæ Virg. et Mart.
25 Jacobi Apost. dupl. 2. classis. Commem. S. Christophori Mart.
26 Annæ Matris B. M. V. dupl. 2. classis.
27 Desiderati Episc. et Conf. dupl. Commem. S. Pantaleonis Mart.
28 Nazarii, Celsi et Victoris Papæ Mm. ac Innocentii Papæ et Conf. semid.
29 Marthæ Virg. dupl. maj. Commem. SS. Felicis, Simplicii, Faustini et Beatricis Mm.
30 Imitherii Conf. dupl. Commem. SS. Abdon et Sennen Mm.
31 Ignatii Conf. dupl. Commemor. S. Germani Antissiod. Episc. et Conf.

Dominica I. Julii, Festum pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. dupl. 2. classis. Reponendum Feria secunda immediate sequenti, quoties Dominica præpeditur potiori vel æquali ritu.

AUGUSTUS

1 Petri ad Vincula, dupl. maj. Commem. S. Pauli et SS. Machabæorum Mm.
2 Alphonsi Mariæ de Ligorio Episc. Conf. et Eccles. Doct. dupl. Commem. S. Stephani Papæ et Mart.
3 Inventionis S. Stephani Protomart. dupl.
4 Dominici Conf. dupl. maj.
5 Dedicationis S. Mariæ ad Nives, dupl. maj.
6 Transfigurationis D. N. J. C. dupl. maj. Commem. SS. Xysti Papæ, Felicissimi et Agapiti Mm.

7 Cajetani Conf. dupl. Commem. S. Donati Episc. Bisuntini, et S. Donati Episc. et Mart.
8 Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm. semid.
9 Vigilia. Commem. S. Romani Mart.
10 LAURENTII LEVITÆ MART. dupl. 2. classis cum Oct.
11 Philumenæ Virg. et Mart. dupl. Commem. Oct. et SS. Tiburtii et Susannæ Mart.
12 Claræ Virg. dupl. Commem. Oct.
13 De Octava, semid. Commem. SS. Hippolyti et Cassiani Mm.
14 De Octava, semid. Commem. Vigil. et S. Eusebii Conf.
15 ASSUMPTIO B. M. V. dupl. 1. classis cum Oct.
16 Rochi Conf. dupl. Commem. Oct.
17 Octava S. Laurentii Mart. dupl. Commem. Oct. Assumptionis.
18 Hyacinthi Conf. dupl. (e 16 huj.). Commem. Oct. et S. Agapiti Mart.
19 De Octava, semid.
20 Bernardi Abbatis et Eccles. Doct. dupl. Commem. Oct.
21 Joannæ Franciscæ Vid. dupl. Commem. Oct.
22 Octava Assumptionis B. M. V. dupl. Commem. SS. Timothei, Hippolyti et Symphoriani Mm.
23 Philippi Benitii Conf. dupl. Commem. Vigiliæ.
24 BARTHOLOMÆI APOST. dupl. 2. classis.
25 Ludovici Regis Conf. dupl.
26 Zephyrini Papæ et Mart.
27 Josephi Calasanctii Conf. dupl.
28 Augustini Episc. Conf. et Eccles. Doct. dupl. Commem. S. Hermetis Mart.
29 Decollatio S. Joannis Baptistæ, dupl. maj. Commem. S. Sabinæ Mart.
30 Rosæ Limanæ Virg. dupl. Commem. SS. Felicis et Adaucti Mm.
31 Raymundi Nonnati Conf. dupl.

Dominica infra Oct. Assumpt. S. JOACHIM PATRIS B. M. V. dupl. 2. classis.
Dominica post Oct. Assumpt. Festum purissimi Cordis B. M. V. dupl. maj.

SEPTEMBER

1 Ægidii Abbatis. Commem. SS. XII Fratrum Mm.
2 Stephani Regis Conf. semid.
3 Justi Episc. et Conf. dupl.

ORDO OFFICIORUM

DIŒCESI SANCTI CLAUDII PROPRIORUM

PARS ÆSTIVA

FESTA MOBILIA

DOM. III. POST PENTECOST.
SS. EUCHARISTIÆ
IN FLAMMIS CONSERVATÆ
Duplex majus.

Omnia ut in die Festi SS. Sacramenti, præter seq.

Allelúia omittitur post Ant., ℣℣. et ℟℟. br. Horarum.

Oratio.

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui ad demonstrándam fidei cathólicæ veritátem, sacrosánctam Eucharístiam inter ignes illæsam, et mirabíliter suspénsam ostendísti : præsta quǽsumus ; ut cultus venerábili sacraménto débitus, a nobis et ab ómnibus semper exhibeátur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Et fit Commem. Dom.

IN I. NOCTURNO

Lect. et ℟℟. ut in Festo SS. Sacramenti.

IN II. NOCTURNO

Ex decreto archiepiscopi Bisuntin. et relatione ad Paulum V. transmissa.

Lectio iv.

ANNO Dómini millésimo sexcentésimo octávo, dum impia Calvinistárum reálem Christi in Eucharístia præséntiam impugnántium hǽresis in Gállia vicinísque locis grassarétur, plácuit divínæ bonitáti, tanti mystérii veritátem, ad consolatiónem fidélium, hæreticorúmque confusiónem insígni confirmáre miráculo. Faverníaci, in ecclésia abbatiáli monastérii beátæ Maríæ Vírginis, órdinis sancti Benedícti,

diœcésis Bisuntínæ, occasióne indulgentiárum a sancta Sede concessárum, vigília Pentecóstes, quæ erat vigésima quarta Maii ejus anni, secúndum consuetúdinem, parátum fúerat sacéllum pannis et velis séricis lineísque ornátum, ad presbytérii ejúsdem ecclésiæ cancéllos férreos, adhíbitis mensa, marmóreo altári portatíli, et tabernáculo in quo sanctíssimum sacraméntum illa ipsa die públice expósitum est, duábus hóstiis majóribus consecrátis (uti solébant) in theca argéntea inclúsis. Cum áutem nocte subsequénte diem Pentecóstes omnes recessíssent, jánuis ecclésiæ diligénter cláusis, relictísque super mensa sacélli lumináribus accénsis, décidens ignis (uti créditur) et pannis seu velis adhærens, totum sacéllum incéndit, atque ómnia pene ornaménta, cum mappis, gradu, tabernáculo combússit; ádeo ut mane ingrediéntes sacrísta et álii religiósi, fumo replétam ecclésiam, prunásque et cíneres combústi sacélli repérerint : sacram vero thecam, cum duábus hóstiis consecrátis in ea inclúsis, illæsam, et in áëre juxta cancéllos sine fulcro suspénsam stupéntes conspéxerint.

℟. Cœnántibus illis accépit Jesus.

Lectio v.

Mox tam stupéndi porténti fama innúmeros, tum ex óppido Faverniacénsi, tum ex vicínis locis, ad illud própriis óculis conspiciéndum convocávit. Mirántur omnes sola Dei ope sustentátam argénteam thecam, in qua cérnere erat spécies sanctíssimi sacraménti intáctas; et quamvis cancélli férrei non bene tuti ac fixi, juxta quos parátum fúerat sacéllum, continuis vehementibúsque mótibus ob pópuli multitúdinem concuteréntur, et semel grandióri trabe, quam nonnúlli cum festinatióne admovébant ad arcéndam a propióri accéssu nímiam pópuli multitúdinem, incáute tam fórtiter impúlsi fúerint, ut titubántes corrúere videréntur; nihilóminus pretiósum sanctíssimi sacraménti vásculum immóbile pérstitit per spátium tríginta trium círciter horárum : ut clare innotésceret nullo ipsum fulcíri sustentáculo et hoc divína péragi virtúte. Cum áutem

féria tértia Pentecóstes, quidam párochus vicínus inter plures qui illuc cum suis parochiánis úndique convénerant ad altáre majus missam celebráret, jamque in ipsa progrederétur, céreus qui ante divínum sacraméntum ardébat, per se exstínctus dénuo accénsus est. Idque íterum ac tértio est factum. Omnibus áutem véluti præmisso mónitu óculos ad sanctíssimum sacraméntum intendéntibus, illo ipso moménto quo célebrans sacratíssimam hóstiam post primam elevatiónem demittébat, sacrum vásculum ex se sensim descéndit, rectáque corporáli quod illi suppósitum fúerat, insédit.

℟. Accépit Jesus.

Lectio vj.

His ínterim divulgátis, ut tantum miráculum posteritáti traderétur, facta est, auctoritáte archiepíscopi Bisuntíni, solémnis inquisítio et informátio, auditíque sunt super præmissórum veritáte quinquaginta duo testes probatíssimi. Qua inquisitióne perácta idem archiepíscopus, re matúre cum archiepiscopáli concílio consideráta, vocatísque non páucis theólogis, canonístis, ac jurisperítis, declarávit dubitári non posse quin hoc factum natúræ vires excéderet, illíque miráculo fidem omníno adhibéndam cénsuit, decréto die décima mensis Júlii ejúsdem anni millésimi sexcentésimi octávi édito; in quo étiam decréto multa inséruit, tum ad fovéndam erga sanctíssimum Sacraméntum fidélium pietátem, tum ad promovéndum cultum tanto mystério débitum. Ex his duábus hóstiis, una in ecclésia parochiáli civitátis Dolánæ cum summa devotióne diu asserváta fuit: quotánnis solémni pompa, omni comitánte pópulo, per eámdem civitátem ex voto deferebátur, usque ad annum millésimum septingentésimum nonagésimum quartum: quo infáusto anno ecclésia Dolána tam inæstimábili thesáuro sacrílege spoliáta est. Altera vero etiámnum in ecclésia abbatiáli prædícti monastérii Faverniacénsis magno fidélium concúrsu religióse cólitur.

℟. Ego sum.

IN III. NOCTURNO

Lect. vij. et viij. ut disponuntur ordine men-

sium in Officio votivo SS. Sacramenti.

Lect. ix. de Homil. Dom. III. post Pentecost., cujus Commem. in Laudibus.

In II. Vesp. Commem. Dom.

DOM. POST OCT. ASSUMPT.

PURISSIMI CORDIS B. M. V.

Duplex majus.

Officium proprium positum in Dom. post Octav. Assumptionis in Supplemento pro aliquibus locis.

FESTA FIXA

FESTA MAII

DIE XXI

SANCTI LUPICINI

ABBATIS

Duplex majus.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

Oratio.

Deus, cujus múnere beátus Lupicínus Abbas multíplici glória sanctæ conversatiónis emícuit: præsta quǽsumus; sic nos beatitúdinis ejus mérita venerári, ut ejúsdem valeámus sublevári suffrágiis. Per Dóminum.

Commem. S. Bernardini, ut in Proprio Sanct.

IN I. NOCTURNO

Lect. Beátus vir. de Comm. 2º loco.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Lupicínus, per visum in somnis a fratre Románo natu majóre admónitus, ad ipsum in Jurénsi erémo jam diu demorántem sese cóntulit. Tantum in ejus disciplina profécit, ut, brevi témpore in partem regíminis adscítus, cum ipso monastériis Condaténsi et Lauconénsi sociáliter præfúerit. Mórtuo Románo, per multos annos utrúmque cœnóbium Lupicínus gubernávit. Ad severióris institúti disciplínam suo exémplo fratres próvocans, eam vitam agébat quæ sanctórum Thebáidis eremitárum mores et austeritátem exprímeret.

℟. Honéstum.

Lectio v.

Victum de radícibus herbárum quærébat. Vigíliis, jejúniis, aliísque pœniténtiæ acerbitátibus corpus castigábat. Túnica

de divérsis quadrúpedum assúta pellículis, cuculláque páriter vilíssima erat indútus, solúmmodo calceaméntis utens cum e monastério, propter utilitátem fratrum, vel áliam quamcúmque necessitátem, egrederétur. Lectum aut straménta numquam adhíbuit. Cǽteris enim in léctulos recedéntibus, in oratórium meditatúrus intrábat, et ibi tantum capiébat somni quantum ei fesso, ad sedíle reclívo, natúra subripiébat; aliquándo tamen, sæviénte ácrius frígore, robóreo córtice in cunæ modum caváto pro lecto utebátur. A professióne monástica vinum non bibit. Austeritáti morum in beáto abbáte accedébant auctóritas et sincéritas in sermóne, cáritas et lénitas in ópere. Ad tuéndos páuperes et oppréssos promptus, ardénti zelo nec non efficácia mirábili ánimi morbos curábat.

℟. Amávit.

Lectio vj.

JAM invalescénte senectúte, Lupicínus dignum Condaténsi cœnóbio præfécit abbátem. Páulo post plenus diérum, designáto étiam successóre, qui, se mórtuo, Lauconénse monastérium régeret, obdormívit in Dómino. Corpus ejus a discípulis sepúlcro honorífice cónditum, destrúcto monastério, diu látuit, donec, anno millésimo sexcentésimo octogésimo nono, repértus est in ecclésia ejus nómine dicáta lóculus, cui inscrípta erant hæc verba : Hic requiéscit beátus Lupicínus Abbas. Quarum facta recognitióne reliquiárum, archiepíscopus Bisuntínus eásdem in dicto lóculo custodíri et públicæ veneratióni fidélium expóni solémni decréto declarávit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ecce nos. de Comm. Abbat. 1° loco.

In II. Vesp. Commem. seq. ut in Proprio Sanctorum, die 16 Maii.

DIE XXII

(e 16 Maii.)

S. UBALDI EPISC. ET CONF.

Semiduplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, die 16 hujus mensis, præter seq.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

In II. Vesp. omnia ut in Communi Conf. Pont., cum Oratione propr. ut in Proprio Sanctorum.

DIE XXIV

BEATÆ MARIÆ VIRG.

SUB TITULO

AUXILIUM CHRISTIANORUM

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

DIE XXX

S. FERDINANDI

REGIS CONFESSORIS

Duplex.

Omnia ut in Supplem. pro aliq. locis, præter seq

In I. Vesp. Commem. S. Felicis Papæ et Mart. ut in Proprio Sanctorum hac die.

Lect. ix. de S. Felice, cujus Commem. in Laud.

Vesperæ a Capitulo de seq. Commem. præced.

Ant. Hic vir. ℣. Justum. Oratio propria.

Deinde Commem. S. Petronillæ Virg. et Mart. per Ant. et ℣. de Laudibus.

FESTA JUNII

DIE II

SS. POTHINI ET SOC.

MARTYRUM

Duplex.

Omnia de Comm. plur. Mart., præter seq.

Orat. Deus qui nos concédis.

In I. Vesp. Commem. SS. Marcellini et Soc. per Ant. et ℣. de Laud. Orat. propr. in Proprio Sanctorum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Beatíssimus Pothínus, Ecclésiæ Lugdunénsis episcopus, nonagenário major, ob córporis infirmitátem vix spíritum trahens, sed præ cupiditáte martýrii mira alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal trahebátur. Quo perlátus, prosequéntibus ipsum magistrátibus civitátis, et univérsa plebe váriis eum clamóribus impeténte, tamquam ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium. Interrogátus a præside quisnam esset Christianórum Deus, respóndit : Si dignus fúeris, cognósces. Post hæc, inhumáne raptátus, et innúmeris plagis afféctus est, cum ii quidem qui própius adstábant cálcibus et pugnis illum contumelióse appéterent; qui vero lóngius distábant, quidquid ad manum erat in ipsum

conjicerent : omnes dénique gravissimi piáculi reos se existimárent, nisi pro sua quisque parte ei petulánter insultárent. Quippe hoc modo injúriam deórum suórum ultúros se arbitrabántur. Exínde vix adhuc spirans, in cárcerem projéctus est; tandémque post bíduum ánimam exhalávit.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Matúrus vero neóphytus, et Sanctus, diáconus Viennénsis, cum Blandína ancílla et Attalo, ducti sunt ad béstias in amphitheátrum. Et Matúrus quidem ac Sanctus consuéta illic flagrórum vérbera pertulérunt, et bestiárum ipsos trahéntium morsus, ipsam postrémo férream cáthedram, cui superpósita mártyrum membra cum torreréntur, illórum nares molestíssimus nidor implébat. Hi ergo máximo certámine perfúncti, tandem juguláti sunt. Blandína áutem ad palum suspénsa béstiis objécta est. Quæ cum in crucis spécie suspénsa cernerétur, Deóque intentíssime supplicáret, máximam alacritátem addébat certántibus: quippe qui sub sorória persóna cérnerent illum qui pro ipsis crucifíxus est. Cumque nulla tunc béstia corpus ejus attigísset, depósita ex stípite, rursus in cárcerem conjícitur, in áliud certámen reserváta. Attalus quoque, cum per amphitheátrum circumducerétur, præcedénte eum tabélla in qua latíno sermóne scriptum erat : Hic est Attalus christiánus ; præses, postquam civem románum eum esse cómperit, redúci in custódiam jubet, lítteris ad Cǽsarem datis, de his qui inclúsi tenebántur.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vj.

Ineúnte ígitur solémni apud nos mercátu, præses addúci jubet mártyres ad tribúnal, tamquam in theatráli pompa eos pópulis osténtans. Cumque illos dénuo interrogásset, quicúmque cives románi repérti sunt, eos cápite truncávit; réliquos trádidit béstiis. Cǽterum, ingens glória accéssit Christo per eos qui prius quidem negáverant, tunc vero confitebántur iídem. Quibus exámini subjéctis, Alexánder, natióne Phryx, professióne médicus, plures jam annos morátus in Gálliis, cum illos ad

fidei confessiónem nútibus hortarétur, cunctis qui tribúnal circúmdabant, tamquam partúriens videbátur. Instans illico præses, interrogávit eum quis esset. Qui cum christiánum se esse dixísset, irátus judex eum ad béstias damnávit. Postrídie ígitur una cum Attalo ingréssus est : nam et hunc præses béstiis iterum tradiderat. Ambo itaque cum ómnia tormentórum génera in amphitheátro sustinuíssent, gládio percússi sunt. Ultimo tandem spectaculórum die, Blandina rursus illáta est, una cum Póntico adolescénte, quindecim círciter annos nato. Et Pónticus quidem, cuncta supplícia generóse perpéssus, emísit spíritum. Beáta vero Blandína, post flagra, post béstias, post sartáginem, retículo inclúsa, táuro objécta est : a quo diu in altum jactáta, tandem et ipsa instar víctimæ juguláta est.

℟. Tamquam.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Cum audiéritis. de Communi.

Lectio ix. de SS. Marcellino et Sociis (duabus in unam junctis).

Commem. SS. Mart. in Laud. Ant. et ℣. de I. Vesperis.

Vesp. a Capit. de seq. Commem. præced.

DIE III

SANCTÆ CLOTILDIS

REGINÆ VIDUÆ

Duplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart., præter seq.

Oratio.

Réspice, quǽsumus Dómine, ad Francórum benignus impérium : et quibus per devótam sanctæ Clotildis instántiam donum fídei contulísti ; iisdem nunc per ejus intercessiónem tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

Commem. SS. Mart. Pothini et Soc. Ant. Gáudent in cælis. ℣. Exsultábunt. Orat. Deus, qui nos concédis.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Clotíldis, Chilperici Burgundiónum regis fília, post paréntum necem, a pátruo Gundobáldo rege educáta, Clodovǽo adhuc éthnico in cónjugem trádita est. Cum primogénitum peperisset, eum, toleránte magis quam approbánte Clodovǽo, baptizári jussit. Quo

infánte in albis defúncto, id ægre ádmodum tulit Clodovǽus, ac baptísmo imputávit. Alterum filium regina cum genuisset, hunc quoque baptizári vóluit. Qui, cum ægrotáre cœpisset, affirmánte rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus conváluit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

INTERIM regina non cessábat hortári virum, ut, abjécta idololátria, Deum verum cóleret: sed ille superstitióni Francórum adhærére non déstitit, donec in expeditióne Allemánica, jam inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxilio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Remos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium, a quo rex, fidem edóctus, baptizátus est, et chrísmate sacro inúnctus.

℟. Dilexísti.

Lectio vj.

POST mortem Clodovǽi, Túrones ádiit Clotildis; ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni summa pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemósynis aliísque piis opéribus inténta, munífica erga ecclésias et monastéria. Tandem plena diérum, Turónibus migrávit ad Dóminum; et Parísios inter psalléntium choros transláta, sepúlta est a fíliis Childebérto et Clotário régibus, ad latus Clodovǽi, in sacrário basílicæ beatórum Petri et Páuli, ubi corpus sanctæ Genovéfæ quiéscit.

℟. Fallax grátia.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Símile est. de Comm. nec Virg. nec Mart.

Vesp. a Capit. de S. Francisco, ut in Proprio Sanctorum. Commem. præced. Ant. Manum suam. ℣. Diffúsa est.

Oratio propria ut supra.

DIE VI

S. CLAUDII EPISC., DIŒCESIS PATRONI

Duplex 1. classis cum Oct.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq.

IN I. VESPERIS

Ant. de Laud. Pss. de Dom., et loco ult., Ps. Laudáte Dóminum.

Capitulum. Eccli. 44. c

Ecce sacérdos magnus qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus; et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus.

Cláudii sanctos imitáre mores,
Qui cupis vero celebráre cultu,
Ipse nam grato solet hos honóres
Cérnere vultu.

Dótibus claris meritisque plenis
Jam senes vincit, júvenis modéstus,
Castus, et strictis cóhibens habénis
Córporis æstus.

In Bisuntínis adoléscit aris;
Factus est præstans ibi forma cleri,
Parvus in magnis, humilisque claris
Gáudet habéri.

Inde contémpto rútilans honóre,
Factus est summus pátriæ minister,
Pastor est cura, pater est amóre,
Voce magister.

Pergit in silvas fúgiens tumúltum;
Plángitur luctu fuga funeráli;
Príncipes ornant, micat ordo multum
Præsule tali.

Cǽlites vivens imitátus ille
Scandit in cælum; manet illibátum
Corpus; hunc reddunt sibi parta mille
Dona beátum.

Sint tibi pláusus, tibi sint honóres,
Dona qui servo tribuis fidéli
Et beas sanctos hóminum labóres
Múnere cæli.
Amen.

℣. Elégit Dóminus servum suum. ℟. Páscere hereditátem suam.

Ad Magnif. Ant. Dóminus * státuit illi testaméntum ætérnum; et dedit illi sacerdótium gentis, et

beatificávit eum in glória.

Oratio.

Deus, qui beátum Cláudium Confessórem tuum atque Pontíficem, ut tibi soli víveret, sǽculo renuntiáre fecísti: da nobis ejus imitatióne; terréna ómnia despícere et amáre cæléstia. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invit. de Comm. Conf. Pont.

Hymn. Cláudii sanctos. ut supra.

IN I. NOCTURNO

Lect. Fidélis sermo. de Communi 1° loco.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Cláudius, in Burgúndia orientáli apud Salinénses nóbili génere natus est. Ecclésiæ Vesuntionénsi adscríptus, pietáte ac doctrína mirum in modum enítuit. Ejúsdem ecclésiæ, post óbitum Gervásii, eléctus epíscopus, sacrum honórem fuga declináre tentávit. Delítuit aliquámdiu, sed, ágnito Dei consílio, pastorále assúmpsit munus. Quod cum per septénnium sanctíssime exercuísset, in Jurénsi cœnóbio sancti Eugéndi monásticum institútum ampléxus est. Totus in observándis reguláris disciplínæ légibus ita præfúlsit, ut Injuriósus, hujúsce monastérii sanctíssimus abbas, sibi eum adhuc vivens successórem habére volúerit. At ne id fíeret fórtiter óbstitit Cláudius, dignum se réputans qui subésset ómnibus, indígnum qui vel uni præficerétur.

℟. Invéni.

Lectio v.

Erépto e vivis abbáte Injurióso, quod præ humilitáte recusáverat Cláudius, póstmodum commúni fratrum electióne et unánimi supplicatióne victus, accépit, licet vix triénnium in monastério peregísset. Tam gravi múnere per longam annórum séries pie ádmodum et laudabíliter functus, ábiit ad Dóminum, et sepúltus est in ecclésia sancti Eugéndi. Ejus sepúlcrum crebris nobilitátum est miráculis. Cum áutem sǽculo décimo tértio, Hubértus a Buénco, ejúsdem cœnóbii abbas, Cláudii corpus e sepúlcro voluísset edúcere, íntegrum illud réperit, inclusítque in capsa argéntea, in qua máxima cum veneratióne illǽsum et incorrúptum conservátum est. Tanta

fuit miraculórum quæ Deus operátus est ad relíquias sancti Cláudii fama, ut monastérium quod prius sancti Eugéndi nómine notum erat, exinde sancti Cláudii nuncupátum fúerit, et, anno millésimo septingentésimo quadragésimo secúndo, ejus ecclésia in cathedrálem a Benedicto décimo quarto erécta fúerit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Quanto in honóre fúerit sanctus Cláudius, indícium est, quod festum ejus per totam fere Gálliam celebrétur. Testántur étiam plures sub ejus nómine sodalitátes eréctæ, probant suscéptæ ad ejus túmulum peregrinatiónes. Tot enim ad illum confluxérunt úndique pópuli, étiam a remotióribus locis, ut inter celebérrimas Európæ pias peregrinatiónes habeátur peregrinátio ad sanctum Cláudium. Ipse Ludovícus undécimus, Gálliæ rex, multo cum comitátu ad ejus relíquias iter suscépit anno millésimo quadringentésimo octogésimo primo, atque monastérium plúrimis réditibus et fundatiónibus ditávit. Anna, Ludovici duodécimi uxor, sanctum Cláudium tam impénse colébat, ut fíliam suam ejus nómine appellári volúerit. Ejus mirácula sanctus Franciscus Salésius in fídei cathólicæ testimónium afferébat, ejus relíquias magna cum devotióne visitábat, et ad ejus túmulum, societátis Visitatiónis beátæ Maríæ Vírginis, cum beáta Joánna Francisca fundaménta jecit. Exstat Romæ sub beáti Cláudii invocatióne ecclésia quæ Burgundiónum nuncupátur, in qua ejus festum magna cum solemnitáte perágitur.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Vigiláte... Ut ignorántiam. de Comm. Conf. Pont. 2º loco.

AD LAUDES

ET PER HORAS

Ant. 1. Invéni virum * secúndum cor meum, qui fáciet omnes voluntátes meas.

Ps. Dóminus regnávit. cum reliq. de Dom.

2. Zelándo * zelum Dei, accépit testimónium sacerdótii ætérni.

3. Deus dixit * ad illum : Exi de terra tua et de cognatióne tua, et veni in terram quam monstrávero tibi.

4. Circa illum* coróna fratrum, et quasi plantátio cedri in Líbano; sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ.

5. Defóssus * secúrus dórmies, et deprecabúntur fáciem tuam plúrimi.

Capit. Ecce sacérdos magnus. ut supra.

Hymnus.

JESU, sacerdótum decus,
In hac die qua glória
Sanctum corónas præsulem,
Votis adésto súpplicum.

Sui probátus prǽmium
Amóris, et pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit agnos páscere.

Hos novit et præit vocans
In tuta quemque páscua,
Victúmque præbet : áudiunt,
Sequúntur, et vivunt oves.

Erráre si quam sénserit,
Hanc nocte quærit ac die,
Et gáudet invéntam suo
Portans ovíli réddere.

Arcet freméntes béstias,
Lupi retúndit ímpetus
Dolósque fallit, vel mori
Caro parátus pro grege.

Supréme, Christe, Póntifex,
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso.
℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Ad Bened. Ant. Dormívit* et osténdit finem vitæ, et exaltávit vocem suam in prophetía.

Orat. Deus qui beátum Cláudium. ut supra.

IN II. VESPERIS

Ant. Invéni virum. cum reliq. de Laud.

Pss. Dixit Dóminus. cum reliq. de Dom., et loco ult., Ps. Meménto Dómine David.

Capit. et Hymn. ut supra in I. Vesp.

℣. In Deo sperávit cor meum. ℟. Et reflóruit caro mea.

Ad Magnif. Ant. In pópulo * hereditábit honórem; et nomen illíus erit vivens in ætérnum.

Orat. Deus qui beátum Cláudium. ut supra.

Commem. S. Norberti Episc. et Conf. ut in Proprio Sanctorum, die 6 Junii.

DIE VII

(ex heri.)

SANCTI NORBERTI

EPISCOPI ET CONFESSORIS

Duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, die 6 Junii, præter seq.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

In Laud. et Vesp. Commem. Oct. S. Claudii.

DIE VIII

TERTIA DIE INFRA OCT.

SANCTI CLAUDII

Semiduplex.

Omnia ut in die Festi, præter seq.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

De Epístola sancti Hierónymi Presbýteri ad Nepotiánum.

Lectio iv.

Hospitíolum tuum, aut raro, aut numquam mulierum pedes terant. Omnes puéllas et vírgines Christi, aut æquáliter ignóra aut æquáliter dílige. Ne sub eódem tecto mánsites, nec in prætérita castitáte confídas. Nec David sánctior, nec Samsóne fórtior, nec Salomóne potes esse sapiéntior. Meménto semper quod Paradísi colónum de possessióne sua múlier ejécerit. Si propter offícium clericátus, aut vídua a te visitátur, aut virgo, numquam domum solus intróeas. Tales habéto sócios quorum contubérnio non infaméris. Si lector, si acólytus, si psaltes te séquitur, non ornéntur veste, sed móribus ; nec calamistro crispent comas, sed pudicítiam hábitu polliceántur. Solus cum sola, secréto et absque árbitro vel teste non sédeas. Cavéto omnes suspiciónes, et quidquid probabíliter fingi potest, ne fingátur, ante devíta.

℟. Invéni David servum meum.

Lectio v.

Divínas Scriptúras sǽpius lege, immo numquam de mánibus tuis sacra léctio deponátur. Disce quod dóceas; óbtine eum qui secúndum doctrínam est fidélem sermónem, ut possis exhortári in doctrína sana, et contradicéntes revíncere. Pérmane in his quæ didicísti et crédita sunt tibi, sciens a quo didíceris, parátus semper ad satisfactiónem omni poscénti te ratiónem de ea quæ in te est spe. Non confúndant ópera tua sermónem tuum, ne cum in ecclésia lóqueris, tácitus quílibet respóndeat : Cur ergo quæ dicis, ipse non facis? Sacerdótis Christi os, mens manúsque concórdent. Esto subjéctus pontífici tuo, et quasi ánimæ paréntem súscipe.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Docénte te in ecclésia, non clamor pópuli, sed gémitus suscitétur. Lácrymæ auditórum láudes tuæ sint. Sermo presbýteri Scripturárum lectióne cónditus sit. Nolo te declamatórem esse, sed mysteriórum perítum, et sacramentórum Dei tui eruditissimum. Verba vólvere et celeritáte dicéndi apud imperítum vulgus admiratiónem sui fácere, indoctórum hóminum est. Vestes pullas æque devíta ut cándidas. Ornátus ut sordes pari modo fugiéndi sunt. Vis scire quales Dóminus quærat ornátus? Habéto prudéntiam, justítiam, temperántiam, fortitúdinem. His cæli plagis inclúdere, hæc te quadríga, velut aurígam Christi, ad metam cóncitum ferat. Nihil hoc monili pretiósius, nihil hac gemmárum varietáte distínctius. Et ornaménto tibi sunt, et tutámini: gemmæ vertúntur in scuta.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24. d

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía S. Joánnis Chrysóstomi.

Ex Hom. 78. in Matth. ante med.

Proptérea hæc dicit Dóminus discípulis, ut vígilent, ut júgiter paráti sint, quia qua non exístimant hora, ventúrus est. Sollícitos ígitur facit et curiósos, ne umquam virtútem négligant. Tale quid áutem est, quod dícitur: Si præscirent hómines, quando moritúri sint, diligéntiam suam circa illam horam osténderent. Ne ígitur in illo solúmmodo témpore, sed contínue diligéntes sint, nec generálem, nec singulárem horam prædícit, ut semper exspectándo, semper vígilent: hac enim ratióne términum vitæ uniuscujúsque occúluit.

℟. Amávit eum.

Lectio viij.

Deínde líquido ádeo ut numquam liquídius, Dóminum se ipsum appellávit. Hæc áutem étiam ad erubescéntiam desídiæ mihi dicta vidéntur: majórem enim diligéntiam pecuniárum conservandárum habent furem exspectántes, quam vos salútis ánimæ. Vígilant enim tunc, ne áliquid

sibi subripiátur : vos vero, quamvis certo sciátis ventúrum Dóminum, non perseverátis tamen, neque ita vigilátis, ut possitis non impræparáti ex hac vita discédere. Quaprópter cum pernície dormiéntium dies ille ventúrus est. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

NAM quemádmodum non læderétur ille furto, si furem sciret ventúrum; sic et vos, quóniam scitis Dóminum ventúrum, paratióres esse debétis. Cǽterum quóniam judícii mentiónem fecit, ad Doctóres étiam vertit oratiónem, de pœna et méritis dísserens. Et primo bonis collocátis, ad peccatóres éxitum facit, commodíssime oratiónem conclúdens. Quis ergo, inquit, fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore?

Te Deum laudámus.

In II. Vesp. Commem. SS. Primi et Feliciani Mart. ut in Proprio Sanct.

DIE IX

QUARTA DIE INFRA OCT.

SANCTI CLAUDII

Semiduplex.

Omnia ut in die Festi, præter seq.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Ex libro Pastorâli sancti Gregórii Papæ.

Part. 2. Cap. 1, 2, 3, 4.

Lectio iv.

TANTUM debet actiónem pópuli áctio transcéndere prǽsulis, quantum distáre solet a grege vita pastóris. Sit ergo, necésse est, cogitatióne mundus, quátenus nulla hunc immundítia pólluat, ut in aliénis quoque córdibus pollutiónis máculas tergat ; quia necésse est ut esse munda stúdeat manus quæ dilúere aliórum sordes curat. Sit operatióne præcípuus, ut vitæ viam súbditis vivéndo denúntiet; et grex, qui pastóris vocem morésque séquitur, per exémpla mélius quam per verba gradiátur. Qui enim loci sui necessitáte exígitur summa dícere, hac eádem necessitáte compéllitur summa monstráre; illa namque vox libéntius auditórum cor pénetrat, quam dicéntis vita comméndat.

℟. Invéni David.

Lectio v.

SIT rector síngulis compassióne próximus, præ cunctis contemplatióne suspénsus; ut et per

pietátis viscera in se infirmitátem cæterórum tránsferat, et per speculatiónis altitúdinem semetipsum quoque invisibilia appeténdo transcéndat; ne, aut alta petens, proximórum infírma despíciat, aut infírmis proximórum cóngruens appétere alta derelínquat. Sit bene agéntibus per humilitátem sócius, contra delinquéntium vitia per zelum justítiæ eréctus. Unde cuncti qui præsunt, non in se potestátem debent órdinis, sed æqualitátem pensáre conditiónis; nec præésse se homínibus gáudeant, sed prodésse.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj. Cap. 8.

SCIÉNDUM quoque est quod non opórtet ut rectóres boni placére homínibus áppetant, sed ut suæ æstimatiónis dulcédine, próximos in afféctum veritátis trahant; non ut se amári desíderent; sed ut dilectiónem suam quasi quamdam viam fáciant, per quam corda audiéntium ad amórem conditóris introdúcant. Difficile quippe est ut quámlibet recta denúntians prædicátor qui non dilígitur, libénter audiátur. Debet ergo qui præest, et studére se díligi, quátenus possit audíri, et tamen amórem suum pro se ipso non quærere.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24. d

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

De Homilía S. Fulgéntii Epíscopi

Sermone de Confessoribus.

DISPENSÁTOR vero, quis sit, quem opórtet esse fidélem páriter et prudéntem; Páulus nobis osténdit Apóstolus, qui de se suisque sóciis loquens ait: sic nos existimet homo, ut minístros Christi et dispensatóres mysteriórum Dei. Ne quis áutem vestrum solos Apóstolos dispensatóres factos existimet, neglectóque milítiæ spiritális offício, servus piger, infidéliter, imprudentérque dormitet, ipse beátus Apóstolus epíscopos quoque dispensatóres esse osténdens, ait: Opórtet enim epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem.

℟. Amávit eum.

Lectio viij.

SERVI áutem patris famílias sumus, dispensatóres Dómini sumus, mensúram trítici, quam vobis erogémus, accépimus. Quæ vero sit ista mensúra trítici, si quærámus, ipsam quoque nobis beátus Páulus Apóstolus osténdit, dicens : Unicuique sicut Deus divísit mensúram fídei. Quam ergo mensúram trítici Christus núncupat, ipsam mensúram fídei Páulus appéllat : ut agnoscámus non áliud esse spiritále tríticum quam christiánæ fídei venerábile sacraméntum.

℟. Sint lumbi.

Lect. ix. de SS. Primo et Feliciano Mart. (duabus in unam junctis), quorum Commemorat. in Laud.

Vesp. de seq. Commem. Oct. S. Claudii.

DIEBUS X, XI, XII

Omnia ut in Proprio Sanctorum, cum Commem. Oct. S. Claudii, in Laud. et utrisque Vesp.

DIE XIII

OCTAVA S. CLAUDII

EPISCOPI ET CONFESSORIS

Duplex.

Omnia sicut in die Festi, præter seq.

Vesperæ a Capitulo de Oct. S. Claudii, ut in I. Vesp. Festi. Commem. præced. ut in Proprio Sanctorum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Ex actis Translatiónum S. Cláudii Episcopi.

Lectio iv.

PLÚRIMI viri, inter quos étiam príncipes, sancti Cláudii celebritáte commóti, una cum ejus córporis custódibus ampliórem basílicam, quæ tam pretiósas relíquias mélius excíperet, exstrúere statuérunt. Opus jam ab annis círciter quadringéntis inchoátum, mox abrúptum témporis injúria, tandem sǽculo décimo octávo felíciter absolútum est. Itaque canónici, regulárium in asservándo depósito sicut in pietáte successóres, episcopum súpplices rogavérunt quátenus relíquias e véteri eóque defórmi templo, in novam sub título sancti Petri basílicam in cathedrálem eréctam transférri permítteret.

℟. Invéni David.

Lectio v.

PIIS canonicórum votis ánnuit Póntifex. Quam-

óbrem utriúsque basílicæ exploratióne facta, ad túmulum beáti Cláudii se cóntulit, comitántibus plúrimis de clero, aliísque órdinum diversórum téstibus. Ibi coram adstánte multitúdine, apérta capsa, corpus expánsum, incorrúptum atque íntegrum repértum fuit. Cujus facti fidem fecére peritórum testimónia públicis monuméntis consignáta. Igitur sancto córpore sub episcopi ejúsque capítuli sigíllis reclúso, indícta fuit translátio die vigésima sexta mensis Augústi anni millésimi septingentésimi quinquagésimi quarti.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Convenérunt ad hæc solémnia hómines non páuci, honóribus ecclesiásticis et civílibus insígnes, quibus sóciam se adjúnxit innúmera fidélium multitúdo, non e civitáte modo et diœcési, sed ex divérsis étiam provínciis et regiónibus congregáta. Itaque prius obláto sancto sacrifício, beáti pontíficis corpus, una cum quibúsdam áliis relíquiis, in cathedrálem basílicam, subsequéntibus antístite, clero ac plebe univérsa, pompa solémni et ingénti comitátu delátum est, atque prope altáre majus in capsa láminis argénteis ornáta repósitum. Ibi máximo, sicut ántea, populórum concúrsu assiduáque veneratióne frequentabátur. Cum áutem, circa finem ejúsdem sǽculi ómnia in Gálliis perturbaréntur, impiíque hómines, templis spoliátis, sacerdótibus aut necátis, aut in exsílium pulsis, christiánum étiam nomen delére conaréntur, sacrílegi quidam in ipsam cathedrálem irrumpéntes, sacrum depósitum abripuérunt, et (horréndum dictu!) igni tradidérunt. Attamen súperest bráchium, córpore jamjam comburéndo decérptum, et pie ac furtíve servátum. Quod, ineúnte sǽculo décimo nono, pace Galliárum ecclésiis réddita, archiepíscopus Bisuntínus rite recognóvit, et in cápsula argéntea depósitum fidélium veneratióni restítuit.

℟. Iste est.

Vesp. a Capit. de S. Basilio, ut in Proprio Sanctorum. Commemorat. præced. Ant. In pópulo. ℣. In Deo.

Orat. ut supra in Festo.

DIE XV

(e 13 hujus mensis.)

S. ANTONII DE PADUA

CONFESSORIS

Duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum (die 13 hujus mensis), præter seq.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

Vesp. a Capit. cum Commem. præced. Ant. O Doctor. ℣. Justum. Orat. propria.

Deinde Commem. SS. Viti, Modesti et Crescentiæ Mart., ut in Proprio Sanctorum.

Lect. ix. de SS. Vito, Modesto et Crescentia Mart. (duabus in unam junctis), quorum Comm. in Laud.

Vesp. de seq. Commem. præced.

DIE XVI

SS. FERREOLI ET FERRUCII

MARTYRUM

Duplex 2. classis.

Omnia de Comm. plur. Mart., præter seq.

Oratio.

Deus, qui nobis per beátos Ferréolum et Ferrúcium fidei documénta tradidisti : concéde propitius; ut de quorum gratulámur victóriis, ipsórum protegámur suffrágiis. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. S. Antonii. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Orat. propr.

IN I. NOCTURNO

Lect. Fratres : Debitóres. de Comm. plur. Mart.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Ferréolus présbyter, et Ferrúcius diáconus, Athénis oriúndi, a sancto Irenǽo Lugdunénsium episcopo Vesuntiónem missi sunt, ut Christum, Dei Filium, Deum et hóminem, mundi Redemptórem prædicárent. Horum virtus ac sapiéntia infinitam pópuli multitúdinem Christo acquisiérunt. Erat enim in eis dignitas jucúnda vultus, moderátio magna incéssus, grátia mirábilis elóquii, hábitus quoque vestimentórum húmilis et qualem tunc gerébant christiáni, nullo modo ambitiósus, sed cándidus. Verbo ejiciébant dæmónes, sanábant ægrótos, sáucios, cæcos, surdos, cláudos, débiles curábant, et genus omne morbi depellébant. In spelúncam quæ uno milliário ac semis ab urbe distábat, relicta multitúdine, se conferébant, ibi die noctúque oratiónes et gratiárum actiónes offerébant; fer-

túrque illa spelúnca, cum adéssent, numquam sine luce fuísse.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Eódem témpore, Felix présbyter, Fortunátus et Achillǽus diáconi, ejúsdem Irenǽi discípuli, Valéntiæ in Gálliis, Evangélium Christi prædicábant. Plácuit áutem Christo Dómino nostro athlétas suos ad imminéntia animáre certámina. Igitur per quiétem vidére Felíci visum est locum amœníssimum, mira florum suavitáte spectábilem, in quo quinque agni mundi et cándidi lília depascébant; et audíta est vox : Veníte, Irenǽi discípuli, servi boni et fidéles; intráte in gáudium Dómini Dei vestri : sociáte vos cum frátribus vestris. Quæ cum sóciis retulísset Felix, ádvenit Vesuntióne núntius a Ferréolo et Ferrúcio lítteras déferens, quibus admonebántur visas a se, apérto quasi cælo, corónas quinque gemmis et áuro contéxtas, simúlque audítam vocem : Veníte, Irenǽi discípuli : percípite quod parátum est vobis regnum : ut sicut una fecistis voluntátem Dei in terris, ita páriter percipiátis regnum promíssum vobis in cælo.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vj.

Passi sunt Ferréolus et Ferrúcius Vesuntióne sub Cláudio urbis præfécto, qui beátos mártyres, cum nullis minis vel pollicitatiónibus movéri possent, ad tróchleas exténdi et cædi jubet. Illi vero nullum dolórem ex flagéllis sentiébant : sed vultu tamquam angélico lætári et gaudére videbántur. Perstántibus in fídei confessióne linguas amputári jussit; sed illi abscíssis linguis Dei verbum nihilóminus loquebántur. Judex magis irátus fíbulas, post hæc trigónas utríque per univérsum corpus affígi, et malleórum tunsiónibus jubet immítti. Alia quæcúmque excogitáre póterat torménta cum intulísset, victus, tandem gládio percúti jubet, décimo sexto Kaléndas Július. Córpora a fidélibus subláta nocte fuérunt, et in crypta, ubi ántea degébant, sepúlta.

℟. Tamquam áurum.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. Cap. 16. c

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis :

Eúntes in mundum univérsum prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilia sancti Joánnis Chrysóstomi.

In Ep. I. ad Cor. Hom. 7.

DICÉBAM nuper Apóstolos ea quæ prædicárunt, numquam prædicatúros fuísse, nisi divína movénte grátia et non modo id non perfectúros, sed neque hac de re consultatúros fuísse. Age vero; hódie quoque hanc rem excutiámus, ostendamúsque non potuísse eos id suscipere vel cogitáre, nisi Christum secum habuíssent. Non quia imbecílles advérsus fortes, non quia páuci contra multos, non quia páuperes contra dívites, non quia indócti contra sapiéntes, áciem instruébant; sed quia præjudicátæ opiniónis magna vis erat. Scitis enim nihil apud hómines valídius esse véteris consuetúdinis tyránnide. Nihil enim ita turbat ánimum, etiámsi útile quidpiam aggrediátur, ut innováre et peregrínum quid indúcere, máxime cum de cultu religiónis et de Dei glória ágitur.

℟. Propter testaméntum.

Lectio viij.

NON modo a consuetúdine ad consuetúdinem trahébant, sed a consuetúdine securitátem habénte ad rem perícula minitántem. Credéntem enim statim accidébat publicári, pelli, a pátria excídere, ab ómnibus ódio habéri, commúnem hostem esse, et suis, et aliénis. Itaque etiámsi vocássent a novitáte ad consuetúdinem, étiam sic res diffícilis fuísset; cum áutem a consuetúdine ad novitátem vocárent, et hæc adéssent mala, cógita quantum erat illud impediméntum. Præter áutem ea quæ dicta sunt, áliud non lévius erat quod mutatiónem diffícilem rédderet. Ad consuetúdinem enim et perícula id addas, quod hæc præcépta onerosióra essent, et ea a quibus abducébant, lévia et facília. Nam a fornicatióne ad castitátem vocábant, ab amóre vitæ ad mortem, ab ebrietáte ad jejúnium, a risu ad lácrymas et compunctiónem, ab avarítia ad paupertátem, a securitáte ad perícula; et per ómnia extrémam exigébant accuratiónem.

℟. Sancti mei, qui in carne.

Lectio ix.

ITAQUE ea de cáusa máxime admirári oportébat quod bárbaris homínibus persuáserint ut talem fidem susciperent, et bonam de futúris spem habérent ac depósita priórum peccatórum sárcina, cum magna ánimi alacritáte, deinde pro virtúte labóres susciperent, et ad sensibilia nulla inhiárent, omnibúsque córporis rebus superióres effécti, spirituália accíperent dona; ac Persa, Sármata, Máurus et Indus scirent ánimæ expiatiónem, Dei poténtiam et benignitátem ineffábilem, fídei philosophíam, Spíritus sancti advéntum, córporum resurrectiónem, et vitæ immortális dógmata. Hæc quippe ómnia, et his plura, barbarórum génera, piscatóres in baptismo mystériis initiántes, philosophári suasérunt.

Te Deum laudámus.

In II. Vesp. Commem. seq. ut in Supplem. pro aliquibus locis.

DIE XVII

(ex heri.)

S. JOANNIS FRANCISCI REGIS

CONFESSORIS

Duplex.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis die 16 Junii, præter seq.

In II. Vesp. S. Joannis Francisci Commem. SS. Marci et Soc. Mart. ut in Proprio Sanctorum.

DIE XXVIII

S. IRENÆI EPISC. ET MART.

Duplex.

Omnia ut in Suppl. pro aliquib. locis die 28 Junii, vel 3 Julii, præter seq.

In I. Vesp. Commem. Oct. S. Joannis Baptistæ. Lect. ix. de Homil. Vigil. SS. Apost. Petri et Pauli.

In Laud. Commem. Oct. et Vigil.

Vesp. de seq. cum Commem. omnium SS. Apost. Ant. In hoc. ℣. Nimis. Orat. Exáudi nos. in Supplem.

FESTA JULII

DIE III

SANCTI ALDEGRINI

CONFESSORIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

In II. Vesp. Visitatiónis B. Mariæ Vírginis fit Commem. S. Aldegrini. Ant. Similábo. ℣. Amávit. Orat. Adésto. de Communi.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

ALDEGRÍNUS, miles illústris, in armis strénuus, in concílio próvidus, ut audivit quam pie víveret sanctus Odo, ipsum ádiit. Verbis ejus et exémplis addúctus est ut mundo renuntiáret. Ambo mútuo consénsu vitam monásticam suscipere statuérunt, sed non nisi in monastério in quo máxime vigéret reguláris observántia. Tale reperére Balménse monastérium in diœcési Bisuntína situm, cui prǽerat abbas Berno. Ibi Aldegrínus vitam religiósam proféssus, de abbátis consénsu, secéssit in antrum vicínum, unde in monastérium non redíbat, nisi diébus domínicis ac festívis. Vitam ibi per trigínta annos valde austéram duxit, pro victu conténtus pane et fabis insúlsis, vino pénitus ábstinens, ómnibus cæli et áeris incleméntiis objéctus. Sacrum ejus corpus quiéscere in ecclésia abbátiæ Balménsis testátur vetus missále ejúsdem abbátiæ.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v. Deridétur. Lect. vj. At contra. de Comm. Conf. non Pont. 2º loco, cum ℟℟. v. et vj. II. Nocturni.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Nolíte timére. de Comm. Conf. non Pont. 2º loco.

In Laud. Commem. Oct. SS. Apostolorum.

In II. Vesp. Commem. seq. et Oct. SS. Apostolorum.

DIE IV

(e 28 Junii.)

SANCTI LEONIS

PAPÆ ET CONFESSORIS

Semiduplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum die 28 Junii, præter seq.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

In Laud. Commem. Oct. SS. Apostolorum.

Vesp. de seq. Commem. præced. Ant. Dum esset. ℣. Justum. Deinde Commem. Oct. SS. Apostolorum.

DIE VII

SANCTI JUSTI

CONFESSORIS

Simplex.

In II. Vesp. Octavæ SS. Petri et Pauli, Commem. S. Justi. Ant. Similábo. ℣. Amávit. Orat. Adésto. de Comm. Conf. non Pont. Lect. j. et ij. de Script. occur.

Pro S. Justo.
Lectio iij.

Justus, professióne mónachus, ex eórum número fuit, qui in sanctórum Patrum Jurénsium disciplína ad exímium sanctitátis decus provécti sunt. Is sub sǽculi quinti finem célebre cœnóbium Condaténse ingréssus, ex vetustíssimis monuméntis exhibétur virtútibus floruísse, publicíque cultus honóres in cunctis ejúsdem órdinis dómibus jámdudum obtinuísse. Ejus vero córporis pars insignis, dextrum scílicet femur cum pede et tíbia, desiccáta carne et cute adhuc obdúctum, ad priorátum Sálegæ, (nunc paróchiam diœcésis Gratianopolitánæ), qui olim in Jurénsium Abbátum ditióne fuit, decurrénte sǽculo nono transláta fuit; quæ ibi ad nostros usque dies, cujusvis corruptiónis expers, mirum in modum pérmanens, illam ecclésiam pretiosíssimo pígnore ditat et cæléstì tutéla protégit.

Te Deum laudámus.

Vesp. de seq.

DIE IX
PRODIGIORUM B. M. V.
Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, præter seq.

In I. Vesp. Commem. sanctæ Elisabeth, per Ant., ℣. et Orat. propria, ut in Proprio Sanctorum.

In II. Vesp. Commem. SS. Septem Fratrum ac Rufinæ et Secundæ Mart., ut in Proprio Sanctorum.

DIE XI
SANCTI VIVENTIOLI
EPISC. ET CONF.
Semiduplex.

Omnia de Comm. Pont., præter seq.

A Capit. de S. Viventiolo.

Orat. Exáudi. de Communi.

Et fit Commem. præced. Ant. Gáudent. ℣. Exsultábunt. Oratio propria. Deinde Commem. S. Pii Papæ et Mart., ut in Proprio Sanctorum.

IN I. NOCTURNO
Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO
Lectio iv.

Viventiólus in Jurénsi monastério (quod deinceps sancti Cláudii nomen accépit) monásticam vitam proféssus, et illic présbyter factus, ob ipsíus pietátis splendórem, defúncto beáto Stéphano, ómnium votis ad Lugdunénsem sedem evéctus est, circa inítia sǽculi

sexti. Ejus stúdio, data epistola, quæ exstat, ad comprovinciáles suos, coáctum est a beáto Avito episcopórum regni Burgúndiæ concilium apud Epaónam vicum in diœcési Viennénsi, ad instaurándam Ecclésiæ disciplinam; in quo Viventiólus velut clarum sidus effúlsit. Aliud concilium ipse Lugdúnum convocáverat contra incestuósum quemdam Stéphanum régii ærárii præféctum. Unde ab iráto Sigismúndo cum áliis episcopis in exsilium actus est.

℟. Invéni David.

Lectio v.

AGAUNÉNSIS tamen monastérii fundatiónem et erectiónem póstea impetrávit, eique Ambrósium abbátem Insulæ Bárbaræ præficiéndum curávit. Bonis tandem plenus opéribus, obdormívit in Dómino, et in ecclésia sancti Nicétii sepúltus est. Exstant ad eum quátuor Aviti Viennénsis epístolæ, et honorificam de eo mentiónem facit Agobárdus, ex quo eum doctissimum virum fuísse díscimus.

℟. Pósui adjutórium.

Lect. vj. Beáti Patris. de Comm. 2° loco.

℟. Iste est qui.

IN III. NOCTURNO

Lect. vij. et viij. Homil. in Evang. Vigiláte. 2° loco. Ut ignorántiam. de Communi Conf. Pont.

Lect. ix. de S. Pio, cujus Commem. in Laud. ut in Proprio Sanctorum.

Vesp. de seq. Commem. præced. Ant. Amávit. ℣. Justum. Orat. Exáudi.

Postea fit Commem. SS. Naboris et Felicis Mart., ut in Proprio Sanctorum.

DIE XXII

STÆ MARIÆ MAGDALENÆ

Duplex majus.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, præter seq.

II. Vesperæ dicuntur integræ de sancta Maria Magdalena cum Commem. S. Apollinaris Episc. et Mart. et S. Liborii Episc. et Conf., ut in Proprio Sanctorum.

DIE XXIV

B. LUDOVICÆ A SABAUDIA

VIDUÆ

Duplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart., præter seq.

A Capit. de B. Ludovica.

Oratio.

DEUS, qui beátam Ludovicam a sǽculi

pompa ad húmilem tuæ crucis sequélam toto corde transire docuísti : concéde ; ut ejus méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ crucis ómnia nobis adversántia superáre : Qui vivis.

Commem. præced. Ant. Qui vult. ℣. Justus. Orat. propria, et S. Christinæ Virg. et Mart., ℣. de Laud.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

LUDOVÍCA, beáti Amedǽi, Sabáudiæ ducis, fília, mirábili Dei consílio, et virgínibus et conjugátis et víduis non solum, sed et ipsis sanctimoniálibus, ut virtútis monstráret quod imitaréntur exémplum, potíssimum data vidétur. A téneris annis puériles quosque lusus fastídiens, mánuum labóri aut oratióni sédulo vacans, cum virtútis stúdio solitúdinis amórem morúmque gravitátem mirabíliter conjúnxit. Cum perpétuam virginitátem serváre ac vovére meditarétur, nútui tamen Ludovíci undécimi regis pátrui sui obséquens, Hugóni a Cabilóne núptui trádita est. Hinc in ánimi ornátum curam omnem ac stúdium convértit ; exémplo ac sermónis auctoritáte subditórum mores in mélius immutáre satégit ; ita virum suum ad evangélicæ legis trámites compósuit, ut pietátis stúdio, misericórdia in páuperes justitiáque ac cleméntia, ætátis suæ príncipes fácile antecélleret.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

VIGÉSIMO séptimo ætátis anno, viro orbáta, álias et honoríficas oblátas recúsans núptias, Nozeréti degens, carnis pótius maceratióni ac pietátis opéribus totam se devóvit. Cáritas illa, quæ cum Ludovíca ab adolescéntia créverat, nullo ámplius límite detinebátur. Profúsa liberalitáte ingéntes opes in páuperum, clericórum, sanctimonialiúmque alimóniam erogábat. Míseris opitulabátur, languéntibus ád
erat, et quibúsvis morbo étiam tetérrimo inféctis, solátium et ministérium humíllime impéndere non cessábat.

℟. Dilexísti.

Lectio vj.

REBUS tandem famíliæ et ditiónis compósitis, suis frustra obsisténtibus, in monastério Orbæ ór-

dinis sancti Francisci, ubi rigidior vigébat sanctæ Colétæ disciplina, cujúsque hábitum jámdiu indúerat, se recépit. Dimisso pénitus voluntátis arbitrio, ut obediéntiam ad miráculum usque excóleret, tanta se humilitáte dejécit, ut veste, voce, incéssu et múnere ómnium mínima esset. Asperitáte áutem cilícii, véstium durítie, pedum nuditáte, jejúniis ac labóre corpus afflíxit, et gravíssimo morbo afféсta seipsam Deo comméndans, die quam prædíxerat, vigésima quarta Július, anno millésimo quingentésimo tértio, ætátis suæ quadragésimo secúndo, ad cæléstem sponsum migrávit. Ob multa et in fúnere et post mortem patráta prodígia, ab ómnibus beáta nuncupári cœpit, præsértim cum ab ea quamplúres et valetúdinem et auxílium obtinuíssent. Corpus beátæ Nozerétum translátum fuit ut a Calviniána dispersióne subriperétur, dein Táurinum, anno scílicet millésimo, octingentésimo trigésimo nono Gregório Papa dé-
...to, simul cultum
...orábili præ-
...nánte.
...rátia.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Símile est regnum cælórum. ut in Comm. nec Virg. nec Mart. Cælórum regnum.

Lect. ix. de Homil. Vigil.

In Laud. Commem. Vigil. et S. Christinæ, ℣. I. Vesp.

Vesp. de seq. cum Commem. præced. Ant. Manum suam. ℣. Diffúsa est. Orat. propria ut supra.

DIE XXVII

SANCTI DESIDERATI

EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq.

In II. Vesp. sanctæ Annæ, Commem. S. Desiderati.

Oratio.

Deus, qui beátum Desiderátum Episcopum Ecclésiæ tuæ præfícere dignátus es, ut eam verbo pásceret et informáret exémplo: da ut, tanti Pontíficis mémores; ejus intercessióne, te præmium ætérnum ássequi mereámur. Per Dóminum.

Deinde Commem. S. Pantaleonis, ut in Proprio Sanctorum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Desiderátus, óptimam sortitus índolem, a pueritia se totum pietátis exercitiis dedit. Sciéntiis sacris et profánis excúltus, ita ómnium in se admiratiónem traxit, ut mórtuo Antidio, episcopo Bisuntino, unánimis cleri et pópuli votis in successórem eléctus fúerit. Præsul factus omnes múneris sui partes eximie implévit. Exercéndis caritátis ac misericórdiæ opéribus máxime inténtus, captivos redímere, egénis subveníre, víduis et orphánis opitulári sólitus erat.

℟. Invéni.

Lectio v.

Oves sibi commissas sæpius invisens, verbo et crebris hortatiónibus, ad omnem morum honestátem ac pietátem formáre satagébat, labóri et itinéribus nullo modo parcens. Quo in múnere occupátus, cum in Ledonénsi óppido substitisset, ibi vita functus est et sepúltus. Super túmulum ejus exstrúcta est ecclésia, cui adjéctum fuit monastérium, et constitúti mónachi, qui dictæ ecclésiæ deservírent.

℟. Pósui.

Lectio vj.

Undécimo sæculo, sancti episcopi corpus e sáxeo lóculo, in quo latébat, extráctum, in thecam ligneam translátum fuit. Caput vero in ecclésiam abbátiæ Balménsis, sub cujus ditióne ecclésia sancti Desideráti redácta erat, translátum, ibi etiámnum asservátur. Circa médium sæculi décimi quinti, pretiósæ relíquiæ, quæ ut pignus cæléstis tutélæ colebántur, in capsa argéntea, súmptibus incolárum Ledonénsium mira arte confécta, collocátæ sunt. Sed eo infáusto témpore, quo sub décimi octávi sæculi finem, in Gálliis fidem cathólicam cultúmque divínum evértere impii conabántur, sacrílege igni tráditæ sunt. Supérsunt tamen quædam reliquiárum partículæ ab archiepíscopo Bisuntino recógnitæ, quæ in duábus ecclésiis urbis Ledonénsis conservátæ, summa fidélium pietáte colúntur; et lóculus in quo primum sancti Desideráti corpus condítum fúerat, sub altáre antíquæ cryptæ, ejus nómine dicátæ, religióse servátur.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Homo

péregre proficiscens. de Comm. Conf. Pont.

Lect. ix. de S. Pantaleone, cujus Commem in Laud.

In II. Vesp. Commem. SS. Nazarii et Soc. Mart ut in Proprio Sanctorum.

DIE XXIX
SANCTÆ MARTHÆ
VIRGINIS
Duplex majus.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, præter seq.

Vesp. dicuntur integræ de sanctaMartha, cum Commem. SS. Nazarii et Soc. Mart., et SS. Felicis, Simplicii et Soc. Mart.

Lect. I. Noct. De virginibus. de Comm. Virg. 1° loco.

In Laud. Commem. SS. Felicis, etc. Mart.

In II. Vesp. Commem. S. Imitherii Conf. ut infra, et SS. Abdon et Sennen ut in Proprio.

DIE XXX
S. IMITHERII CONF.
Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

In II. Vesp. sanctæ Marthæ, Commem. S. Imitherii. Orat. Adésto. de Comm.

Commem. SS. Abdon et Sennen, ut in Proprio Sanctorum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Imithérius, mónachus Jurénsis, in céllula a Condaténsi monastério díssita, intra comitátum Burgúndiæ, sæculo sexto sanctissime vixit, in eáque sepúltus est. Ad ejus túmulum plúrimi mox habitátum concessérunt. In hujus vículi, nómine sancti Imithérii insigníti, ecclésia, ipsius relíquiæ asservántur et religióse colúntur. Quam plúrima mirácula, eo invocáto, audiúntur patráta; et memorátur surdus ex annis decem, cum ad ejus ecclésiam ténderet, in itínere persanátus.

℟. Honéstum fecit illum.

Lect. v. et vj. de Comm. 2° loco. Deridétur justi. et At contra. cum ℟℟. v. et vj. de eodem Communi.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Nolíte timére. de Comm. 2° loco.

Lect. ix. de SS. Abdon et Sennen, quorum Commem. in Laud.

Vesp. a Capit. de seq. Commem. præced. et S. Germani Episc. et Conf., ut infra.

DIE XXXI
SANCTI IGNATII
CONFESSORIS
Duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, præter seq.

Vesp. a Capit. de S. Ignatio. Commem. præced. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Orat. Adésto. de Comm.

Deinde fit Commem. S. Germani Episc. Ant. Sacérdos. ℣. Elégit. Orat. Da quæsumus. de Comm.

Pro S. Germano.
Lectio ix.

GERMÁNUS, ex nóbili génere, Antissiodóri natus, juris sciéntiam Romæ adéptus, cáusas egit, ibíque uxórem duxit. Províncíæ suæ visitátor in Gálliam missus est. Ex conjugáli vita ab Amatóre Antissiodorénsi epíscopo (qui eum sibi a Deo destinátum succesśorem agnóverat) raptus ac média in basílica per vim attónsus, repénte in virum álterum mutátus est, atque haud multo post Amatóri in episcopátu succéssit. In Británniam ínsulam bis legátus pullulántem Pelagiánam hǽresim compréssit. Gálliam ínsuper atque Itáliam subínde perágrans, et apostólicis sermónibus illustrávit, et sanctitátis fama miraculorúmque admiratióne complévit. Obiit Ravénnæ, unde corpus ejus Antissiodórum translátum multis miráculis coruscávit.

Te Deum laudámus.

In Laud. Commem. S. Germani. Ant. Euge. ℣. Amávit. ut in Comm.

Vesp. de seq. Commem. S. Pauli Apost., S. Ignatii et SS. Machabæorum, ut in Proprio Sanctorum.

FESTA AUGUSTI

DIE III
INVENTIONIS S. STEPHANI
PROTOMARTYRIS
Duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, præter sequentia.

In II. Vesp. S. Alphonsi Commem. S. Stephani, Ant. Stéphanus. ℣. Glória. Orat. propria in Proprio Sanctorum.

IN II. NOCTURNO

Lect. iv. et v. ut in Proprio Sanctorum.

Lectio vj.

SANCTÍSSIMI protomártyris Stéphani brá-

chium Theodósius Júnior, Oriéntis imperátor, Vesuntiónem in ecclésiam ejúsdem mártyris transmísit. His sanctis relíquiis decem Gálliæ epíscopi, divína étiam revelatióne commóniti, cum Celidónio Bisuntino archiepíscopo solémniter occurrérunt. Cumque Celidónius, accépta fórcipe, majus os bráchii mordáciter stringere cœpísset, ut, factis partículis, epíscopi singuli áliquid accíperent, mira res! deflúxit ex osse árido tam copióse sanguis recentíssimus, ut non solum epíscopi, verum étiam fidéles quam plúrimi facti fúerint sacri cruóris partícipes.

℟. Impii super justum.

Vesp. de seq. Commem. præced., ut in Proprio Sanctorum.

DIE VII

SANCTI CAJETANI

CONFESSORIS

Duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, præter seq.

In II. Vesp. Transfigurationis fit Commem. S. Cajetani, ut in Proprio Sanctorum. Deinde Commem. S. Donati Episc. Bisunt. Ant. Sacérdos. ℣. Justum. Orat. seq.

Oratio.

Deus, qui beátum Donátum piis paréntibus miraculóse concessísti: fac ut quem bonum pastórem venerámur, perpétuum apud te patrónum sentiámus. Per Dóminum.

Postea Commem. S. Donati Episc. et Mart., ut in Proprio Sanctorum.

Pro S. Donato Episc. Bisunt.

Lectio ix.

Donátum paréntes, cum dudum prole caruíssent, beáti Columbáni Luxoviénsis abbátis précibus a Deo impetrárunt. In monastério Luxoviénsi educátus, post óbitum Protħádii archiepíscopi Bisuntini dignus succéssor elígitur. Monastérium virórum sub régula sancti Columbáni in civitáte Bisuntina eréxit et apóstoli Páuli nómine dedicávit. In eádem civitáte sacrárum vírginum fundávit cœnóbium, in quo Flávia, ejus mater, túmulum hábuit, ejúsque soror abbatíssa éxstitit. Donátus pastoráli múnere multis annis egrégie perfúnctus, óbiit séptimo Idus Augústi.

Te Deum laudámus.

In Laud. Commem. S. Donati Episc. Bisunt. Ant. Euge. ℣. Amávit.

Orat. ut supra, et S. Donati Papæ et Mart.

In II. Vesp. Commem. SS. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mart. ut in Proprio Sanctorum.

DIE XI

SANCTÆ PHILUMENÆ

VIRG. ET MART.

Duplex.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, præter seq.

In II. Vesp. S. Laurentii, Commem. sanctæ Philumenæ ut in Supplem., et SS. Tiburtii et Soc. Mart., ut in Proprio Sanctorum.

Lect. ix. de SS. Tiburtio et Susanna.

In Laud. Commem. Oct. et SS. Mart.

Vesp. a Capit. de seq. Commem. præced. Ant. de Laud. Deinde Commem. Oct. S. Laurentii.

DIE XVI

SANCTI ROCHI

CONFESSORIS

Duplex.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, præter seq.

In II. Vesp. Assumptionis fit Commem. S. Rochi.

In Laud. Commem. Oct. Assumpt. et S. Laurentii.

Vesp. a Capit. de seq., ut in I. Vesp. Festi. Orat. Excita. Commem. præced. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Orat. propr. Deinde Commem. Oct. Assumptionis.

DIE XVIII

(e 16 huj. mens.)

SANCTI HYACINTHI

CONFESSORIS

Duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, die 16 Aug., præter seq.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

Vesp. a Capit. de S. Hyacintho, Commemoratio præced. Ant. Beátus Lauréntius. ℣. Levíta. Orat. Excita. Postea Commem. Octav. Assumpt. et S. Agapiti Mart., ut in Proprio Sanctorum.

Lect. ix. de S. Agapito.

In Laud. Commem. Oct. Assumpt. et S. Agapiti.

In II. Vesp. Commem. Oct. Assumpt.

FESTA SEPTEMBRIS

DIE III

SANCTI JUSTI

EPISCOPI ET CONFESSORIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq.

In Hymn. Iste Confés-sor. m. t. v.

Orat. Da quǽsumus. de Comm.

In I. Vesp. Commem. præced. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Orat. ut in Proprio Sanctorum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

JUSTUS, splendóre géneris clarus, in ecclésia Viennénsi diáconi múnere fungebátur, circa médium quarti sǽculi. Mórtuo Veríssimo Lugdunénsi episcopo, ob egrégiam virtútis et doctrínæ famam a clero eléctus, invítus licet ac relúctans, hanc sedem multos annos occupávit, Valentiniáni et Gratiáni tempóribus. Morum innocéntia, austeritáte vitæ, humilitáte, lenitáte, caritáte in páuperes valde commendátus, ac plebi suæ mirífice gratus fuit.

℟. Invéni David.

Lectio v.

SUBSCRÍPSIT concílio Valentíno, in quo multa tum ad tuéndam cathólicam fidem, tum circa disciplínam ecclesiásticam, utilíssime sancíta sunt. Nec multo post, Aquileiénsi sýnodo in Istria, totíus Gálliæ Célticæ legátus intérfuit. A sancto Ambrósio Mediolanénsi, sibi amicíssimo, qui sýnodo prǽerat, honorífice compellátus, lato suffrágio Fílium Patri coætérnum et consubstantiálem asséruit. Lugdúnum revérsus, quod jámdiu meditabátur, abdicándi episcopátus consílium perfécit, ac secéssit in Africam cum Viatóre, ecclésiæ suæ lectóre.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

IBI gradu, pátria ac nómine dissimulátis, inter sanctos Thebáidis anachorétas pœniténtiæ et contemplatióni vacávit ignótus. Páulo ante mortem ágnitus est ab Antiócho, presbýtero Lugdunénsi, qui, religiónis cáusa, Thebáidis erémitas visitábat. Quod cum iste retulísset suis conci-

vibus, misérunt viros qui sacrum mórtui corpus Lugdúnum asportárunt: pretiosúmque hoc pignus cum insigni apparátu excepérunt urbis incolæ, qui póstea parte ejus bráchii ecclésiam Arbosiénsem dono ditárunt. Asservátur quoque in ecclésia parochiáli Castri Cároli, diœcésis sancti Cláudii, íntegra sancti Justi tíbia, dextro pedi adhǽrens, cute desiccáta partim etiámnum obdúcta; quas pretiósas relíquias anno millésimo octingentésimo nonagésimo tértio epíscopus sancti Cláudii veneratióni fidélium jussit expóni.

℟. Iste est qui.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Homo péregre. de Comm. 1° loco.

Vesperæ de S. Justo, ut in Comm. Conf. Pont. Orat. Da quǽsumus. de Communi.

ORDO OFFICIORUM

DIŒCESI SANCTI CLAUDII PROPRIORUM

PARS ÆSTIVA

FESTA MOBILIA

Dom. III. post Pent. SS. Eucharistiæ in flammis conservatæ, dupl. maj.
Dom. post Oct. Assumpt. Purissimi Cordis B. M. V. dupl. maj.

FESTA FIXA

MAII

21 S. Lupicini Abbatis, dupl. maj.
22 S. Ubaldi Episc. et Conf. semid. (e 16 huj. mens.).
24 B. M. V. sub titulo Auxilium Christianorum, dupl. maj.
30 S. Ferdinandi Regis Conf. dupl. Commem. S. Felicis Papæ et Mart.

JUNII

2 SS. Pothini et Soc. Mart. dupl. Commem. SS. Marcelli, Petri atque Erasmi Mart.
3 S. Clotildis Reg. dupl.
6 S. CLAUDII EPISC. ET CONF. TOTIUS DIŒCESIS PATRONI, dupl. 1. class. cum Oct.
S. Norberti Episc. et Conf. dupl. (e 6 huj. mens.). Commem. Oct.
8 De Octava S. Claudii (iij. die), semid.
9 De Octava S. Claudii (iv. die), semid. Commem. SS. Primi et Feliciani Mart.
10 S. Margaritæ Reginæ Scotiæ, semid. Commem. Oct.
11 S. Barnabæ Apost. dupl. maj. Commem. Oct.
12 S. Joannis a S. Facundo Conf. dupl. Commem. Oct. et SS. Basilidis et Soc. Mart.
13 Octava S. Claudii Episc. et Conf. dupl.
15 S. Antonii de Padua Conf. dupl. (e 13 hujus mens.). Commem. SS. Titi, Modesti atque Crescentiæ Mart.
16 SS. Ferreoli et Ferrucii Mart. dupl. 2. cl.
17 S. Joannis Francisci Regis Conf. dupl. (ex heri).
28 S. Irenæi Episc. et Mart. dupl. Commem. Oct. S. Joannis Baptistæ et Vigil.

JULII

3 S. Aldegrini Conf. dupl. Commem. Oct. SS. Apost.
4 S. Leonis Papæ et Conf. semid. (e 28 Junii). Commem. Oct. SS. Apostolorum.
7 Justi Conf. simplex.
9 Prodigiorum B. M. V. dupl. maj.
11 S. Viventioli Episc. et Conf. semid. Commem. S. Pii Papæ et Mart.
24 B. Ludovicæ a Sabaudia Vid. dupl. Commem. Vigil. et S. Christinæ Virg. et Mart.
27 S. Desiderati Episc. et Conf. dupl. Commem. S. Pantaleonis Mart.
30 S. Imitherii Conf. dupl. Commem. SS. Abdon et Sennen Mart.
31 S. Ignatii Conf. dupl. Commem. S. Germani Ep. Antissiod. et Conf.

AUGUSTI

3 Inventio S. Stephani Protom. dupl.
7 S. Cajetani Conf. dupl. Commem. S. Donati Episc. Bisuntini et Conf. et S. Donati Episc. et Mart.
11 S. Philumenæ Virg. et Mart. dupl. Commem. Oct. et SS. Tiburtii et Susannæ Mart.
16 S. Rochi Conf. dupl. Commem. Oct.
17 S. Hyacinthi Conf. dupl. (ex heri.)

SEPTEMBRIS

3 S. Justi Episc. et Conf. dupl.

LICENTIA ET APPROBATIO

CÆSAR JOSEPH MARPOT, Dei et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia, Episcopus Sancti Claudii,

Testamur hunc præsentem Officiorum Diœcesi nostræ propriorum Ordinem, Turonibus, typis A. Mame excusum, concordare cum Originali a S. Sede Apostolica adprobato et a nobis promulgato.

Datum Sancti Claudii, sub signo sigilloque nostris, et Secretarii nostri subscriptione, anno Domini 1896, die vero mensis Septembris, prima.

† CÆSAR J. EPISCOPUS SANCTI CLAUDII.

25515. — Turonibus, typis Mame.

ORDO OFFICIORUM

IŒCESI SANCTI CLAUDII

PROPRIORUM

JUXTA EXEMPLAR A S. R. C. REVISUM

ET A SS. DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII.

APPROBATUM

DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DD. CÆSARIS JOSEPHI MARPOT

EPISCOPI SANCTI CLAUDII

EDITUS

PARS AUTUMNALIS

TURONIBUS

TYPIS A. MAME TYPOGRAPHI

ILL. AC RR. DD. ARCHIEPISCOPI ET CLERI

M. D. CCC. XCVI

ORDO OFFICIORUM
DIŒCESI SANCTI CLAUDII
PROPRIORUM

JUXTA EXEMPLAR A S. R. C. REVISUM

ET A SS. DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII.

APPROBATUM

DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DD. CÆSARIS JOSEPHI MARPOT

EPISCOPI SANCTI CLAUDII

EDITUS

PARS AUTUMNALIS



TURONIBUS

TYPIS A. MAME TYPOGRAPHI

ILL. AC RR. DD. ARCHIEPISCOPI ET CLERI

M. D. CCC. XCVI

Cæsar Josephus MARPOT

Miseratione divina et Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate, Episcopus Sancti Claudii,

Universo Clero Diœcesis Nostræ Salutem et Benedictionem in Domino.

ILLUSTRISSIMUS decessor Noster Joannes Petrus MABILE, dum anno Domini 1853, pro sua plebisque sibi commissæ insigni in Sanctam Sedem Apostolicam devotione, Liturgiam Romanam in hac Diœcesi restitui curaret, simul Officia et Missas Ecclesiæ Sancti Claudii propria a S. Rituum Congregatione approbari sategit.

Novorum autem Officiorum exemplaria cum deficiant, Nobis hanc occasionem nactis, dictum nostrum Proprium Ordinem quadantenus cum augere tum emendare visum est. Quorumdam enim Sanctorum hucusque omissorum memoriam recolere religiosissimum habemus, cum hasce regiones nostras virtutibus ac miraculis illustrarint; aut in Ecclesia Bisuntina, cujus Pontifices ampliorem partem Diœcesis Sancti Claudii ad elapsum usque sæculum rexerunt, merito recolantur. Insuper decurrentibus annis ipsa crescens fidelium devotio quædam mysteria Domini vel Deiparæ, quosdamque Cælites solemniori in dies cultu prosequi lætatur. Et demum in aliquibus Officiis jam concessis quædam notabantur ad veritatem historicam perfectius redigenda.

Quæ omnia sive addita sive mutata Sanctæ Sedis judicio revisenda et approbanda proposuimus. Precibus nostris humillimis annuens, SS. Dominus Noster Leo Papa XIII. sequens Decretum indulgere dignatus est :

SANCTI CLAUDII IN GALLIIS

UT Calendarium perpetuum ac Proprium Officiorum et Missarum in Diœcesi Sancti Claudii in Galliis hucusque adhibitum ad accuratiorem formam redigerentur, Reverendissimus Dominus Cæsar J. MARPOT, hodiernus Episcopus ejusdem Diœceseos, de legitima sacræ Liturgiæ ordinatione valde sollicitus, Calendarium ipsum et Proprium reformare aggressus est, atque ita emendatum et auctum supremæ Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papæ XIII. sanctioni humillime subjecit. Placuit vero eidem Sanctissimo Domino Nostro horum omnium examen Sacræ Rituum Congregationi committere; quæ, cum Calendarium ipsum perpetuum ac Proprium Officiorum et Missarum, prouti ea omnia a se revisa et correcta in superiori exstant exemplari, probari posse censuerit, Sanctitas sua, referente

me infrascripto Cardinali Sacræ eidem Congregationi Præfecto, Rescriptum sacræ ipsius Congregationis ratum habens, benigne concedere dignata est, ut ab universo Clero sæculari diœceseos Sancti Claudii et a Religiosis ac Monialibus Calendario Diœcesano utentibus, in Horis Canonicis persolvendis atque in Sacro peragendo, idem Calendarium et Proprium in posterum adhiberi valeat; addita tamen conditione, ut, statim atque ea typis cusa fuerint, duplex exemplar ad Sacram Rituum Congregationem transmittatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 7 Julii 1896.

† Caj. Card. Aloisi-Masella S. R. C. Præfect.

Locus † sigilli.

Aloisius Tripepi S. R. C. Secret.

Quapropter de Venerabilium fratrum nostrorum Ecclesiæ Nostræ Cathedralis Canonicorum consilio, præsenti nostro mandato omnibus et singulis de Clero nostro qui ad Officium divinum tenentur, mandamus ac præcipimus ut in divinarum Laudum recitatione Missarumque celebratione Ordinem Sancti Claudii proprium subjectum Calendariumque perpetuum ei adnexum adamussim curent observare.

Datum Sancti Claudii sub signo sigilloque nostris ac Secretarii Episcopatus nostri subscriptione, anno Domini 1896, die vero prima mensis Septembris.

† CÆSAR J. Episcopus Sancti Claudii.

KALENDARIUM PERPETUUM

AD USUM CLERI CATHEDRALIS

ET DIŒCESIS SANCTI CLAUDII

NOTA. — Quæ rubro caractere notantur Ecclesiæ Sancti Claudii titulo quodam sunt propria, sive quia festum est huic Ecclesiæ peculiare, sive quia ritu superiori in diœcesi gaudet, sive quia translatum est pro eadem diœcesi, e die propria, sive tandem quia est ex iis, quæ pro aliquibus locis tantum conceduntur et in Supplem. Missalis et Breviarii inserta sunt.

AUGUSTUS

29 Decollatio S. Joannis Baptistæ, dupl. maj. Commem. S. Sabinæ Mart.
30 Rosæ Limanæ Virg. dupl. Commem. SS. Felicis et Adaucti Mm.
31 Raymundi Nonnati Conf. dupl.

Dominica post Oct. Assumpt. Festum purissimi Cordis B. M. V. dupl. maj.

SEPTEMBER

1 Ægidii Abbatis. Commem. SS. XII Fratrum Mm.
2 Stephani Regis Conf. semid.
3 Justi Episc. et Conf. dupl.
4
5 Laurentii Justiniani Episc. et Conf. semid.
6 Taurini Episc. et Conf. semid. Commem. S. Aquilini Ebroicens. Episc. et Conf.
7
8 NATIVITAS B. M. V. dupl. 2. classis cum Oct. Commem. S. Hadriani Mart.
9 De Octava, semid. Commem. S. Gorgonii Mart.
10 Nicolai de Tolentino Conf. dupl. Commem. Oct.
11 De Octava, semid. Commem. SS. Proti et Hyacinthi Mm.
12 De Octava, semid.
13 De Octava, semid.
14 Exaltatio SS. Crucis D. N. J. C. dupl. maj. Commem. Oct.
15 Octava Nativitatis B. M. V. dupl. Commem. S. Nicomedis Mart.

16 Cornelii Papæ et Cypriani Episc. Mm. semid. Commem. SS. Euphemiæ, Luciæ et Geminiani Mm.
17 Impressionis Stigmatum S. Francisci, dupl.
18 Josephi a Cupertino Conf. dupl.
19 Januarii Episc. et Soc. Mm. dupl.
20 Eustachii et Soc. Mm. dupl. Commem. Vigil.
21 MATTHÆI APOST. ET EVANG. dupl. 2. classis.
22 Mauritii et Soc. Mm. dupl.
23 Lini Papæ et Mart. semid. Commem. S. Theclæ Virg. et Mart.
24 Beatæ Mariæ Virginis de Mercede, dupl. maj.
25 Thomæ a Villanova Episc. et Conf. dupl. (e 22 hujus).
26 Cypriani et Justinæ Mm.
27 Cosmæ et Damiani Mm. semid.
28 Wenceslai Ducis Mart. semid.
29 DEDICAT. S. MICHAELIS ARCH. dupl. 2. classis.
30 Hieronymi Presb. Conf. et Eccles. Doct. dupl.

Dominica infra Oct. Nativ. Sanctissimi Nominis B. M. V. dupl. maj.
Dominica III. Septembr. Septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis, dupl. maj.

OCTOBER

1 Remigii Episc. et Conf. dupl.
2 Angelorum Custodum, dupl. maj. Commem. S. Leodegarii Episc. et Mart.
3 Simonis Crespeiensis Conf. dupl.
4 Francisci Conf. dupl. maj.
5 Placidi et Soc. Mm.
6 Brunonis Conf. dupl.
7 Marci Papæ et Conf. Commem. SS. Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleii Mm.
8 Birgittæ Vid. dupl.
9 Dionysii, Rustici et Eleutherii Mm. semid.
10 Francisci Borgiæ Conf. semid.
11
12
13 Eduardi Regis Conf. semid.
14 Callixti Papæ et Mart. dupl.
15 Teresiæ Virg. dupl.
16
17 Hedwigis Vid. semid.
18 LUCÆ EVANG. dupl. 2. classis.
19 Petri de Alcantara Conf. dupl.
20 Joannis Cantii Conf. dupl.
21 Ursulæ et Soc. Virg. et Mm. dupl. Commem. S. Hilarionis Abb.
22
23 Sanctissimi Redemptoris, dupl. maj.
24 Raphaëlis Archangeli, dupl. maj.
25 Chrysanthi et Dariæ Mm.
26 Sacrarum Reliquiarum, dupl. Commem. S. Evaristi Papæ et Mart.

27 Vigilia.
28 SIMONIS ET JUDÆ APOST. dupl. 2. classis.
29
30
31 Vigilia.

Dominica I. Octobris. Solemnitas SS. ROSARII B. M. V. dupl. 2. classis.
Dominica II. Octobris. Maternitatis B. M. V. dupl. maj.
Dominica III. Octobris. Puritatis B. M. V. dupl. maj.
Dominica IV. Octobris. Patrocinii B. M. V. dupl. maj.

NOVEMBER

1 SOLEMNITAS OMNIUM SANCTORUM, dupl. 1. classis cum Oct.
2 De Octava, semid. Commemoratio omnium Fidelium defunctorum, dupl.
3 Lotheni Abb. dupl. Commem. Oct.
4 Caroli Episc. et Conf. dupl. Commem. Oct. et SS. Vitalis et Agricolæ Mart.
5 De Octava, semid.
6 De Octava, semid.
7 De Octava, semid.
8 Octava omnium Sanctorum, dupl. Commem. SS. IV Coronatorum Mm.
9 Dedicatio Basilicæ SS. Salvatoris, dupl. maj. Commem. S. Theodori Mart.
10 Andreæ Avellini Conf. dupl. Commem. SS. Tryphonis, Respicii et Nymphæ Mart.
11 Martini Episc. et Conf. dupl. maj. Commem. S. Mennæ Mart.
12 Martini Papæ et Mart. semid.
13 Stanislai Kostkæ Conf. dupl.
14 Josaphat Episc. et Mart. dupl.
15 Gertrudis Virg. dupl.
16 Didaci Conf. semid. (e 13 huj.).
17 Gregorii Thaumaturgi Episc. et Conf. semid.
18 Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli, dupl. maj.
19 Elisabeth Viduæ, dupl. Commem. S. Pontiani Papæ et Mart.
20 Hippolyti Episc. et Conf. dupl.
21 Præsentatio B. M. V. dupl. maj.
22 Cæciliæ Virg. et Mart. dupl.
23 Clementis Papæ et Mart. dupl. Commem. S. Felicitatis Mart.
24 Joannis a Cruce Conf. dupl. Commem. S. Chrysogoni Mart.
25 Catharinæ Virg. et Mart. dupl. maj.
26 Silvestri Abb. dupl. Commem. S. Petri Alexandrini Episc. et Mart.
27 Odonis Abb. dupl. (e 18 hujus mensis).
28 Felicis de Valois Conf. dupl. (e 20 hujus).

29 Columbani Abb. dupl. **Commem. Vigiliæ et S. Saturnini Mart.**

30 **Andreæ Apost. dupl. 2. classis.**

Dominica post Oct. omnium Sanctorum, ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS OMNIUM ECCLESIARUM IN GALLIA, dupl. 1. classis cum Oct.

Dom. seq., Dies Oct. Dedicationis Ecclesiarum, dupl.

DECEMBER

1 Eligii Episc. et Conf. semid.

2 **Bibianæ Virg. et Mart. semid.**

ORDO OFFICIORUM

DIŒCESI SANCTI CLAUDII PROPRIORUM

PARS AUTUMNALIS

FESTA MOBILIA

DOM. POST OCTAV. ASSUMPTIONIS

PURISSIMI CORDIS B. M. V.

Duplex majus.

Officium Proprium positum in Dom. post Octav. Assumpt. in Supplem. pro aliq. loc. (Pars Æstiva).

DOMINICA II. OCTOBRIS

MATERNITATIS B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

DOMINICA III. OCTOBRIS

PURITATIS B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

DOMINICA IV. OCTOBRIS

PATROCINII B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. M. V., etiam Lect. trium Noct., præter seq.

In Ant. ad Magnif. in I. Vesp. et in ℟. vij. ad Matut., loco Tuam sanctam Festivitátem. dicit. Tuum sanctum Patrocínium.

FESTA FIXA

FESTA SEPTEMBRIS

DIE III

SANCTI JUSTI

EPISCOPI ET CONFESSORIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq.

In Hymn. Iste Confés-sor. m. t. v.

Orat. Da, quǽsumus. de Comm.

In I. Vesp. Commem. præced.

Ant. Hic vir. ℣. Justum.
Orat. ut in Proprio Sanct.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

JUSTUS, splendóre géneris clarus, in ecclésia Viennénsi diáconi múnere fungebátur, circa médium quarti sǽculi. Mórtuo Veríssimo Lugdunénsi epíscopo, ob egrégiam virtútis et doctrínæ famam a clero eléctus, invitus licet ac reluctans, hanc sedem multos annos occupávit, Valentiniáni et Gratiáni tempóribus. Morum innocéntia, austeritáte vitæ, humilitáte, lenitáte, caritáte in páuperes valde commendátus, ac plebi suæ mirifice gratus fuit.

℟. Invéni David servum meum.

Lectio v.

SUBSCRÍPSIT concílio Valentino, in quo multa tum ad tuéndam cathólicam fidem, tum circa disciplínam ecclesiásticam, utilíssime sancita sunt. Nec multo post, Aquileiénsi sýnodo in Istria, totius Gálliæ Célticæ legátus intérfuit. A sancto Ambrósio Mediolanénsi, sibi amicíssimo, qui sýnodo prǽerat, honorifice compellátus, lato suffrágio Filium Patri coætérnum et consubstantiálem asséruit. Lugdúnum revérsus, quod jámdiu meditabátur, abdicándi episcopátus consílium perfécit, ac secéssit in Africam cum Viatóre, ecclésiæ suæ lectóre.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

IBI gradu, pátria ac nómine dissimulátis, inter sanctos Thebáidis anachorétas pœniténtiæ et contemplatióni vacávit ignótus. Páulo ante mortem ágnitus est ab Antiocho, presbýtero Lugdunénsi, qui religiónis cáusa Thebáidis eremitas visitábat. Quod cum iste retulísset suis concívibus, misérunt viros qui sacrum mórtui corpus Lugdúnum asportárunt, pretiosúmque hoc pignus cum insígni apparátu excepérunt urbis incolæ, qui póstea parte ejus bráchii ecclésiam Arbosiénsem dono ditárunt. Asservátur quoque in ecclésia parochiáli Castri Cároli, diœcésis Sancti Cláudii, íntegra sancti Justi tíbia, dextro pedi adhǽrens; cute desiccáta partim etiámnum obdúcta; quas pretiósas relíquias anno millésimo octingentési-

mo nonagésimo tértio, episcopus Sancti Cláudii veneratióni fidélium jussit expóni.

℟. Iste est qui.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Homo péregre. de Comm. 1° loc.

Vesp. de S. Justo, ut in Comm. Conf. Pont. Orat. Da, quǽsumus. de Communi.

DIE VI

SANCTI TAURINI

EPISCOPI ET CONFESSORIS

Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

Vesp. a Capit. de S. Taurino.

Oratio.

Deus, qui beátum Taurínum Confessórem tuum atque Pontíficem verbi tui præcónem exímium effecísti : præsta quǽsumus ; ut ejúsdem suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte exercére valeámus. Per.

Et fit Commem. præced. Ant. Amávit. ℣. Justum. Orat Da, quǽsumus.

Deinde fit Commem. S. Aquilini Episc. et Conf. Ant. de Laud. Euge serve. ℣. Elégit. Orat. Exáudi. de Comm.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Taurínus episcopus, ab Apostólica sede missus in Gállias, primus apud Eburóvices Christi fidem invéxit. Ebróicis per domos verbum Dei primo disséminans, plures ab idolórum cultu revocávit. Tum solémni die, ut véteri traditióne fertur, Diánæ templum ingréssus, oráculis ad loquéndum per iteráta sacrifícia licet provocátis, siléntium impósuit : mox summo zelo et fructu Evangélium prædicávit; ac adstántibus persuásit ut, abjécta superstitióne cujus impietátem agnóverant, fanum ipsum vivo ac vero Deo purgátum consecrárent. Finítimos inde pagos perágrans, ubíque falsórum deórum aras et simulácra díruit. In Gizáico tamen villa, ut seditiónis áuctor comprehénsus, jubénte júdice, virgis cæsus, gloriósam Christo confessiónem dedit.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Ebróicas revérsus, futúram post óbitum suum Barbarórum incursiónem, urbísque ac re-

giónis cladem, divíno jussu pópulo prædíxit. Páulo post cessit e vita beátus póntifex, ejúsque funus ingénti totius pópuli luctu celebrátum est. Cum vero timérent cives ne sepúlcrum ab hóstibus violarétur, corpus extra urbem, ad occidentálem plagam, tumulándum extulérunt; et humo alte effóssa, instar pretiósi thesáuri, pénitus abdidérunt. Subínde turmæ hóstium irrupérunt, et máxima incolárum parte in fugam versa, Ebroicénsis ecclésia, juxta Tauríni vaticínium, diu fuit antístite viduáta. Quotquot tamen mansérunt fidéles, ejúsdem ut excoluére doctrínam, sic memóriam, quemádmodum sancti Gáudi acta testántur, digna semper veneratióne prosecúti sunt.

℟. Pósui adjutórium super.

Lectio vj.

SANCTI Tauríni, corpus diu ignótum, a Landúlpho presbýtero detéctum est sæculo sexto desinénte. Qui cum Viatóri epíscopo successísset, curávit super túmulum altáre ædificári. In eódem loco témporum succéssu templum eréctum est, et cóndita abbátia insignita nómine Tauríni. Monastério per bella Normannórum destrúcto, expúlsi sunt mónachi; ex iis nonnúlli, duce Guntbérto epíscopo Ebroicénsi, in Arvérniam ad castrum Laudósum cum parte non módica córporis sancti Tauríni confugérunt. Inde post annos áliquot Giniácum, in Burgúndiæ monastérium, sub beáto Bernóne abbáte, delátæ sunt illæ relíquiæ, ibíque assíduo populórum e vicínis provínciis concúrsu et magna fidélium veneratióne celebrabántur. Eárum máxima pars, desinénte sǽculo décimo octávo, ab ímpiis combústæ sunt. Quædam tantum supérsunt partículæ in ecclésia abbatiáli, nunc parochiáli, conservátæ.

℟. Iste est qui ante Deum.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Homo péregre proficíscens. de Comm. Conf. Pont. 1° loco.

Pro S. Aquilino.

Lectio ix.

AQUILÍNUS apud Bájocas nobílibus ortus paréntibus uxórem duxit sui génere ac virtútibus haud dissímilem. Sub Clodováeo rege secúndo mili-

tiam secútus, Bárbaros regnum devastántes fórtiter debellávit. Cum finito bello ad própria redíret, Carnúti una cum uxóre sibi obviánte perpétuæ continéntiæ votum emísit. Sancti Ætérni Ebroicénsis epíscopi succéssor renuntiátus, mira enítuit sanctitáte. Tanta erat austeritáte vitæ, ut inédia corpus domáret, nullum sibi lectum nisi paviméntum usúrpans. Concílio Rothomagénsi sub Ansbérto metropolitáno intérfuit. Timens ne per óculos nóxia irréperet concupiscéntia, ipsis orbári a Deo pétiit et impetrávit. Cum per duos supra quadragínta annos sedem occupásset, sancte óbiit décimo quarto Kaléndas Novémbris. Ejus relíquiæ váriis miráculis claræ, furóri Normannórum subtráctæ, cum relíquiis sancti Tauríni, ad Laudósum castrum, dein Giniácum delátæ sunt, ubi magna pietáte colebántur.

Te Deum laudámus.

In Laud. Commem. S. Aquilini. Ant. et ℣. de I. Vesp.

II. Vesp. de S. Taurino ut in Comm. Conf. Pont., cum Orat. propr. ut supra.

DIE XXII

SS. MAURITII ET SOC. MARTYRUM

Duplex.

Omnia de Communi plur. Mart., præter seq.

In II. Vesp. S. Matthæi Apost. Commem. SS. Mauritii et Soc. cum Orat. ut in Proprio Sanctorum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

In Quat. Temp. Fratres: Debitóres. de Communi.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Ex Ep. S. Eucherii ad Salvium.

Sæviénte in Gálliis Maximiáno advérsus christiános, erat in exércitu légio Thebæórum mílitum qui ei in auxílium ab Oriéntis pártibus accíti vénerant. Itaque cum hi, sicut et cǽteri mílites, ad pertrahéndam christianórum multitúdinem destinaréntur, soli crudelitátis ministérium áusi sunt detrectáre. Maximiánus non longe áberat; nam se circa Octodúrum itínere fessus tenébat, ubi cum ei per núntios delátum esset, legiónem hanc advérsus régia mandáta rebéllem, in Agaunénsibus angústiis substitísse, præcípiti ira férvidus décimum quem-

que ex eádem legióne gládio feríri jubet, quo facílius cǽteri régiis præcéptis térriti metu céderent.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

REDINTEGRÁTIS ergo mandátis edícit ut réliqui in persecutiónem christianórum cogántur. Quod ubi Thebǽis denuntiátum est, vociferátio passim ac tumúltus in castris exóritur affirmántium numquam se ulli in hæc tam sacrílega ministéria cessúros : extréma experíri sátius esse quam advérsus fidem christiánam veníre. His compértis, Maximiánus rursum ímperat ut décimus eórum morti detur : quibus jussis dénuo in castra perlátis, segregátus atque percússus est qui décimus sorte obvénerat. Réliqua vero se mílitum multitúdo mútuo sermóne instigábat ut in ópere tam præcláro persísterent.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vj.

INCITAMÉNTUM tamen máximum fídei eo témpore penes sanctum Maurítium fuit, primicérium tunc (sicut tráditur) legiónis ejus, qui cum Exupério, ut in exércitu appéllant, campiductóre, et Cándido senatóre, mílitum ánimos accendébat : commilitónum étiam Mártyrum exémpla ingerens, pro sacraménto Christi, pro divínis légibus, si ita necéssitas ferret, moriéndum ómnibus suadébat. Cum ergo Maximiánus obstinátos in fide Christi cérneret ánimos virórum, désperans gloriósam eórum constántiam posse revocári, una senténtia omnes intérfici decérnit, et rem cónfici circumfúsis mílitum agmínibus jubet. Ita beáta légio angélicis legiónibus insérta est.

℟. Tamquam áurum.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Cum audiéritis. de Communi plur. Mart. Dóminus ac Redémptor.

In Quat. Temp. Lect. ix. de Homil. Fer. occur., et de ea fit Commem. in Laud.

In II. Vesp. Commem. S. Lini Papæ et Mart., et S. Theclæ Virg. et Mart. cum Orat. ut in Proprio Sanctorum.

DIE XXV

(e 22 hujus.)

S. THOMÆ A VILLANOVA

EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, die 22 hujus mensis, præter seq.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

In II. Vesp. B. M. V. de Mercede, Commem. S. Thomæ. Ant. propr.

In II. Vesperis S. Thomæ Commem. SS. Cypriani et Justinæ Mart. Orat. ut in Proprio Sanctorum.

FESTA OCTOBRIS

DIE II

SS. ANGELORUM CUSTODUM

Duplex majus.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, præter seq.

In I. Vesp. Commem. præced. Ant. Amávit. ℣. Justum. Orat. Da, quǽsumus. de Comm.

Deinde Commem. S. Leodegarii Episc. et Mart. Ant. Iste. ℣. Glória.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui beáto Leodegário Pontifici et Mártyri tuo usque ad mortem pro justitia certáre tribuísti; fac nos, ejus méritis, vitæ frágilis amórem abjicere, et ad te qui solus vera vita es pervenire. Per Dóminum.

Pro S. Leodegario.

Lectio ix.

Leodegárius, Pictaviénsis archidiáconus ac deinde monastérii sancti Maxéntii abbas, postrémo Augustodúni episcopus creátus est; cui ecclésiæ decem annis præfuit. Cum áutem Childericum secúndum, qui in regni administratióne ejus ópera utebátur, argúeret quod antiquas regni leges rescidísset, filiámque avúnculi duxisset uxórem, in Luxoviénse monastérium, quo relegátus ántea fúerat Ebroinus, major palátii, amandátus est. Utérque, rege mórtuo, in pristinum gradum est restitútus; sed Ebroinus Leodegário auctóre se in monastérium detrúsum fuisse ratus, exércitum Augustodúnum misit qui eum comprehénderet. Re cógnita, ne quid detriménti sua cáusa civitas paterétur, bonus pastor se sponte trádidit inimicis. Post famem et cárceris squalórem, oculórum evulsiónem, plantárum concisiónem, linguæ et labiórum abscissiónem, tandem cápite truncátus est, anno Christi sexcentésimo septuagésimo octávo, sexto Nonas Octóbris.

Te Deum laudámus.

Et fit Commem. S. Leodegarii in Laud. Ant. Qui

odit. ℣. Justus. ut in Comm. unius Mart. Orat. propr. ut supra.

In II. Vesp. Commem. S. Simonis Crespeiensis Conf. Ant. Similábo. ℣. Amávit. Orat. propr. ut infra.

DIE III

S. SIMONIS CRESPEIENSIS CONFESSORIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

In Hymn. Iste Confés-sor. m. t. v.

Oratio.

Deus, pro cujus amóre beátus Simon, terréni principátus glóriam fúgiens, perfectiónis evangélicæ viam ingréssus est; ejus nobis intercessióne tríbue : ut, spretis mundi illécebris, Christum sequi valeámus: Qui tecum vivit.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Simon, comes Crespeiénsis, a pueritia in áula Guliélmi, Anglórum regis, educátus est, cujus uxóri Mathildi sánguine conjúnctus erat. Patre vita functo, florénti ætáte júvenis, amplíssimam hereditátem nactus, cum haud multo post témpore corpus demórtui paréntis e prióre túmulo in Crespeiénsem beáti Arnúlfi basílicam transférri voluisset, ejus cadáveris adspéctu percúlsus, omnem sǽculi vanitátem fastidíre cœpit. Deinde religióne erga Deum, æquitáte et cleméntia erga súbditos, modéstia in cultu atque ornátu, asperitáte étiam in victu, largitáte in egénos, in ecclésias ac Deo sacrátas domos munificéntia, mire excélluit.

℟. Honéstum.

Lectio v.

Bellum contra Philippum Fránciæ regem sustinére coáctus, hanc quæstiónem, ut christiánum príncipem decébat, ad Gregórium séptimum, tunc Románum Pontíficem, détulit. Letháli vúlnere in pugna percússus, et Dei Genitrícis ope sanátus, relíctis ómnibus, secéssit in monastérium sancti Eugéndi, ubi sanctitáte sua dignum se prǽstitit cui Deus plura reveláret et per quem multa operarétur mirácula. Divíno mónitu, ádiit locum desértum, qui nunc Múthua dícitur, ubi monastérium eréxit, in quo duódecim fratres, quos secum assúmpserat, ad tantam redácti sunt pe-

núriam, ut pane e córtice interióri abiétis facto victitárint aliquámdiu, et pro lecto in abiéte caváta decubúerint. Ad eum póstea multi convenérunt discípuli. Adiit Philíppum Fránciæ regem, ab eóque Cluniacénsis monastérii jura vindicávit, dein Guliélmum Angliæ regem, cujus cor ad fílium suum Robértum conciliávit. Ubique non benígne modo, sed et honorífice excéptus est; mirabántur ejus sanctitátem, et áulici fere omnes vitam vitiósam detestáti ac pœniténtes, peccáta sua apud ipsum confitéri et ab eo sacram Eucharístiam súmere gestiébant. Tam frequens ad eum multitúdo, tamquam ad sanctum, concurrébat, ut ne premerétur a turba, custódes adhibére quandóque necésse fúerit.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

In váriis itinéribus, sicut et in palátiis regum, húmili semper veste indútus erat, pane et aqua víctitans, nudis pédibus incédens, et in nuda humo decúmbens. Romam vocátus, mittitur ad Robértum, Apúliæ et Calábriæ ducem, ipsum ad pacem cum sancta Sede sollicitatúrus, nec frustra : pax initur, et pacis conditiónes dat ipse Simon; qui póstea cessatiónem morbi quo máxime infestabátur Robérti exércitus, triduánis précibus ímpetrat. Romam revérsus, ad beáti Petri confessiónem pernóctans, in gravem morbum íncidit; sacrísque munítus a Summo Pontífice, prædícto mortis suæ die, óbiit anno salútis octogésimo secúndo supra millésimum. Honorífice eum sepelíri curávit Summus Póntifex in basílica sancti Petri. Tot ad ejus túmulum patráta sunt mirácula, ut Gregórius séptimus, serváta ea quæ tunc erat in usu forma, Sanctórum albo illum inserúerit. Corpus ejus, quoad partem, in monastérium sancti Cláudii translátum est, et ejúsdem partículæ quædam, in Múthuæ ecclésiam delátæ, in ea religióse servántur.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Nolíte timére, pusíllus grex. de Comm. Conf. non Pont. 2° loco.

Vesp. de seq. Commem. præced. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Oratio propr. ut supra.

DIE XXI

SS. URSULÆ ET SOC.

VIRG. ET MART.

Duplex.

Omnia ut in Supplemento pro aliquib. locis.

Vesp. a Capit. de SS. Virg. Ant. ad Magnif. Prudéntes virgines. ℣. Adducéntur.

Commem. præced., et S. Hilarionis Abb. ut in Proprio Sanctorum.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Simile erit... Sapiéntium lampádes. in Supplemento.

Lect. ix. de S. Hilarione (duabus in unam junctis), cujus fit Commem. in Laud.

In II. Vesp. Ant. ad Magnificat et ℣. ut in I. Vesp.

DIE XXIII

SS. REDEMPTORIS

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento pro aliquib. locis.

Vesp. de seq. Commem. præced. ut in Supplem.

DIE XXIV

SANCTI RAPHAELIS

ARCHANGELI

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis.

In II. Vesp. Commem. SS. Chrysanthi et Dariæ Mart., ut in Proprio Sanctorum.

DIE XXVI

SS. RELIQUIARUM

QUÆ IN ECCLESIIS ASSERVANTUR

Duplex.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, hac die vel Dom. IV. Octobris.

In I. Vesp. Commem. S. Evaristi Papæ et Mart. ut in Proprio Sanctorum.

Lect. ix. de S. Evaristo, cujus Commem. in Laud.

FESTA NOVEMBRIS

DIE III

S. LOTHENI ABBATIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

Orat. Intercéssio. de Comm.

In I. Vesp. Commem. Oct. Omnium Sanctorum. Ant. O quam gloriósum. ℣. Exsultábunt.

Orat. Omnipotens.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

LOTHÉNUS, in pago Æduórum, abeúnte

sǽculo quinto natus, ab adolescéntia vitam monásticam proféssus est; mira dedit frátribus mansuetúdinis, humilitátis et castitátis exémpla, sǽpius in oratióne pernóctans, corpus crebris et severióribus jejúniis domans, psalmis decantándis, lectióni et meditatióni Scriptúræ assídue inténtus. Ad vitam eremiticam vocátum se séntiens, annuénte abbáte, in Burgúndiam superiórem venit, et in loco nómine Silézo, céllulam sibi constrúxit, in qua vitam incredíbili austeritáte conspícuam duxit.

℟. Honéstum.

Lectio v.

VIRTÚTUM ac sanctitátis ejus fama tam multos ad eum addúxit, cum ipso et sub ejus regímine vívere cúpidos, ut céllulam in monastérium convértere coáctus fúerit. Immo et áliud eréxit monastérium in loco vicíno cui nomen Maximiácum. Sacerdótio inaugurátus, utríque monastério per plures annos prǽfuit. Horum unum morte, ac relíquiis ipsíus nobilitátum, nomen suum ab eo sortítum est. Caput ejus in abbátiam Balménsem décimo quinto sǽculo translátum fuit. A multo jam témpore víguit ejus cultus, et in diœcési Bisuntína nomen ejus in litaníis Sanctórum antíquitus legebátur.

℟. Amávit.

Pro Lect. vj. sumitur prima II. Noct. de Comm. Deridétur justi. 2° loco.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ecce nos. de Comm. Abbatum. 1° loco.

In Laud. Commem. Oct. Omnium Sanctorum, Ant. Te gloriósus. ℣. Exsultábunt. Orat. propria.

Vesp. a Capit. de seq. Commem. præced. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Orat. Intercéssio. ut supra.

Deinde Commem. Oct. Omnium Sanctorum, et SS. Vitalis et Agricolæ Mart. ut in Proprio Sanctorum.

DIE XI

SANCTI MARTINI

EPISCOPI ET CONFESSORIS

Duplex majus.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, præter seq.

I. Vesp. dicuntur integræ de S. Martino, cum Commem. præced. Ant. Hic vir. ℣. Justum.

Deinde fit Commem. S. Mennæ Papæ et Mart., ut in Proprio Sanctorum.

DIE XIII

S. STANISLAI KOSTKÆ CONFESSORIS

Duplex.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, præter seq.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

In I. Vesp. Commem. S. Martini Papæ et Mart. Ant. Qui vult. ℣. Justus. Orat. ut in Proprio Sanctorum.

Vesperæ a Capitulo de S. Josaphat Episc. et Mart., ut in Proprio Sanctorum. Commemor. præced. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Oratio propria.

DIE XVI

(e 13 hujus mensis.)

SANCTI DIDACI CONFESSORIS

Semiduplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, die 13, præter seq.

In II. Vesp. S. Gertrudis, fit Commem. S. Didaci. Ant. Similábo. ℣. Amávit. Orat. in Proprio Sanctorum.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

Vesp. a Capit. de seq., Commem. præced. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Orat. ut supra.

DIE XX

S. HIPPOLYTI EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq.

Vesp. a Capit. de S. Hippolyto. Orat. Exáudi. de Comm. Conf. Pont. Commem. præced. ut in Proprio Sanctorum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Hippólytus Condaténsi monastério per viginti sex annos prǽfuit summa cum láude. Ob præcláras virtútes quibus eminébat, majóre fuit in honóre apud Pipínum, Fránciæ regem, et ejus filium Cárolum Magnum, qui ejus monastérium plúribus ópibus, cénsibus et privilégiis cumulárunt. Quas temporáles divítias parvi pendens, totus incumbébat ut habéret mónachos virtútibus dívites, et in omni ópere bono fructificántes. Itaque Christi vestígia secútus, fáciens et docens, seípsum semper illis prǽbuit tamquam vitæ ascéticæ exémplar absolutíssimum. ℟. Invéni David.

Lectio v.

Ex abbáte factus Bellicénsis epíscopus, sui

carissimi cœnóbii régimen, rogántibus mónachis, non abjécit, ita ut epíscopi munus abbatisque ónera pari fervóre sustinéret. Anno septingentésimo sexagésimo quinto, intérfuit sýnodo Attiniacénsi, in quo congregáti epíscopi et abbátes pactum inter se iniérunt ut cum quis eórum e vita discessísset, álii pro eo preces fúnderent. Cum hujus sýnodi actis subscríbens epíscopi nomen non usurpáverit, mérito putátur jam tunc episcopátum abdicásse, ut monastérium suum repéteret, in quo, vita secretióri functus, sancte óbiit, et sepúltus est inter sanctos abbátes Románum, Lupicínum, Eugéndum et Cláudium.

℟. Pósui adjutórium.

Pro Lect. vj. sumitur prima II. Noct. de Comm. Beáti Patris Hippólyti mérita. 2° loco. ℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Vigiláte. de Comm. 2° loco. Ut ignorántiam.

Vesp. de Præsentatione B. M. V. Commem. præced. Ant. Amávit. ℣. Justum. Orat. Exáudi. de Comm. Confessoris Pontificis.

DIE XXV

SANCTÆ CATHARINÆ

VIRGINIS ET MARTYRIS

Duplex majus.

Omnia ut in Proprio Sanctorum, præter seq.

I. Vesp. dicuntur integræ de S. Catharina; Commem. præced.

In I. Noct. Lect. Confitébor. de Comm. 2° loco.

In II. Vesp. Commem. S. Silvestri Abbatis et S. Petri Alexandrini Episc. et Mart., ut in Proprio Sanctorum.

DIE XXVII

SANCTI ODONIS ABBATIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

Vesp. a Capit. de S. Odone. Orat. Intercéssio. de Comm. Abbat.

Deinde Commem. præced. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Orat. in Proprio Sanctorum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Odo, Abbónis nóbilis Franci fílius, adhuc adoléscens, Ecclésiæ Turonénsis canónicus cum esset, illud Apóstoli apud se répetens : Si quis ignó-

rat, ignorábitur; litterárum sciéntiam viro ecclesiástico dignam cum pietáte conjúnxit. Virgílium poétam aliquándo dum parat légere, somno oppréssus, vidit quasi vas insigne, sed serpéntibus plenum sibi sitiénti offérri : quo visu pertérritus, in pósterum sacris litteris se totum dedit. Deinde ómnibus bonis in páuperes distribútis, in solitúdinem secéssit; ubi, per triénnium, diem in lectióne sacra, noctem fere in oratióne pósuit. Victus illi quotidiánus panis semilíbra cum fabis páucis; lectus, stórea humi strata; qua sénsuum incúria et nuditáte spontánea lócuples, munéribus úndique oblátis abstínuit.

℟. Honéstum.

Lectio v.

PÓSTEA in monastériis Balménsi et Giniacénsi in Burgúndia, sancto Bernóne abbáte, vitam monásticam egit : quo témpore frater quidam illic móriens exclamárat pro Christi tribunáli sibi a dæmóne objéctas micas, quas in fine mensæ comédere neglexísset. Hujus memor Odo micas sédulo colléctas, ipse lectióni atténtus, cum semel in mensa comédere oblítus, post mensam non audéret, delícti véniam deprecatúrus abbáti supplex, eas in tot margarítas divínitus mutátas stupens osténdit; quas abbas vesti sacræ intéxi curávit. Invítus et præ humilitáte obnítens sacerdótio initiári cógitur. Cluniáci abbas institútus, thesáuros in régulæ observatióne laténtes mónachis explicávit; nullúmque illíus ápicem prudénti inconsúltum, proficiénti inútilem, credénti diffícilem, pœniténti ásperum esse suo et multórum exémplo dócuit. Hinc família Cluniacénsis cum régulæ conveniénter vívere aut mori cúperet, brevi longe latéque propagáta, sanctitátis ac doctrínæ splendóre Ecclésiam univérsam diu illustrávit.

℟. Amávit.

Lectio vj.

PÁUPERES solébat cæli janitóres appelláre, ultro ab ipsis, quo potíssimum egérent pétere, ómnium inópiæ, honestiórum étiam verecúndiæ consúlere : morbo vel sénio débiles in itínere óbvios équum suum ascéndere cogébat, quos ipse psallens pédibus comitabátur. Quam huma-

nitátem cum in Alpibus Cóttiis præstáret, múlier ad primum sellæ ipsíus tactum dæmónio quo tenebátur liberáta est. In príncipum dissídiis componéndis, restituénda ecclésiis pace, monastériis reformándis cum consenuísset, Romæ ex febri moribúndus, mortis indúcias impetrávit, donec Túrones revérsus, sancti Martíni solemnitátem celebrásset. Tunc febri redeúnte, sanctis Ecclésiæ sacraméntis munítus, inter suas fratrúmque preces ánimam Deo réddidit, décimo quarto Kaléndas Decémbris, círciter annum Dómini nongentésimum quadragésimum : quem sanctus Bernárdus ad Guliélmum abbátem scribens, sanctum fuísse ásserit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia. de Comm. Abbat. 1º loco.

Vesp. a Capit. de seq., cum Commem. præcedentis.

DIE XXVIII

(e 20 hujus mensis.)

S. FELICIS DE VALOIS

CONFESSORIS

Duplex.

Omnia ut in Proprio Sanctorum (die 20 Novembris), præter seq.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

Vesp. a Capit. Commem. præced. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Orat. Intercéssio. ut supra.

Vesp. a Capit. de seq., cum Commem. præced. et S. Saturnini Mart.

DIE XXIX

SANCTI COLUMBANI

ABBATIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

Vesp. a Capit. Orat. Intercéssio. de Comm. Abbat.

Et fit Commem. præced. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Orat. propria. Deinde Commem. S. Saturnini Mart., ut in Proprio Sanctorum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Columbánus natióne Hibérnus, pátria Lageniénsis, acúto ingénio et óptima índole prǽditus erat. Adoléscens, quo libérius Deo servíret, natále solum relíquit et in Hibérniam orientálem pro-

féctus, senis cujúsdam Silénis nómine disciplínam secútus est, et ab eo sacras Lítteras edóctus, psalmos expósuit, múltaque de divína psalmódia et pietáte christiána utíliter scripsit. Deinde monásticam vitam in cœnóbio Bencorénsi, sub sancto Comogállo proféssus, cum per multos annos ómnibus religiósæ milítiæ exercitatiónibus magno cum fervóre incubuísset, accépta a sancto abbáte licéntia, in majórem Británniam cum duódecim sóciis, et subínde in Gállias transmigrávit. Ipsíus et sodálium humilitátem, austeritátem, patiéntiam et caritátem omnes admirabántur.

℟. Honéstum.

Lectio v.

Cum in Austrásiam devenísset, mox illíus fama ad áures regis pervénit, qui quidquid ad vitæ subsídia opus esset ei óbtulit. Cui respóndit se suósque non álias divítias quam Christi paupertátem, mortificatiónem et crucem quǽrere. Itaque primum in rudéribus véteris cujúsdam castélli, Anagrátes nómine, prope montem Voségi, consédit, ubi, pro cibo, granis et malis silvéstribus, arborúmque cortícibus utebátur. Crescénte áutem número discipulórum, Luxóvii et Fontánis monastéria constrúxit, in quibus tanta afflúxit monachórum multitúdo, ut eórum chori sibi vicíssim in decantándis Dei láudibus diu noctúque indesinénter succéderent.

℟. Amávit eum Dóminus.

Lectio vj.

Theodorícus, qui, mórtuo patre Childeríco, in Burgúndiæ regnum Guntrámno propátruo succéssit, máximam aliquámdiu erga Colúmbánum reveréntiam exhíbuit, eum sæpe invísens, et ejus précibus sese comméndans. Póstea vero irátus contra illum eo quod dissolútos ejus mores líbere argúeret, Luxóvio éxpulit. A Clotário secúndo, rege Néustriæ, benígne excéptus, ei prædíxit post tres annos futúrum ut Theodebérti et Theodoríci regna ditióni ejus accéderent; quod evéntus comprobávit. Parísiis, ad portam urbis energúmenum ab immúndo spíritu liberávit. In Itáliam proféctus, Mediolámi, Ariános voce et scriptis expugnávit, et Ebo-

biénse monastérium eréxit, ubi undécimo Kaléndas Decémbris anni sexcentésimi décimi quinti felíciter mórtuus est.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ecce nos. de Comm. Abbat. 1º loco.

Lect. ix. de Homil. Vigiliæ S. Andreæ, et de ea fit Commem. in Laud.

Deinde Commem. S. Saturnini, ut in Proprio Sanctorum.

In I. Vesp. S. Andreæ Apost. Commem. S. Columbani. Ant. Hic vir. ℣. Justum. Orat. ut supra.

FESTA DECEMBRIS

DIE I
SANCTI ELIGII
EPISCOPI ET CONFESSORIS

Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq.

In II. Vesp. S. Andreæ, fit Commem. S. Eligii. Ant. Sacérdos. ℣. Amávit. Orat. Da, quæsumus, de Comm.

In Hymn. Iste Conféssor. m. t. v.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Elígius, Lémovix, áuri faber indústrius, Parísios se cóntulit, ubi perítiæ suæ fama Clotário secúndo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit, et deinde in ópera pietátis cum omni stúdio incúbuit. Quando enim artem suam exercébat, in sacros códices óculos simul intendébat, ita ut mens Deo vacáret, dum manus úsibus serviébant humánis. Quidquid arte sua comparábat, id totum fovéndis egénis, captívis rediméndis, et áliis bonis opéribus erogábat. Hinc tantus ad eum páuperum concúrsus, ut quæréntì domum ejus responderétur : Ubi páuperum cœtum conspéxeris, illic et Elígium repéries. Quotídie vacábat oratióni cum familiáribus, qui diu noctúque in ejus cámera canónicum cursum solémniter adimplébant.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Non minus accéptus fuit Dagobérto quam ejus patri Clotário, a quo ad Armoricórum regem, pa-

cis componéndæ cáusa, missus, reges ambos felici fœdere sociávit. Plura ejus hortátu et impénsis exstrúcta sunt templa et monastéria, sanctorúmque sepúlcra áuro, argénto et gemmis ornáta. Mausoléum imprímis Mártyris Dionýsii miro artifício decorávit. De Ecclésiæ disciplína sollícitus, simoniácam labem, quæ altas in Gállia radíces égerat, exstirpávit.

℟. Pósui.

Lectio vj.

Ad Noviodunénsem episcopátum assúmptus, non modo salúti gregis sibi commíssi invigilávit, sed et Flandros et Frísios, aliósque ad septentriónem pópulos, non sine magno labóre ac vitæ discrímine, ad Christum addúxit. Sedit in concílio Cabilonénsi, sub Clodovǽo secúndo. Multa præcláre scripsit, ejécit dǽmones, futúra divínitus prædíxit. Plúribus miráculis illústris, óbiit septuagenárius, die última Novémbris, anno sexcentésimo quinquagésimo nono. Vix ánimam exhaláverat, jamque platéas omnes lúgubris rumor impléverat, et quasi commúni orbitátis vúlnere, tota cívitas lamentabátur. Ipsa Bathíldis, Francórum regína, ubi primum ingravescéntem ejus morbum cognóvit, cum fíliis, quorum natu majórem Clotárium tértium beátus antístes e sacro fonte suscéperat, Noviodúnum festinánter advénit, illíus benedictiónem exceptúra; cumque mórtuum reperísset, ejus féretro incúmbens, in jejúnio, flétibus et laméntis tríduo mansit : quo exácto, illum ab áliis epíscopis honorificentíssime sepelíri curávit.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Homo péregre. de Comm. 1° loco.

Vesperæ a Capitulo de S. Bibiana Virg. et Mart., ut in Proprio Sanctorum. Commem. præced. Ant. Amávit. ℣. Justum. Orat. Da, quǽsumus. ut supra.

ORDO OFFICIORUM

DIŒCESI SANCTI CLAUDII PROPRIORUM

PARS AUTUMNALIS

FESTA MOBILIA

Dom. post Oct. Assumpt. Purissimi Cordis B. M. V. dupl. maj.
Dom. II. Octobr. Maternitatis B. M. V. dupl. maj.
Dom. III. Octobr. Puritatis B. M. V. dupl. maj.
Dom. IV. Octobr. Patrocinii B. M. V. dupl. maj.

FESTA FIXA

SEPTEMBRIS

3 S. Justi Episc. et Conf. dupl.
6 S. Taurini Episc. et Conf. semid. Commem. S. Aquilini Episc. et Conf.
22 SS. Mauritii et Soc. Mart. dupl.
25 S. Thomæ a Villanova Episc. et Conf. dupl. (e 22 hujus mensis).

OCTOBRIS

2 SS. Angelorum Custodum, dupl. maj. Commem. S. Leodegarii Episc. et Mart.
3 S. Simonis Crespeiensis Conf. dupl.
21 SS. Ursulæ et Sociar. Virg. et Mart. dupl. Commem. S. Hilarionis Abb.
23 SS. Redemptoris, dupl. maj.
24 S. Raphaëlis Archangeli, dupl. maj.
26 Sacrarum Reliquiarum, dupl. Commem. S. Evaristi Papæ et Mart.

NOVEMBRIS

3 S. Lotheni Abbatis, dupl. Commem. Oct.
11 S. Martini Episc. et Conf. dupl. maj. Commem. S. Mennæ Mart.
13 S. Stanislai Kostkæ Conf. dupl.
16 S. Didaci Conf. semid. (e 13 hujus).
20 S. Hippolyti Episc. et Conf. dupl.
25 S. Catharinæ Virg. et Mart. dupl. maj.
27 S. Odonis Abbatis, dupl. (e 18 hujus mensis).

28 S. Felicis de Valois Conf. dupl. (e 20 hujus mensis).
29 S. Columbani Abbatis, dupl. Commem. Vigil. et S. Saturnini Mart.

DECEMBRIS

1 S. Eligii Episc. et Conf. semid.

LICENTIA ET APPROBATIO

CÆSAR JOSEPH MARPOT, Dei et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia, Episcopus Sancti Claudii,

Testamur hunc præsentem Officiorum Diœcesi nostræ propriorum Ordinem, Turonibus, typis A. Mame excusum, concordare cum Originali a S. Sede Apostolica ad probato et a nobis promulgato.

Datum Sancti Claudii, sub signo sigilloque nostris, et Secretarii nostri subscriptione, anno Domini 1896, die vero mensis Septembris prima.

† CÆSAR J. EPISCOPUS SANCTI CLAUDII.

25515. — Turonibus, typis Mame.



PROPRIUM SANCTORUM
PROVINCIÆ ECCLESIASTICÆ
TARRACONENSIS.

PARS HIEMALIS.

FESTA DECEMBRIS.

Die 3. Decembris.
In diœcesi Urgellensi.

S. Francisci Xaverii Cf.
Duplex majus.

Omnia ut in Breviario Romano, eadem die.

Lectiones I. Noct. Justus si morte. de Comm. 1. loco.

Die 23. Decembr. vel 28. Februarii, vel 5. Martii.
In tota ecclesiastica provinc. Tarraconens.

Beati Nicolai Factoris Confessoris.
Duplex.

Omnia ut in Propr. Ss. Hispan., eadem die. Si extra diem 23. Decembr. hoc Festum celebretur (m. t. v.).

In Sabbato Quatuor Temporum et in Quadr. Lectiones I. Nocturni Beátus vir. de Communi secundo loco.

FESTA JANUARII.

Dominica III. post Epiphaniam.
In nonnullis diœcesibus.

Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph.
Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem Domin.

Die 7. Januarii.
In diœcesi Barcinonen.

S. Raymundi de Peñafort Confessoris.
Duplex.
In civitat. duplex majus.

Omnia ut in Breviario Romano die 23. Januar., omissa comm. S. Emerentianæ Virg. et Mart., cujus loco fit comm. Octav. Epiph. Non mutatur tertius versus Hymni, et in civitate Lect. I. Noct. Justus si morte. de Communi 1. loco.

Die 21. Januarii.
In diœcesi Tarraconensi.

Ss. Mm. **Fructuosi** Episc., **Augurii** et **Eulogii** Diaconorum.
Duplex 2. classis.

Omnia ut in Propr. Ss. Hispan. eadem die.

Lect. I. Noct. Fratres: Debitóres. de Comm. plur. Mm.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Descéndens. de 2. loco.

FESTA FEBRUARII.

Die 3. Februarii.
In diœcesi Cœlsonensi et Urgellensi.

S. Blasii Episc. et Mart.
Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die cum Lect. II. Noct. propriis ut i[...] In III. Nocturno Homilia [...] Evang. Si quis vult. de Co[...] 2. loco. In diœcesi Cœlso[...] fit comm. Oct. S. Juliani.

Die 10. Februarii.
In diœcesi Vicensi.

S. Scholasticæ Virginis.
Duplex 2. classis.
In civitate 1. classis.
Ubique cum Oct. extra Quadr.

Omnia ut in Breviario Romano, eadem die.

Lectiones I. Noct. De virgínibus. de Comm. 1. loco.

Die 12. Februarii.
In diœcesi Barcinonensi.

S. Eulaliæ Virg. et Mart.
Duplex 1. cl. cum Octava etiam in Quadr. ex privileg.

Omnia ut in Propr. Ss. Hispan., eadem die.

Lectiones I. Noct. De virgínibus. de Comm. 1. loco.

Die 14. Februarii.
In cathedrali Dertusensi.

S. Valentini Presbyt. et Martyris.
Duplex.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut qui

beáti Valentíni Mártyris tui natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne liberémur. Per Dóminum nostrum.

Et fit comm. Feriæ in Quadrages.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Fratres: Debitóres. de Comm. plurim. Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Valentínus présbyter ob Christi fidem a Claúdio imperatóre comprehéndi, catenísque et compédibus vincíri jussus, et ab eódem post bíduum audítus, tráditur Calphúrnio, qui egit per Astérium, ut Valentínum ad cultum idolórum revocáret: sed cum fília Astérii cæca a Valentíno fuísset ad lumen restitúta, crédidit ipse atque uxor ejus et família, qui die sancto Domínico ab epíscopo baptizáti sunt. Valentínus vero post multa sanctitátis et doctrínæ insígnia, post longum cárcerem fústibus cæsus, decollátus est via Flamínia décimo sexto Kaléndas Mártii.

℟. Honéstum fecit.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 44. de Sanctis.

Lectio v.

Triumphális beáti Mártyris Valentíni dies hódie nobis anniversária celebritáte recúrrit: cujus glorificatióni sicut congaúdet Ecclésia, sic ejus propónit sequénda vestígia. Si enim compátimur, et conglorificábimur. In cujus glorióso agóne duo nobis præcípue consideránda sunt: induráta vidélicet tortóris sævítia, et Mártyris invícta patiéntia. Sævítia tortóris, ut eam detestémur: patiéntia Mártyris, ut eam imitémur. Audi Psalmístam advérsus malítiam increpántem: Noli æmulári in malignántibus: quóniam tamquam fœnum velóciter aréscent. Quod autem advérsus malignántes patiéntia exhibénda sit, audi Apóstolum suadéntem: Patiéntia vobis necessária est, ut reportétis promissiónes.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Coronáta ítaque est beáti Mártyris patiéntia: mancipáta est ætérnis cruciátibus tortóris incorrécta malítia. Hoc atténdens in agóne suo gloriósus Christi athléta, non exhórruit cárcerem. Ad imitatiónem cápitis sui tolerávit probra, sustínuit irrisiónes, flagélla non tímuit: et quot ante mortem pro Christo pértulit supplícia, tot ei de se óbtulit sacrifícia. Quod enim propinánte Apóstolo bíberat, alte retinébat: Quia non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Et quia momentáneum hoc et leve nostræ tribulatiónis, ætérnum glóriæ pondus operátur in cœlis. Hujus promissiónis amóre a terrénis suspénsus, et prægustáta supérnæ suavitátis dulcédine ineffabíliter afféctus, dicébat cum Psalmísta: Quid mihi est in cœlo, et a te quid vólui super terram? Defécit caro mea et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía S. Hilárii Epíscopi.

Comment. in Matth. cap. 10.

Quæ ista divísio est? inter prima enim legis præcépta accépimus: Honóra patrem tuum et matrem tuam; et ipse Dóminus ait: Pacem meam do vobis, pacem meam relínquo vobis. Quid sibi vult missus pótius gládius in terram, et separátus a patre fílius, et fília a matre, et nurus advérsus socrum, et hóminis doméstici ejus inimíci? Igitur exínde pública auctóritas impietáti proferétur. Ubíque ódia, ubíque bella, et gládius Dómini inter patrem et fílium, et inter fíliam matrémque desǽviens. ℟. Coróna.

Lectio viii.

Gládius telórum ómnium telum acutíssimum est,

in quo sit jus potestátis, et judícii sevéritas, et animadvérsio peccatórum. Et hujus quidem teli nómine novi Evangélii prædicatiónem appellátam, frequens in Prophétis auctóritas est. Dei ígitur verbum nuncupátum meminérimus in gládio: qui gládius missus in terram est, id est, prædicátio ejus hóminum córdibus infúsa. Fitque gravis in domo una dissénsio, et doméstica novo hómini erunt inimíca: quia ille per verbum Dei divísus ab illis, manére et intérior et extérior, id est, et corpus et ánima, in spíritus novitáte gaudébit.

℟. Hic est vere.

In Quadr. Lectio ix. Homiliæ; alias

Lectio ix.

Pergit deínde eódem præceptórum et intelligéntiæ decúrsu. Nam, posteáquam relinquénda ómnia, quæ in sǽculo caríssima sunt, imperáverat, adjécit: Qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus: quia qui Christi sunt, crucifixérunt corpus cum vítiis et concupiscéntia. Et indígnus est Christo, qui non crucem suam, in qua compátimur, commórimur, consepelímur, conresúrgimus, accípiens, Dóminum sit secútus, in hoc sacraménto fídei spíritus novitáte victúrus.

Te Deum laudámus.

Die 16. Februarii.

In Diœcesi Urgellensi.

Ss. Viginti sex Martyr. Japonensium.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis die 5. Febr.

Die 17. Februarii.

In Diœcesi Vicensi.

Octava S. Scholasticæ Virginis.

Duplex.

Omnia ut in Festo, præter sequentia.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Epístola S. Hierónymi Presbýteri ad Eustóchium.

De custod. Virg. t. 1. circa med.

Lectio iv.

De virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non

hábeo. Cur? quia et ipse ut esset virgo, non fuit impérii, sed própriæ voluntátis. Neque enim audiéndi sunt, qui eum uxórem habuísse confíngunt; cum de continéntia dísserens, et suádens perpétuam castitátem, intúlerit: Volo autem omnes esse sicut meípsum. Et infra: Dico autem innúptis et víduis: Bonum est illis, si sic permáneant, sicut et ego. Quare ergo non habet Dómini de virginitáte præcéptum? Quia majóris est mercédis, quod non cógitur et offértur: quia si fuísset virgínitas imperáta, núptiæ videbántur ablátæ; et duríssimum erat contra natúram cógere, Angelorúmque vitam ab homínibus extorquére.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Alia fuit in véteri lege felícitas. Ibi dícitur: Beátus, qui habet semen in Sion, et domésticos in Jerúsalem; et: Maledícta stérilis, quæ non pariébat; et: Fílii tui sicut novéllæ olivárum in circúitu mensæ tuæ. Vácuus erat orbis, et, ut de týpicis táceam, sola erat benedíctio liberórum. Proptérea et Abraham jam senex Cethúræ copulátur, et Jacob mandrágoris redímitur, et conclúsam vulvam in Ecclésiæ figúram Rachel conquéritur. Paulátim vero increscénte ségete, messor immíssus est. Virgo Elías, Eliséus virgo, vírgines multi fílii Prophetárum. Jeremíæ dícitur: Et tu ne accípias uxórem. Sanctificátus in útero, captivitáte propínqua, uxórem prohibétur accípere. Aliis verbis idípsum Apóstolus lóquitur: Exístimo hoc bonum esse propter instántem necessitátem. Quæ est ista necéssitas, quæ aufert gaúdia nuptiárum? Tempus breviátum est, in próximo est Nabuchodónosor.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Inveniebátur ergo, ut díximus, in viris tantum hoc continéntiæ bonum, et in dolóribus júgiter Heva parturiébat. Postquam vero virgo concépit in útero, et péperit nobis púerum, cu-

jus principátus in húmeros ejus, Deum, fortem, patrem futúri sǽculi, solúta maledíctio est. Mors per Hevam, vita per Maríam. Ideóque et dítius virginitátis donum fluxit in féminas, quia cœpit a fémina. Statim ut Fílius Dei ingréssus est super terram, novam sibi família instítuit, ut qui ab Angelis adorabátur in cœlo, habéret Angelos et in terris. Tunc Holoférnis caput Judith cóntinens amputávit: tunc Aman, qui interpretátur iníquitas, suo combústus est igni: tunc primum audítum est: Quæ non est nupta, cógitat quæ sunt Dómini, ut sit sancta córpore et spíritu.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 23. de Verbis Dñi cap. 8.

Innténdat ítaque cáritas vestra. Sapiéntium lámpades ardébant de óleo ætérno, de consciéntiæ securitáte, de interióre glória, de íntima caritáte. Ardébant tamen et illárum fatuárum. Quare tunc ardébant? Quia déerant laudes hóminum. Póstea vero quam surrexérunt, idest in resurrectióne a mórtuis, cœpérunt aptáre lámpades suas, idest paráre, Deo óperum suórum réddere ratiónem. Et quia tunc nemo est qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat: non erant qui óleum vénderent, cœpérunt defícere lámpades.

℟. Hæc est Virgo.

Lectio viii.

Circa finem, cap. 10.

Clausum est óstium. Et quid illis dictum est? Non novi vos. Non illas novit, qui ómnia novit? Quid ergo est, Non novi vos? Improbo vos, réprobo vos: in arte mea non vos agnósco: ars mea nescit vítia. Hoc est autem ma-

gnum, et nescit vítia, et júdicat vítia: nescit faciéndo, júdicat arguéndo. Sic ergo non novi vos. Iérunt, intravérunt quinque prudéntes. Sint in vobis quinque prudéntes, ad istam prudéntiam quinárii número pertinéntes. Véniet enim hora, et quando nescímus, véniet. Sic clausit Evangélium: Vigiláte, quia nescítis diem neque horam.

℟. Média nocte.

Lectio ix.

Corde vígila, fide vígila, spe vígila, caritáte vígila, opéribus vígila: et quando córpore dormíeris, véniet tempus ut surgas. Cum autem surréxeris, prǽpara lámpades. Tunc non exstinguántur; tunc in interióre consciéntiæ óleo vegeténtur; tunc sponsus ille incorpóreis néxibus amplectátur; tunc te introdúcat in domum, ubi numquam dórmias, ubi numquam possit tua lampas exstíngui. Hódie vero laborámus, et lámpades nostræ inter ventos sǽculi hujus tentatiónésque flúctuant: sed árdeat in rubóre flamma nostra, ut ventus tentatiónis aúgeat ignem pótius, quam exstínguat.

Te Deum laudámus.

Die 19. Februarii.

In Diœcesi Barcinon.

Octava

S. Eulaliæ Virg. et Mart.

Duplex.

Omnia ut in Festo, præter sequentia.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. De virgínibus. de Comm. 1. loco.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

Lib. 5. c. 1. enarrationum in c. 15. lib. 1. Reg. tom. I.

Lectio iv.

De plúribus virgínibus, sub uníus descriptióne dictum est: Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto. In eódem quoque Psalmo laudátur éadem regína, cum dícitur: Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, in fímbriis aúreis circumamícta varietátibus. Quis est enim vestítus aúreus, nisi decor, et honor córporis virginális? Vestítus quidem dícitur, quia foris fulget in cór-

pore: aúreus autem, quia præcéllit dignitáte. Omnis autem metálli spécies auro inférior est; sic nimírum omnis pudicítia ália decóri virgíneo comparári non potest.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Quid est ergo, quod dícitur: Omnis glória fíliæ regum ab intus, si foris esse glória vestítus aúrei prædicátur? Si enim foris est áliqua magna aúrei vestítus glória, intus omnis glória vidéri non potest. Quid est ergo, quod omnis glória intus esse perhibétur, nisi quia et illa, quæ foris est glória, cum áliis innúmeris intus esse cognóscitur? Aúrea enim virgínitas non est, si foris est, et intus non est. Quia ergo intus et foris est, et quia éadem quæ splendet in córpore, éadem fulget in mente, omnis glória fíliæ regum intus esse sentíri conveniénter potest.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Omnis glória intus est, quia foris sola, intus sola non est. Quia enim multæ sunt virtútum claritátes in mente vírginis; sic virgíneus splendor asséritur, ut intus omnis glória prædicétur. Hoc nimírum est, quod subséquitur: In fímbriis aúreis circumamícta varietátibus. Fímbriæ enim aúreæ sunt claritátes, a mente numquam deficiéntes. Fímbriæ quidem, fináles vestiménti partes sunt: quæ idcírco in sponsæ Christi decóre laudántur; quia nulla est virtútum glória, si lucére ante vitæ consummatiónem desístat. Regína ergo amóre dícitur: in vestítu aúreo virgínitas prædicátur. Sed omnis glória intus, et in fímbriis aúreis, et varietáte circumamícta asséritur, ut innúmeris virtútibus adjúncta intégritas, usque in finem dedúci sentiátur.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem vir-

gínibus: quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso, et sponsæ Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 23. de verb. Dom. c. 2.

Intelligámus, caríssimi, ad omnes nos, id est, ad univérsam omníno Ecclésiam, istam pertinére parábolam, non ad solos præpósitos, de quibus hestérno die locúti sumus, nec ad solas plebes, sed prorsus ad omnes. Quare ergo quinque, et quinque vírgines? Quinque istæ, et quinque vírgines illæ, omnes omníno sunt ánimæ Christianórum: sed ut dicámus vobis quod Deo inspiránte sentímus, non qualescúmque ánimæ, sed tales ánimæ, quæ habent cathólicam fidem, et habére vidéntur bona ópera in Ecclésia Dei: et tamen ex ipsis quinque sunt prudéntes, et quinque fátuæ. Quare ergo appellátæ sunt quinque, et quare vírgines, prius videámus: et deínde cétera considerémus. Omnis ánima in córpore ídeo quinário número censétur, quia quinque sénsibus útitur.

℟. Hæc est Virgo.

Lectio viii.

Nihil est enim, quod sentímus in córpore, nisi jánua quinque partíta, aut vidéndo, aut audiéndo, aut odorándo, aut gustándo, aut tangéndo. Qui ergo se ábstinet ab illícito visu, ab illícito audítu, ab illícito odorátu, ab illícito gustátu, ab illícito tactu, propter ipsam integritátem, vírginis nomen áccipit. Sed si bonum est abstinére ab illícitis sentiéndi mótibus, et ídeo unaquǽque ánima christiána vírginis nomen áccipit; quare quinque admittúntur, quinque autem repellúntur? Et vírgines sunt, et repellúntur. Parum est, quia vírgines sunt: et lámpades habent. Vírgines propter abstinéntiam ab illícitis sénsibus, lámpades habent propter ópera bona; de quibus opéribus Dóminus dicit: Lúceant ópera vestra coram homínibus, ut vídeant bona facta vestra, et glorífícent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Item discípulis dicit: Sint

lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. In lumbis accínctis virgínitas, in lucérnis ardéntibus ópera bona.

℟. Média nocte.

In Quadrag. Lect. ix. Homil. et commem. Feriæ; alias

Lectio ix.

Non solet dici virgínitas útique in conjugátis: tamen étiam ibi est fídei virgínitas, quæ éxhibet pudicítiam conjugálem. Nam ut nóverit sánctitas vestra, non importúne secúndum ánimam, et secúndum integritátem fídei, qua étiam ab illícitis abstinétur, et bona ópera fiunt, unumquémque, vel unamquámque ánimam vírginem dici; tota Ecclésia, quæ constat ex virgínibus, et púeris, et maritátis féminis, et uxorátis viris, uno nómine virgo est appelláta. Unde hoc probámus? Apóstolum audi dicéntem, non solis sanctimoniálibus, sed univérsæ prorsus Ecclésiæ: Desponsávi vos uni viro vírginem castam exhibére Christo. Et quia hujus virginitátis corrúptor diábolus cavéndus est, contínuo ipse Apóstolus, cum dixísset: Desponsávi vos uni viro vírginem castam exhibére Christo, adjúnxit, et ait: Tímeo autem, ne sicut serpens Evam sedúxit in versútia sua, sic et vestri sensus corrumpántur a castitáte, quæ est in Christo. In córpore virginitátem pauci habent: in corde omnes habére debent.

Te Deum laudámus.

Die 26. Februarii.

In tota ecclesiastica Provinc. Tarracon. extra Diœc. Urgellensem.

B. M. V. de Guadalupe.

Duplex majus.

Omnia ut in Codice Ss. Hispan. eadem die.

Eadem Die.

In Diœcesi Urgellensi.

Maternitas B. Mariæ V.

Duplex majus.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. 17* Ps. et alia hic non propria ut in Festis B. M. V.

Hymnus. Ave maris.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Magnif. Ant. Cum jucunditáte Maternitátem beátæ Maríæ semper Vírginis celebrémus.

Oratio.

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti: præsta supplícibus tuis; ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

In Quadrag. comm. Feriæ.

Ad Complet. et per Horas dicitur:

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine.

Ad Matutinum.

Invit. Maternitátem beátæ Maríæ Vírginis celebrémus: * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Cœlo Redémptor prǽtulit
Felícis alvum Vírginis,
Ubi futúra víctima
Mortále corpus índuit.

Hæc Virgo nobis édidit
Nostræ salútis aúspicem,
Qui nos redémit sánguine,
Pœnas crucémque pértulit.

Spes læta nostro e péctore
Pellat timóres ánxios:
Hæc quippe nostras lácrimas
Precésque defert Fílio.

Voces Paréntis éxcipit,
Votísque Natus ánnuit:
Hanc quisque semper díligat,
Rebúsque in arctis ínvocet.

Sit Trinitáti glória,
Quæ Matris intáctum sinum
Ditávit almo gérmine,
Laus sit per omne sǽculum.
Amen.

In I. Nocturno.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. Cap. 24.

Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram: ego feci in cœlis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram: ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cœli circuívi sola, et profúndum abýssi penetrávi, in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti: et in omni pópulo, et in omni

gente primátum hábui: et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi: et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dómini morábor.

℟. Felix es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Ex qua ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster, per quem salváti et redémpti sumus. ℣. Maternitátem beátæ Maríæ Vírginis cum gaúdio celebrémus. Ex qua.

Lectio ii.

Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium: et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israël hæreditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Ab inítio, et ante sǽcula creáta sum, et usque ad futúrum sǽculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. Sine tactu pudóris invénta es Mater Salvatóris: * Qui cœlum terrámque regit, in tua se clausit víscera factus homo. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Qui.

Lectio iii.

Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion: quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho: quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris: et quasi storax, et gálbanus, et úngula, et gutta, et quasi Líbanus non incísus vaporávi habitatiónem meam, et quasi bálsamum non mistum odor meus. Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris.

℟. Multæ fíliæ congregavérunt divítias, tu super-

gréssa es univérsas: * Speciósa facta es et suávis in delíciis tuis sancta Dei Génitrix. ℣. Séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Maternitátem. Speciósa. Glória Patri. Speciósa.

In II. Nocturno.

Ex Sermóne sancti Leónis Papæ.

Serm. 1. de Nativ. Domini.

Lectio iv.

Virgo régia Davídicæ stirpis elígitur, quæ sacro gravidánda fœtu, divínam humanámque prolem prius concíperet mente quam córpore: et ne supérni ignára consílii ad inusitátos pavéret affátus, quod in ea operándum erat a Spíritu sancto, collóquio dídicit angélico, nec damnum crédidit pudóris Dei Génitrix mox futúra. Cur enim de conceptiónis novitáte despéret, cui efficiéntia de Altíssimi virtúte promíttitur? Confirmátur credéntis fides étiam præeúntis attestatióne miráculi. Donátur Elísabeth inopináta fœcúnditas,ut qui concéptum déderat stérili, datúrus non dubitarétur et Vírgini. Verbum ígitur Dei Fílius, qui in princípio erat apud Deum, per quem facta sunt ómnia, et sine quo factum est nihil, propter liberándum hóminem ab ætérna morte, factus est homo.

℟. Gloriósæ Vírginis Maríæ Maternitátem dignissimam recolámus: * Cujus Dóminus humilitátem respéxit, quæ Angelo nuntiánte concépit Salvatórem mundi. ℣. Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte mirábilis Genitrícis Dei. Cujus.

Lectio v.

Serm. 2. de Nativ. Domini.

Ingréditur hæc ínfima Jesus Christus Dóminus noster de cœli sede descéndens, et a patérna glória non recédens, novo órdine, nova nativitáte generátus. Novo órdine, quia invisíbilis in suis, visíbilis factus est in nostris: incomprehensíbilis vóluit comprehéndi: ante témpora manens, esse cœpit in témpore. Nova autem nativitáte génitus est: concéptus a Vírgine, natus ex Vírgine, sine patérnæ carnis concu-

piscéntia, sine matérnæ integritátis injúria: quia futúrum hóminum Salvatórem talis ortus decébat, qui et in se habéret humánæ substántiæ natúram, et humánæ carnis inquinaménta nescíret. Orígo dissímilis, sed natúra consímilis: humáno usu et consuetúdine, quod crédimus, caret: sed divína potestáte subníxum est, quod Virgo concéperit, Virgo pepérerit, Virgo permánserit.

℟. Benedícta fília tu a Dómino, quia per te fructum vitæ comunicávimus: * Sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo. ℣. Nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus nostris, et a perículis cunctis líbera nos sancta Dei Génitrix. Sola.

Lectio vi.

Opórtuit ut primam Genitrícis integritátem nascéntis incorrúptio custodíret, et complácitum sibi claustrum pudóris et sanctitátis hospítium divíni Spíritus virtus infúsa serváret, quæ statúerat dejécta erígere, confrácta solidáre, et superándis carnis illécebris multiplicátam pudicítiæ donáre virtútem; ut virgínitas, quæ in áliis non pótterat salva esse generándo, fíeret áliis imitábilis renascéndo. Hoc ipsum autem, quod Christus nasci elégit ex Vírgine, nonne appáret altíssimæ fuísse rátiónis, ut scílicet humáno géneri natam salútem diábolus ignoráret, et spirituáli laténte concéptu, quem non álium vidéret quam álios, non áliter créderet natum esse quam céteros? Quod ut fíeret, éditus est Christus ex Vírgine, quam Spíritus sanctus fœcundávit; et cum in ómnibus mátribus non fiat sine peccáti sorde concéptio, hæc inde purgatiónem traxit, unde concépit.

℟. Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui: * Unde hoc mihi ut véniat mater Dómini mei ad me? ℣. Respéxit humilitátem ancíllæ suæ, et fecit mihi magna qui potens est. Unde. Glória Patri. Unde.

In III. Nocturno.

℣. Fecit mihi magna qui potens est. ℟. Misericórdia

ejus a progénie in progénies timéntibus eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 2. f.

In illo témpore: Cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Hom. 1. de Laud. Virg. Matris.

Deum et Dóminum Angelórum María suum Fílium appéllat, dicens: Fili, quid fecísti nobis sic? Quis hoc aúdeat Angelórum? Súfficit eis, et pro magno habent, quod cum sint spíritus ex conditióne, ex grátia facti sint et vocáti Angeli, testánte David: Qui facit Angelos suos spíritus: María vero matrem se agnóscens, majestátem illam, cui illi cum reveréntia sérviunt, cum fidúcia suum núncupat Fílium. Nec dedignátur nuncupári Deus, quod esse dignátus est: nam paulo post subdit Evangelísta: Et erat súbditus illis. Quis? quibus? Deus homínibus: Deus, inquam, cui Angeli súbditi sunt, cui Principátus et Potestátes obédiunt, súbditus erat Maríæ.

℟. Beáta es Virgo María, Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino: perfécta sunt in te, quæ dicta sunt tibi: * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: intercéde pro nobis ad Dñm Deum nostrum. Proptérea.

Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Lectio viii.

Miráre utrúmlibet, et élige quid ámplius miréris, sive Fílii benigníssimam dignatiónem, sive Matris excellentíssimam dignitátem. Utrímque stupor, utrímque miráculum: et quod Deus féminæ obtémperet, humílitas absque exémplo; et quod Deo fémina principétur, sublímitas sine sócio. In laúdibus vírginum singuláriter cánitur quod sequúntur Agnum quocúmque íerit: quibus ergo laúdibus júdicas dignam, quæ étiam præit? Disce homo obedíre, disce terra subdi, disce pulvis obtemperáre. De Auctóre

tuo loquens Evangelísta: Et erat, inquit, súbditus illis. Erubésce supérbe cinis: Deus se humíliat, et tu te exáltas? Deus se homínibus subdit, et tu dominári géstiens homínibus, tuo te præpónis Auctóri?

℟. Congratulámini mihi omnes qui dilígitis Dóminum: quia cum essem párvula, plácui Altíssimo: * Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes: quia ancíllam húmilem respéxit Deus. Et. Glória Patri. Et.

In Quadr. Lectio ix. Homil. Feriæ; alias

Lectio ix.

Felix María, cui nec humílitas défuit, nec virgínitas. Et quidem singuláris virgínitas, quam non temerávit, sed honorávit fœcúnditas. Et nihilóminus speciális humílitas, quam non ábstulit, sed éxtulit fœcúnda virgínitas: et incomparábilis prorsus fœcúnditas, quam virgínitas simul comitátur et humílitas. Quid horum non mirábile? quid non incomparábile? quid non singuláre? Mirum vero, si non hǽsitas, in horum ponderatióne, quid tua júdices dígnius admiratióne, utrum vidélicet pótius stupénda sit fœcúnditas in Vírgine, an in Matre intégritas: sublímitas in prole, an cum tanta sublimitáte humílitas: nisi quod indubitánter horum síngulis præferénda sunt simul cuncta, et incomparabíliter excelléntius est atque felícius ómnia percepísse quam áliqua. Et quid mirum, si Deus, qui mirábilis cérnitur et légitur in Sanctis suis, mirabiliórem se exhíbuit in Matre sua? Venerámini ergo cónjuges in carne corruptíbili carnis integritátem: vos sacræ vírgines in Vírgine fœcunditátem. Imitámini omnes hómines Dei Matris humilitátem. Te Deum.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Beáta es * Virgo María, quæ ómnium portásti Creatórem.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Genuísti * qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo.

3. Beátam me dicent * omnes generatiónes: quia ancíllam húmilem respéxit Dóminus.

4. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

5. Vidérunt eam * fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam.

Capitulum. Eccli. 24.

Qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in eléctis meis mitte radíces.

Hymnus.

Te, Mater alma Núminis,
Orámus omnes súpplices,
A fraude nos ut dæmonis
Tua sub umbra prótegas.

Ob pérditum nostrum genus
Primi paréntis crímine,
Ad ínclytum Matris decus
Te Rex suprémus éxtulit.

Cleménter ergo próspice
Lapsis Adámi pósteris:
A te rogátus Fílius
Depónat iram víndicem.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Germinávit radix Jesse: orta est stella ex Jacob.
℟. Virgo péperit Salvatórem: te laudámus Deus noster.

Ad Bened. Ant. Sancta María succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam admirábilem Maternitátem.

Oratio.

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti: præsta supplícibus tuis; ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

In Quadrag. comm. Feriæ.

Ad Primam.

In ℟. br. ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Ad Tertiam.

Capit. Qui creávit me. ut supra.

℟. br. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie

tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine tua. Glória Patri. Spécie tua.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 24. b.

Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 24. b.

In platéis sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégit. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesp., præter

Ad Magnif. Ant. Matérnitas tua, Dei Génitrix Virgo, gaúdium annuntiávit univérso mundo: ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster.

In Quadrag. comm. Feriæ.

Die 27. Februarii.

In diœcesi Tarraconensi.

S. Margaritæ de Cortona Pœnit.

Semiduplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis, die 26. Febr.

FESTA MARTII.

Die 2. Martii.

In diœcesi Tarraconensi.

S. Philumenæ Virg. Mart.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius; ut qui beátæ Philuménæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum.

In Quadrag. comm. Feriæ.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Confitébor. de Comm. 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Inter cétera Mártyrum sepúlchra, quæ in cœmetério Priscíllæ ad viam Saláriam reperíri solent, illud éxstitit quo repósitum fúerat sanctæ Philuménæ corpus, uti ex túmuli inscriptióne tribus latérculis appósita perlegebátur. Licet vero invénta ibídem fúerit phíala sánguinis, et ália inscúlpta conspiceréntur martýrii insígnia, doléndum tamen est, res ab eádem gestas, áctaque ac genus martýrii quod ipsa fecit, obscúra perstitísse. Céterum ubi primum sacrum hoc corpus, ex beneficéntia Pii séptimi inítio pontificátus ejus accéptum, cúltui fidélis pópuli propósitum fuit Mugnáni in Noléna diœcési, ingens íllico famæ celébritas ac relígio erga sanctam Mártyrem percrébuit, præsértim ob signa, quæ ejúsdem præsídio accessísse úndique ferebátur. Hinc factum est ut complúrium antístitum, cultorúmque Mártyris postulatiónibus permótus Gregórius décimus sextus Póntifex Máximus, univérsa rei ratióne matúre perpénsa, festum ejúsdem cum Offício et Missa in memoráta Nolána diœcési et álibi agéndum benígne permíserit.

℟. Propter veritátem.

Lect. v. et vi. Sermo sancti Ambrósii Epíscopi. Quóniam hódie natális. quæ sunt iv. et v. de Comm. 1. loco cum v. et vi. ℟. ibid.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Símile erit. de eodem Comm. 1. loco.

Lectio ix. Homiliæ et com̃. Feriæ.

Die 6. Martii.

In tota ecclesiastica provinc. Tarracon.

S. Ollegarii Ep. et Conf.

Duplex.

In diœc. Tarracon. dupl. maj. In diœc. Barcin. dupl. 2. cl.

Omnia ut in Propr. Ss. Hispan. eadem die, cum Lect. I. Noct. Fidélis sermo.

Die 9. Martii.

In diœcesi Barcinonensi.

S. Paciani Episc. et Conf.

Duplex 2. class.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequ.

Oratio. Da, quǽsumus. de Communi 1. loco.

Et fit commem. Feriæ.

In I. Noct. Lect. Fidélis sermo. de eodem Com̃. 1. loco.

In II. Nocturno.

Ex D. Hieronymo, ex scriptis ejusdem S. Paciani, et ex aliis.

Lectio iv.

Paciánus, vir vita et sermóne conspícuus, Barcinóne in citerióre Hispánia multum flóruit. Is primum in matrimónio sanctam vitam agens, ex legítimo toro fílium hábuit nómine Dextrum, virum omni virtúte ac scientiárum génere instrúctum, et præfectúra prætórii decorátum, qui ad beátum Hierónymum, eódem Hierónymo teste, elegántem quamdam históriam téxuit. Ac proptérea ipso hortánte, ad eum sanctus doctor librum de Scriptóribus ecclesiásticis inscrípsit. Deínde Paciánus propter suas singuláres virtútes Barcinonénsium epíscopus creátus, munus episcopále ita gessit, ut infidélibus terrórem incúteret, fidélibus autem solátium magnum afférret. In episcopátu humilitátem, gravitátem, abstinéntiam, castitátem, mansuetúdinem, severitátem, liberalitátem, oratiónis assiduitátem ceterásque virtútes et ópere cóluit, et verbo dócuit, et libris consignátas posteritáti commendávit. Ad Symproniánum novatiánum tres epístolas contra Novatiános erudíte scripsit: in quibus illud est mirábile quanta eum caritáte allíciat, eúmdem honorífice fratrem appéllans; et quanta mansuetúdine illum, a quo fúerat lítteris lacessítus, alloquátur, cum dicit: Nos tecum

quasi colúmbæ ore pótius quam dente conflígimus.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Tractátum étiam de baptísmo et parǽnesim seu exhortatórium libéllum ad pœniténtiam conscrípsit. Ubi inter cétera ardéntem suum osténdit salútis animárum zelum, quando Barcinonénses oves pastoráli suæ sollicitúdini commíssas his verbis ad pœniténtiam adhortátur: Per Ecclésiæ fidem rogo vos fratres, per sollicitúdinem meam, per commúnes ómnium ánimas obtéstor, et déprecor ne púdeat in hoc ópere, ne pígeat opportúna quam primum remédia salútis invádere, dejícere mœróribus ánimum, sacco corpus invólvere, cínere perfúndere, maceréri jejúnio, mœróre confícere, multórum précibus adjuváre. In quantum pœnæ vestræ non pepercéritis, in tantum vobis Deus parcet. Vária étiam ália édidit Paciánus opúscula, quæ nusquam appárent. Dénique postquam vir Dei Barcinonénsem ecclésiam sanctíssime administrávit, universámque citeriórem Hispániam sua doctrína illustrávit, errántes oves ad ovíle Christi perdúxit, non errántes confirmávit, et omnes verbo atque exémplo ad pietátem christiánam inflammávit, sénio jam conféctus, plenus diérum, séptimo Idus Mártii, quo die ejus festum Barcinóne solémniter celebrátur, migrávit ad Dóminum. ℟. Pósui.

Ex libro S. Hierónymi Presbýteri de Scriptóribus ecclesiásticis.

Verbo Pacianus. Cap. 116.

Lectio vi.

Paciánus, in Pyrenǽi jugis Barcinóne epíscopus, castitáte et loquéntia, et tam vita quam sermóne clarus, scripsit vária opúscula: de quibus est Kerbos, et contra Novatiános. Sub Theodósio príncipe jam última senectúte mórtuus est. ℟. Iste est.

In III. Noct. Hom. in Evang. Homo péregre. de Com. 1. loc.

Lect. ix. Homiliæ et comm. Feriæ.

APPROBATIO.

Revisione hujus codicis Tarraconensis rite peracta, ille n originalibus ad amussim concordare repertus est, salvo orum Ordinariorum jure.

In fidem etc.

Tarracone, die 20. Decembris 1895.

(L. S.) ✠ Thomas,
Archiepiscopus Tarraconensis.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 8. Januarii 1896.

Dr. Fr. X. Leitner, Vic. in Spir. Gen.

92

Index alphabeticus.

Ratisbonæ. Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. Typographi.



PROPRIUM SANCTORUM
PROVINCIÆ ECCLESIASTICÆ
TARRACONENSIS.

PARS VERNA.

FESTA FEBRUARII.

Die 10. Februarii.

In diœcesi Vicensi.

S. Scholasticæ Virginis.

Duplex 2. classis.

In civitate duplex 1. class.

Omnia ut in Breviario Romano, eadem die.

Die 12. Februarii.

In diœcesi Barcinonensi.

S. Eulaliæ Virg. et Mart.

Duplex 1. cl. cum Octava etiam in Quadr. ex privileg.

Omnia ut in Propr. Ss. Hispan., eadem die.

Die 14. Februarii.

In cathedrali Dertusensi.

S. Valentini Presbyteri et Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. præter sequ.

Oratio. Præsta. ut in Breviario eadem die.

Et fit commem. Feriæ.

In I. Noct. Lect. Fratres: Debitóres. de Com. plur. Mart., cum ℟℟. de Com. unius Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Valentínus prés-byter, ob Christi fidem a Claúdio imperatóre compre-

ria vidéri non potest. Quid est ergo, quod omnis glória intus esse perhibétur, nisi quia et illa quæ foris est glória, cum áliis innúmeris intus esse cognóscitur? Aúrea enim virgínitas non est, si foris est, et intus non est. Quia ergo intus et foris est, et quia éadem quæ splendet in córpore, éadem fulget in mente, omnis glória fíliæ regum intus esse sentíri conveniénter potest.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Omnis glória intus est, quia foris sola, intus sola non est. Quia enim multæ sunt virtútum claritátes in mente vírginis, sic virgíneus splendor assériitur, ut intus omnis glória prædicétur. Hoc nimírum est, quod subséquitur: In fímbriis aúreis circumamícta varietátibus. Fímbriæ enim aúreæ sunt claritátes, a mente numquam deficiéntes. Fímbriæ quidem, fináles vestiménti partes sunt: quæ idcírco in sponsæ Christi decóre laudántur, quia nulla est virtútum glória, si lucére ante vitæ consummatiónem desístat. Regína ergo amóre dícitur: in vestítu aúreo virgínitas prædicátur. Sed omnis glória intus, et in fímbriis aúreis, et varietáte circumamícta asséritur, ut innúmeris virtútibus adjúncta intégritas, usque in finem dedúci sentiátur.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 23. de verb. Dom. c. 2.

Intelligámus, caríssimi, ad omnes nos, id est, ad univérsam omníno Ecclésiam, istam pertinére parábolam, non ad solos præpósitos, de quibus hestérno die locúti sumus, nec ad solas plebes, sed prorsus ad omnes.

dio: qui gládius missus in terram est, id est, prædicátio ejus hóminum córdibus infúsa. Fitque gravis in domo una dissénsio, et doméstica novo hómini erunt inimíca: quia ille per verbum Dei divísus ab illis, manére et intérior et extérior, id est, et corpus et ánima, in spíritus novitáte gaudébit.

℟. Hic est vere.

Lect. ix. Homiliæ et comm. Feriæ.

Die 16. Februarii.

In diœcesi Urgellensi.

Ss. Viginti sex Martyr. Japonensium.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis, die 5. Febr.

Die 19. Februarii.

In diœcesi Barcinon.

Octava S. Eulaliæ Virg. et Mart.

Duplex.

Omnia ut in Festo, præter sequentia.

In I. Nocturno Lectiones De virgínibus. de Communi 1. loco.

In II. Nocturno.

Sermo S. Gregórii Papæ.

Lib. 5. cap. 1. in lib. 1. Reg. cap. 15.

Lectio iv.

De plúribus virgínibus, sub unius descriptióne dictum est: Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto. In eódem quoque Psalmo laudátur éadem regína, cum dícitur: Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, in fímbriis aúreis circumamícta varietátibus. Quis est enim vestítus aúreus, nisi decor et honor córporis virginális? Vestítus quidem dícitur, quia foris fulget in córpore: aúreus autem, quia præcéllit dignitáte. Omnis autem metálli spécies auro inférior est; sic nimírum omnis pudicítia ália decóri virgíneo comparári non potest.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Quid est ergo, quod dícitur: Omnis glória fíliæ regum ab intus, si foris esse glória vestítus aúrei prædicátur? Si enim foris est áliqua magna aúrei vestítus glória, intus omnis gló-

ria vidéri non potest. Quid est ergo, quod omnis glória intus esse perhibétur, nisi quia et illa quæ foris est glória, cum áliis innúmeris intus esse cognóscitur? Aúrea enim virgínitas non est, si foris est, et intus non est. Quia ergo intus et foris est, et quia éadem quæ splendet in córpore, éadem fulget in mente, omnis glória fíliæ regum intus esse sentíri conveniénter potest.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Omnis glória intus est, quia foris sola, intus sola non est. Quia enim multæ sunt virtútum claritátes in mente vírginis, sic virgíneus splendor asséritur, ut intus omnis glória prædicétur. Hoc nimírum est, quod subséquitur: In fímbriis aúreis circumamícta varietátibus. Fímbriæ enim aúreæ sunt claritátes, a mente numquam deficiéntes. Fímbriæ quidem, fináles vestiménti partes sunt: quæ idcírco in sponsæ Christi decóre laudántur, quia nulla est virtútum glória, si lucére ante vitæ consummatiónem desístat. Regína ergo amóre dícitur: in vestítu aúreo virgínitas prædicátur. Sed omnis glória intus, et in fímbriis aúreis, et varietáte circumamícta asséritur, ut innúmeris virtútibus adjúncta intégritas, usque in finem dedúci sentiátur.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 23. de verb. Dom. c. 2.

Intelligámus, caríssimi, ad omnes nos, id est, ad univérsam omníno Ecclésiam, istam pertinére parábolam, non ad solos præpósitos, de quibus hestérno die locúti sumus, nec ad solas plebes, sed prorsus ad omnes.

Quare ergo quinque, et quinque vírgines? Quinque istæ, et quinque vírgines illæ, omnes omníno sunt ánimæ Christianórum: sed ut dicámus vobis quod, Deo inspiránte, sentímus, non qualescúmque ánimæ, sed tales ánimæ, quæ habent cathólicam fidem, et habére vidéntur bona ópera in Ecclésia Dei: et tamen ex ipsis quinque sunt prudéntes, et quinque fátuæ. Quare ergo appellátæ sunt quinque, et quare vírgines, prius videámus: et deínde cétera considerémus. Omnis ánima in córpore ídeo quinário número censétur, quia quinque sénsibus útitur.

℟. Hæc est Virgo.

Lectio viii.

Nihil est enim quod sentímus in córpore, nisi jánua quinque partíta, aut vidéndo, aut audiéndo, aut odorándo, aut gustándo, aut tangéndo. Qui ergo se ábstinet ab illícito visu, ab illícito audítu, ab illícito odorátu, ab illícito gustátu, ab illícito tactu, propter ipsam integritátem, vírginis nomen áccipit. Sed si bonum est abstinére ab illícitis sentiéndi mótibus, et ídeo unaquǽque ánima christiána vírginis nomen áccipit; quare quinque admittúntur, quinque autem repellúntur? Et vírgines sunt, et repellúntur. Parum est, quia vírgines sunt: et lámpades habent. Vírgines propter abstinéntiam ab illícitis sénsibus, lámpades habent propter ópera bona: de quibus opéribus Dóminus dicit: Lúceant ópera vestra coram homínibus, ut vídeant bona facta vestra, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Item discípulis dicit: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. In lumbis accínctis virgínitas, in lucérnis ardéntibus ópera bona.

℟. Média nocte.

Lect. ix. Homil. et comm. Feriæ.

Die 26. Februarii.

In tota ecclesiastica provinc. Tarracon. extra diœc. Urgellensem.

B. M. V. de Guadalupe.

Duplex majus.

Omnia ut in Propr. Ss. Hispan.

Eadem Die.

In diœcesi Urgellensi.

Maternitatis B. Mariæ V.

Duplex majus.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. 11* Ps. et alia hic non propria ut in Festis B. M. V.

Hymnus. Ave maris.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Magnif. Ant. Cum jucunditáte Maternitátem beátæ Maríæ semper Vírginis celebrémus.

Oratio.

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti: præsta supplícibus tuis; ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit comm. Feriæ.

Ad Complet. et per Horas in fine Hymn. dicitur:

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine.

Ad Matutinum.

Invit. Maternitátem beátæ Maríæ Vírginis celebrémus: * Christum ejus Fílium adorémus Dñm.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Cœlo Redémptor prǽtulit
Felícis alvum Vírginis,
Ubi futúra víctima
Mortále corpus índuit.

Hæc Virgo nobis édidit
Nostræ salútis aúspicem,
Qui nos redémit sánguine,
Pœnas crucémque pértulit.

Spes læta nostro e péctore
Pellat timóres ánxios:
Hæc quippe nostras lácrimas
Precésque defert Fílio.

Voces Paréntis éxcipit,
Votísque Natus ánnuit:
Hanc quisque semper díligat,
Rebúsque in arctis ínvocet.

Sit Trinitáti glória,
Quæ Matris intáctum sinum
Ditávit almo gérmine,
Laus sit per omne sǽculum.
Amen.

In I. Nocturno.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. Cap. 24.

Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatú-

ram: ego feci in cœlis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram: ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cœli circuívi sola, et profúndum abýssi penetrávi, in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti: et in omni pópulo, et in omni gente primátum hábui: et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi: et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dómini morábor.

℟. Felix es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Ex qua ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster, per quem salváti et redémpti sumus. ℣. Maternitátem beátæ Maríæ Vírginis cum gaúdio celebrémus. Ex.

Lectio ii.

Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium: et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israël hæreditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Ab inítio, et ante sǽcula creáta sum, et usque ad futúrum sǽculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. Sine tactu pudóris invénta es Mater Salvatóris: * Qui cœlum terrámque regit, in tua se clausit víscera factus homo. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Qui.

Lectio iii.

Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion: quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho: quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris: et quasi storax, et gálbanus, et úngula, et gutta, et quasi

Líbanus non incísus vaporávi habitatiónem meam, et quasi bálsamum non mistum odor meus. Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris.

℟. Multæ fíliæ congregavérunt divítias, tu supergréssa es univérsas: * Speciósa facta es, et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix. ℣. Séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Maternitátem. Speciósa. Glória Patri. Speciósa.

In II. Nocturno.

Sermo S. Leónis Papæ.

Serm. 1. de Nativ. Domini.

Lectio iv.

Virgo régia Davídicæ stirpis elígitur, quæ sacro gravidánda fœtu, divínam humanámque prolem prius concíperet mente quam córpore. Et ne supérni ignára consílii ad inusitátos pavéret affátus, quod in ea operándum erat a Spíritu sancto, collóquio dídicit angélico: nec damnum crédidit pudóris, Dei Génitrix mox futúra. Cur enim de conceptiónis novitáte despéret, cui efficiéntia de Altíssimi virtúte promíttitur? Confirmátur credéntis fides étiam præeúntis attestatióne miráculi. Donátur Elísabeth inopináta fœcúnditas, ut qui concéptum déderat stérili, datúrus non dubitarétur et Vírgini. Verbum ígitur Dei Fílius, qui in princípio erat apud Deum, per quem facta sunt ómnia, et sine quo factum est nihil, propter liberándum hóminem ab ætérna morte, factus est homo.

℟. Gloriósæ Vírginis Maríæ Maternitátem digníssimam recolámus: * Cujus Dóminus humilitátem respéxit, quæ Angelo nuntiánte concépit Salvatórem mundi. ℣. Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte mirábilis Genitrícis Dei. Cujus.

Lectio v.

Serm. 2. de Nativ. Domini.

Ingréditur hæc ínfima Jesus Christus Dóminus noster de cœli sede descéndens, et a patérna glória non recédens, novo órdine,

nova nativitáte generátus. Novo órdine, quia invisíbilis in suis, visíbilis factus est in nostris: incomprehensíbilis vóluit comprehéndi: ante témpora manens, esse cœpit in témpore. Nova autem nativitáte génitus est: concéptus a Vírgine, natus ex Vírgine, sine patérnæ carnis concupiscéntia, sine matérnæ integritátis injúria: quia futúrum hóminum Salvatórem talis ortus decébat, qui et in se habéret humánæ substántiæ natúram, et humánæ carnis inquinaménta nescíret. Orígo dissímilis, sed natúra consímilis: humáno usu et consuetúdine, quod crédimus, caret: sed divína potestáte subníxum est, quod Virgo concéperit, Virgo pepérerit, Virgo permánserit.

℟. Benedícta fília tu a Dómino, quia per te fructum vitæ coṁunicávimus: * Sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo. ℣. Nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus nostris, et a perículis cunctis líbera nos sancta Dei Génitrix. Sola.

Lectio vi.

Opórtuit ut primam Genitrícis integritátem nascéntis incorrúptio custodíret, et complácitum sibi claustrum pudóris et sanctitátis hospítium divíni Spíritus virtus infúsa serváret, quæ statúerat dejécta erígere, confrácta solidáre, et superándis carnis illécebris multiplicátam pudicítiæ donáre virtútem; ut virgínitas, quæ in áliis non póterat salva esse generándo, fíeret áliis imitábilis renascéndo. Hoc ipsum autem, quod Christus nasci elégit ex Vírgine, nonne appáret altíssimæ fuísse ratiónis, ut scílicet humáno géneri natam salútem diábolus ignoráret, et spirituáli laténte concéptu, quem non álium vidéret quam álios, non áliter créderet natum esse quam céteros? Quod ut fíeret, éditus est Christus ex Vírgine, quam Spíritus sanctus fœcundávit; et cum in ómnibus mátribus non fiat sine peccáti sorde concéptio, hæc inde purgatiónem traxit, unde concépit.

℟. Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus

ventris tui: * Unde hoc mihi ut véniat mater Dómini mei ad me? ℣. Respéxit humilitátem ancíllæ suæ, et fecit mihi magna qui potens est. Unde. Glória Patri. Unde.

In III. Nocturno.

℣. Fecit mihi magna qui potens est. ℟. Misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 2. f.

In illo témpore: Cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Hom. 1. de Laud. Virg. Matris.

Deum et Dóminum Angelórum María suum Fílium appéllat, dicens: Fili, quid fecísti nobis sic? Quis hoc aúdeat Angelórum? Súfficit eis, et pro magno habent, quod cum sint spíritus ex conditióne, ex grátia facti sunt et vocáti Angeli, testánte David: Qui facit Angelos suos spíritus: María vero matrem se agnóscens, majestátem illam, cui illi cum reveréntia sérviunt, cum fidúcia suum núncupat Fílium. Nec dedignátur nuncupári Deus, quod esse dignátus est: nam paulo post subdit Evangelísta: Et erat súbditus illis. Quis? quibus? Deus homínibus: Deus, inquam, cui Angeli súbditi sunt, cui Principátus et Potestátes obédiunt, súbditus erat Maríæ.

℟. Beáta es Virgo María, Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino: perfécta sunt in te, quæ dicta sunt tibi: * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: intercéde pro nobis ad Dñm Deum nostrum. Proptérea.

Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Lectio viii.

Miráre utrúmlibet, et élige quid ámplius miréris, sive Fílii benigníssimam dignatiónem, sive Matris excellentíssimam dignitátem. Utrímque stupor, utrímque miráculum: et quod Deus féminæ obtémperet, humílitas absque ex-

émplo; et quod Deo fémina principétur, sublímitas sine sócio. In laúdibus vírginum singuláriter cánitur quod sequúntur Agnum quocúmque íerit: quibus ergo laúdibus júdicas dignam, quæ étiam præit? Disce homo obedíre, disce terra subdi, disce pulvis obtemperáre. De Auctóre tuo loquens Evangelísta: Et erat, inquit, súbditus illis. Erubésce supérbe cinis: Deus se humíliat, et tu te exáltas? Deus se homínibus subdit, et tu dominári géstiens homínibus, tuo te præpónis Auctóri?

℟. Congratulámini mihi omnes qui diligitis Dóminum: quia cum essem párvula, plácui Altíssimo: * Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes: quia ancíllam húmilem respéxit Deus. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix. de Homil. Feriæ.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Beáta es * Virgo María, quæ ómnium portásti Creatórem.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Genuísti * qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo.

3. Beátam me dicent * omnes generatiónes: quia ancíllam húmilem respéxit Dóminus.

4. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

5. Vidérunt eam * fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam.

Capitulum. Eccli. 24.

Qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in eléctis meis mitte radíces.

Hymnus.

Te, Mater alma Núminis,
Orámus omnes súpplices,
A fraude nos ut dæmonis
Tua sub umbra prótegas.

Ob pérditum nostrum genus
Primi paréntis crímine,
Ad ínclytum Matris decus
Te Rex suprémus éxtulit.

Cleménter ergo próspice
Lapsis Adámi pósteris:
A te rogátus Fílius
Depónat iram víndicem.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Germinávit radix Jesse: orta est stella ex Jacob. ℟. Virgo péperit Salvatórem: te laudámus Deus noster.

Ad Bened. Ant. Sancta María succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam admirábilem Maternitátem.

Oratio.

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti: præsta supplícibus tuis; ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit comm. Feriæ.

Ad Primam.

In ℟. br. ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Ad Tertiam.

Capit. Qui creávit me. ut supra. 11*

℟. br. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine tua. Glória Patri. Spécie tua.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 24. b.

Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 24. b.

In platéis sicut cinnamómum, et bálsamum aro-

matízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégit. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesp., præter

Ad Magnif. Ant. Matérnitas tua, Dei Génitrix Virgo, gaúdium annuntiávit univérso mundo: ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster.

Et fit comm. Feriæ.

Die 27. Februarii.

In diœcesi Tarraconensi.

S. Margaritæ de Cortona Pœnit.

Semiduplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis, die 26. Febr.

Die 28. Febr. vel 5. Martii.

In nonnullis diœcesibus.

B. Nicolai Factoris Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequ. (m. t. v.)

Oratio.

Deus, qui beátum Nicoláum Confessórem tuum ineffábili caritátis tuæ igne succénsum, te puro corde sectári fecísti: da nobis fámulis tuis; ut eódem spíritu repléti et caritáte fervéntes, viam mandatórum tuórum inofffénso pede currámus. Per Dóminum.

Deinde fit commem. Feriæ.

In I. Nocturno Lectiones. Beátus vir. de Comm. 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Nicoláus, Valéntiæ Edetanórum piis paréntibus ortus, ab ineúnte ætáte præclára futúræ sanctitátis édidit documénta. Quinque enim annos natus, ter síngulis hebdómadis jejunábat, pane tantum et aqua conténtus. Obsónia sibi paráta alácriter paupéribus elargiebátur, atque egenórum et leprosórum mánibus tibiísque, sánie licet manántibus, pia óscula dabat. Quibus sane aliísque christiánæ perfectiónis exémplis fámula domus Maura com-

móta, Mahométicam ejurávit superstitiónem. Adoléscens ægrótos in nosocomíis crebro invisébat, própriis ipse mánibus illis inserviébat, omníque stúdio nóbiles viros ac matrónas civitátis ad id óperis alliciébat. Quæ et ália miránda pietátis et caritátis ópera, in quibus miríſice enítuit, ad mortem usque numquam dimísit. Mundi suíque contémptor, pecúniæ summam ei ad connúbium oblátam, strénue recusávit; ac paréntum blandiméntis, ipsum in matrimónium collocáre adniténtium, invícta constántia réstitit. Exínde de reguläri áliquo institúto amplecténdo sério cogitáre cœpit. Itaque observántiæ sancti Francísci nomen dare decérnens, ad cœnóbium sanctæ Maríæ a Jesu Valéntiæ clánculum secéssit, ibíque non tam précibus quam lácrimis a Superióre hábitum obtínuit. Tyrocínio exácto, professiónem emísit, sacrísque ordínibus initiátus, verbi Dei prædicatióni totum se dedit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Elucébat in eo summa vitæ innocéntia, cómitas, verecúndia: ob quas egrégias ánimi dotes, diffícile dictu est quot ad meliórem frugem tradúxerit, quotque e vitiórum cœno ad viam salútis revocáverit. Ad hæc, priúsquam in conciónem ascénderet, ter flagris se cǽdere consuévit. Diris subínde cilíciis, flagéllis ac jejúniis corpus suum contínue macerábat, nullíque umquam pepércit afflictatióni ad pravas affectiónes cohibéndas. Nudis semper pédibus incéssit: cogénte vero morbo, subjécta obtéctus sólea, ac símplici conténtus túnica. Noctes sæpe insómnes tradúxit; ac pro eo quo erga Jesu Christi passiónem æstuábat amóre, binos íntegros annos ad crucifíxi pedes excubásse memóriæ est próditum. Vultus ejus, etsi pœniténtia attrítus, singulári tamen Dei grátia végetus semper et venústus appáruit. Obediéntia, paupertáte et pudicítia emícuit, nitidámque conscién-

tiam suam, quam nulla mortáli labe umquam fœdásse perhibétur, non modo sartam tectam servávit, sed dæmonem étiam, spécie mulíeris formósæ indígnis modis ad eam labefactándam túrpiter ei insidiántem vimque faciéntem, vicit ac profligávit. Tyrónes quibus præfuit, verbo atque exémplo ad perfectiónem evéhere sédulo curávit. Truculéntis desperatísque homínibus necem sibimetípsis suspéndio inférre conántibus, supérno lúmine afflátus, præsto ástitit, e mortis límine faucibúsque dæmonis liberávit, et ad críminis confessiónem addúxit. Sanctis Ludovíco Bertrándo et Pascháli Baylon aliísque viris doctrína et sanctitáte conspícuis fuit acceptíssimus, et ab iísdem ob vitæ sanctimóniam summis laúdibus celebrátus.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

A Joánna Austríaca Philíppi secúndi soróre Matrítum accítus, Excalceatárum moniálium, quas vocant Regálium, confessárii munus laudabíliter obívit. Oratióni et meditatióni júgiter addíctus, non semel a terra elevátus visus fuísse dícitur, ac frequéntes ádeo éxtases passus, ut intérdum vigínti quátuor horas in raptu deprehénsus, diúque noctúque passim et ubíque locórum ejúsmodi delíciis perfruerétur, fácie ut plúrimum inflammáta, luce ex ea irradiánte, et uréntibus étiam cárnibus. Idque frequéntius ei contingébat in meditándis sacris fídei mystériis, potíssimum vero oriebátur ex ferventíssimo amóre, quo erga sacratíssimam Eucharístiam flagrábat. Quare aliquándo inter eucharísticum panem distribuéndum, non solum miris extásibus extra se rapi, verum et sacras formas ad dígitos suos saltáre raro quidem prodígio, observátum perhibétur. Singulári in Deum amóre ac in Vírginem matrem pietáte effúlsit, plurimísque supérnis charismátibus fuit exornátus. Méritis tandem et labóribus plenus, in morbum íncidit, ac satis memorándo humi-

litátis exémplo, in stábulo humári semel iterúmque efflagitávit; proximíque óbitus accépto núntio, hílari ánimo in illa verba prorúpit: Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi. Sacraméntis item Ecclésiæ rite munítus, placidíssime óbiit Valéntiæ extra mœnia in convéntu Jesu. Defúncti cadáver flexíbile, végetum ac suávem spirans odórem, novem dies, ut fidélium concúrsui fíeret satis, insepúltum remánsit. Triénnio post exhumátum, íntegrum adhuc fuit invéntum, ac Philíppo secúndo Hispaniárum regi conspiciéndum exhíbitum est. Postrémo Dei servum miráculis étiam clarum Pius sextus Póntifex Máximus, solémni ritu beatórum fastis adscrípsit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evangel. Sint lumbi. de Communi 1. loco.

Lectio ix. Homil. et comm. Feriæ.

FESTA MARTII.

Die 2. Martii.

In diœcesi Tarraconensi.

S. Philumenæ Virg. Mart.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. Mart., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius; ut qui beátæ Philuménæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit comm. Feriæ.

In I. Noct. Lect. Confitébor. de eodem Comm. 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Inter cétera Mártyrum sepúlchra, quæ in cœmetério Priscíllæ ad viam Saláriam reperíri solent, illud éxstitit quo repósitum fúerat sanctæ Philuménæ corpus, uti ex túmuli inscriptióne tribus latérculis appósita perlegebátur. Licet vero invénta ibídem fúerit phíala sán-

guinis, et ália inscúlpta conspiceréntur martýrii insígnia, doléndum tamen est, res ab eádem gestas, áctaque ac genus martýrii quod ipsa fecit, obscúra perstitísse. Céterum ubi primum sacrum hoc corpus, ex beneficéntia Pii séptimi inítio pontificátus ejus accéptum, cúltui fidélis pópuli propósitum fuit Mugnáni in Nolána diœcési, ingens íllico famæ celébritas ac relígio erga sanctam Mártyrem percrébuit, præsértim ob signa, quæ ejúsdem præsídio accessísse úndique ferebátur. Hinc factum est ut complúrium antístitum, cultorúmque Mártyris postulatiónibus permótus Gregórius décimus sextus Póntifex Máximus, univérsa rei ratióne matúre perpénsa, festum ejúsdem cum Offício et Missa in memoráta Nolána diœcési et álibi agéndum benígne permíserit.

℟. Propter veritátem.

Lect. v. et vi. Sermo sancti Ambrósii Epíscopi. Quóniam hódie natális. quæ sunt iv. et v. de Comm. 1. loco cum v. et vi. ℟. ibid.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Símile erit. de eodem Comm. 1. loco.

Lectio ix. Homiliæ et com̃. Feriæ.

Die 6. Martii.

In tota ecclesiastica provinc. Tarracon.

S. Ollegarii Ep. et Conf.

Duplex.

In diœc. Tarracon. dupl. maj.
In diœc. Barcin. dupl. 2. cl.

Omnia ut in Propr. Ss. Hispan. eadem die, cum Lect. I. Noct. Fidélis sermo.

Die 9. Martii.

In diœcesi Barcinonensi.

S. Paciani Episc. et Conf.

Duplex 2. class.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequ.

Oratio. Da, quǽsumus. de Communi 1. loco.

Et fit commem. Feriæ.

In I. Nocturno Lectiones Fidélis sermo. de eodem Communi 1. loco.

In II. Nocturno.

Ex D. Hieronymo, ex scriptis ejusdem S. Paciani, et ex aliis.

Lectio iv.

Paciánus, vir vita et sermóne conspícuus, Barcinóne in citerióre Hispánia multum flóruit.

Is primum in matrimónio sanctam vitam agens, ex legítimo toro fílium hábuit nómine Dextrum, virum omni virtúte ac scientiárum género instrúctum, et præfectúra prætórii decorátum, qui ad beátum Hierónymum, eódem Hierónymo teste, elegántem quamdam históriam téxuit. Ac proptérea ipso hortánte, ad eum sanctus doctor librum de Scriptóribus ecclesiásticis inscrípsit. Deínde Paciánus propter suas singuláres virtútes Barcinonénsium epíscopus creátus, munus episcopále ita gessit, ut infidélibus terrórem incúteret, fidélibus autem solátium magnum afférret. In episcopátu humilitátem, gravitátem, abstinéntiam, castitátem, mansuetúdinem, severitátem, liberalitátem, oratiónis assiduitátem ceterásque virtútes et ópere cóluit, et verbo dócuit, et libris consignátas posteritáti commendávit. Ad Symproniánum novatiánum tres epístolas contra Novatiános erudíte scripsit: in quibus illud est mirábile quanta eum caritáte allíciat, eúmdem honoríface fratrem appéllans; et quanta mansuetúdine illum, a quo fúerat lítteris lacessítus, alloquátur, cum dicit: Nos tecum quasi colúmbæ ore pótius quam dente conflígimus.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Tractátum étiam de baptísmo et parænesim seu exhortatórium libéllum ad pœniténtiam conscrípsit. Ubi inter cétera ardéntem suum osténdit salútis animárum zelum, quando Barcinonénses oves pastorálí suæ sollicitúdini commíssas his verbis ad pœniténtiam adhortátur: Per Ecclésiæ fidem rogo vos fratres, per sollicitúdinem meam, per commúnes ómnium ánimas obtéstor, et déprecor ne púdeat in hoc ópere, ne pígeat opportúna quam primum remédia salútis invádere, dejícere mœróribus ánimum, sacco corpus invólvere, cínere perfúndere, macerári jejúnio, mœróre confícere, multórum précibus adjuváre. In quantum pœnæ

vestræ non pepercéritis, in tantum vobis Deus parcet. Vária étiam ália édidit Paciánus opúscula, quæ nusquam appárent. Dénique postquam vir Dei Barcinonénsem ecclésiam sanctíssime administrávit, universámque citeriórem Hispániam sua doctrína illustrávit, errántes oves ad ovíle Christi perdúxit, non errántes confirmávit, et omnes verbo atque exémplo ad pietátem christiánam inflammávit, sénio jam conféctus, plenus diérum, séptimo Idus Mártii, quo die ejus festum Barcinóne solémniter celebrátur, migrávit ad Dóminum. ℟. Pósui.

Ex libro S. Hierónymi Presbýteri de Scriptóribus ecclesiásticis.

Verbo Pacianus. Cap. 116.

Lectio vi.

Paciánus, in Pyrenǽi jugis Barcinóne epíscopus, castitáte et loquéntia, et tam vita quam sermóne clarus, scripsit vária opúscula: de quibus est Kerbos, et contra Novatiános. Sub Theodósio príncipe jam última senectúte mórtuus est. ℟. Iste est.

In III. Noct. Hom. in Evang. Homo péregre. de Com. 1. loc.

Lect. ix. Homiliæ et comm. Feriæ.

Die 15. Martii.

In diœcesi Barcinonensi.

S. Matronæ Virg. et Mart.

Duplex.

Omnia de Comm. Virg. et Mart., præter sequ.

Oratio. Indulgéntiam. de Comm. 2. loco.

Et fit commem. Feriæ.

In I. Nocturno Lectiones. De virgínibus. de Communi 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex Beda, Martyrol. Roman., Breviar. Barcin. et aliis.

Matróna virgo Christiána, et cujúsdam mulíeris Judǽæ ancílla, dum Thessalonícæ multo témpore dóminæ suæ ómnibus, quibus lícite póterat, modis obséquitur, numquam christiánam fidem, numquam óptimos Christianórum mores, cum veri Dei cultu conjúnctos, ut decébat ancíllam Christi, deséruit. Imo quo magis in dies dóminam suam serváre legem véterem judaizáreque

cernébat, eo magis ipsa judáicam éxsecrans perfídiam, in veritáte legis novæ, in fide atque religióne christiána confirmabátur. Cum autem capitále semper esse Judæórum ódium advérsus Christum et Christiános intellígeret, ne ullam dómina sua ex suo in Christum obséquio iníque persequéndi se occasiónem accíperet, occúlte Christum cólere, et furtívis oratiónibus quotídie ecclésiam frequentáre, omni, quo póterat, stúdio conabátur.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Quod ubi deprehéndit ínsolens dómina, cállide primum eam álloqui, promíssis et blandítiis allícere curat, eidémque persuadére studet, ut desérta christiána religióne, judáicam legem amplectátur. Cum autem ejus verba nihil viríle cor sponsæ Christi dimovérent, furens múlier pérfida minas evómere, et torménta eídem intimáre delíberat. Ad vérbera deínde progréditur, et acérbe illam ad scamnum alligátam semel atque íterum crúciat. Quibus torméntis, sicut aurum in fornáce probátur, ita Matróna, quo ácrius affígitur, eo fírmius in fide solidátur, a vinculísque mirabíliter solúta, divínitus recreátur.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Dénique ímpia dómina, feráli ódio támdiu robústis fústibus virgíneum ancíllæ corpus ad mortem usque percússit, donec Matróna, ad virginitátis simul et martýrii palmam evécta, in confessióne Christi incorrúptum Deo spíritum réddidit. Ejus corpus primum Thessaloníсæ cónditum, magna ibídem pópuli frequéntia venerátum est. Post longa vero témpora a Christiánis accéptum et in navi impósitum, ipsis nautis nec cogitántibus nec voléntibus, divíno consílio vi acerbíssimæ tempestátis ad littus Hispániæ Tarraconénsis juxta Barcinónem mirabíliter asportátum, in monte eídem civitáti vicíno et in ecclésia ejúsdem nómine Deo

dicáta, fuit collocátum. Ubi quotidiánis clarum miráculis, ac præsértim siccitátis témpore, ad impetrándam a Deo plúviam magna ab íncolis veneratióne cólitur, Idibúsque Mártii, quo die ejus festum celebrátur, magno totíus pópuli Barcinonénsis concúrsu frequentátur.

℟. Afferéntur regi.

In III. Nocturno Homil. in Evangel. Símile est regnum cœlórum. de Communi nec Virg. nec Mart. cum ℟℟. de Comm. Virg.

Lectio ix. Homiliæ et comm. Feriæ.

Die 18. Martii.

In diœcesi Gerundensi.

S. Narcissi Episc. et Mart. Patroni.

Duplex 1. classis.

In I. Vesperis.

Ant. 1. Narcíssus curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne.

Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

2. Ipse est diréctus divínitus in pœniténtiam gentis, et tulit abominatiónes impietátis.

3. Fuit máximus in salútem electórum Dei, expugnáre insurgéntes hostes.

4. Invocávit Dóminum omnipoténtem in oppugnándo hostes circumstántes úndique, in oblatióne Agni invioláti.

5. Consummatióne fungens in ara, libávit de sánguine uvæ: effúdit in fundaménto altáris odórem divínum excélso príncipi.

Capitulum. 2. Mach. 15.

Hic est fratrum amátor, et pópuli Israël: hic est, qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte.

Hymnus.

Festívis hódie laúdibus ínclytum
Narcíssum, púeri, concínite, ac senes:
Linguis ómnibus, urbs nostra, canéntibus
Patrónum célebra tuum.

Dum nostram prémerent carnífices fidem,
Ac strages fíeret christíadum, datus
Nobis hic fuit invíctus epíscopus,
Christi ut dúceret ágmina.

Zelo ardénte plagas raptus ad éxteras,
Afram cum Eunómia, Digna et Hilária,
Narcíssus Zósimum ac innúmeram fere
Sanctórum ségetem parat.

Ast ex indígenis lárgior est seges,
Nostrórum píetas ínclyta cívium;
Centéni, præeúnte agmen epíscopo,
Scandunt sídera Mártyres.

Laus ætérna tibi, altíssima Trínitas,
Quæ ætérno récreas lúmine Mártyres:
Narcíssi précibus da fámulis tuis
Cœli gaúdia cónsequi. Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Sanctíssimum patrem ac epíscopum Narcíssum hujus civitátis et diœcésis patrónum recolámus ac celebrémus, qui suis méritis et précibus nos ab omni malo liberáre potens est.

Oratio ut ad Laudes. 30*
Et fit com̃. Fer. in Quadrag.

Ad Matutinum.

Invitat. Regem glóriæ Christum, qui Narcíssum coronávit, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Iste, quem gaudens canit urbs Gerúndæ,
Quem diœcésis cólimus patrónum,
Hac die sertis redimítus arces
Scandit Olýmpi.

Exteras oras patriásque lustrat,
Núntiat Christum, pavet haud tyránnos,
Voce et exémplo superísque signis
Terret avérnum.

Ira Rufíni veheménter ardet,
Certa Narcíssus ruit in perícla,
Cáritas urget, periméndus instat
Pro grege pastor.

Dona dum libat sacra Trinitáti,
Guttur ac suras scapulásque cæsus,
Númini sacram próprio cruóre
Imbuit aram.

Laus tibi, simplex Deus
atque trine,
Qui beas nostrum super
astra patrem,
Ejus orátu bona sempitérna
Pórrige nobis. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. In lege Dómini fuit volúntas Narcíssi die ac nocte.

Ps. trium Noct. de Comm. unius Mart.

Ant. Prædicans præcéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus ad regéndam Ecclésiam Dei.

Ant. Dóminus suscéptor ejus fuit, glória ejus, et exáltans caput ejus.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De libro Jósue.

Lectio i. Cap. 2.

Visit ígitur Jósue fílius Nun de Setim duos viros exploratóres in abscóndito, et dixit eis: Ite, et consideráte terram, urbémque Jéricho. Qui pergéntes ingréssi sunt domum mulíeris meretrícis nómine Rahab, et quievérunt apud eam. Nuntiatúmque est regi Jéricho, et dictum: Ecce viri ingréssi sunt huc per noctem de fíliis Israël, ut explorárent terram. Misítque rex Jéricho ad Rahab, dicens: Educ viros, qui venérunt ad te, et ingréssi sunt domum tuam: exploratóres quippe sunt, et omnem terram consideráre venérunt. Tolléns que múlier viros, abscóndit, et ait: Fáteor, venérunt ad me, sed nesciébam unde essent: cumque porta clauderétur in ténebris, et illi páriter exiérunt, néscio quo abiérunt: persequímini cito, et comprehendétis eos.

℟. Exploratóres evangélicos Narcíssum et Felícem Afra méretrix hospítio excépit, * Et Dei minístros a paganórum insídiis liberávit. ℣. Felix múlier, quæ bonum opus operáta est. Et Dei.

Lectio ii.

Ipsa autem fecit ascéndere viros in solárium domus suæ, operuítque eos stípula lini, quæ ibi erat. Hi autem qui missi fúerant, secúti sunt eos per

viam quæ ducit ad vadum Jordánis: illísque egréssis, statim porta clausa est. Necdum obdormíerant qui latébant, et ecce múlier ascéndit ad eos, et ait: Novi quod Dóminus tradíderit vobis terram: étenim írruit in nos terror vester, et elanguérunt omnes habitatóres terræ. Audívimus quod siccáverit Dóminus aquas Maris rubri ad vestrum intróitum, quando egréssi estis ex Ægýpto: et quæ fecéritis duóbus Amorrhæórum régibus, qui erant trans Jordánem: Sehon et Og, quos interfecístis.

℟. Abjécta ad Narcíssi pedes Afra dixit: Obsecro te Dómine * Ut me fácias mundári a peccátis meis. ℣. Beáta est fides tua, o múlier: faciémus in te misericórdiam et veritátem. Ut.

Lectio iii.

Et hæc audiéntes pertimúimus, et elánguit cor nostrum, nec remánsit nobis spíritus ad intróitum vestrum: Dóminus enim Deus vester, ipse est Deus in cœlo sursum, et in terra deórsum. Nunc ergo juráte mihi per Dóminum, ut quómodo ego misericórdiam feci vobíscum, ita et vos faciátis cum domo patris mei: detísque mihi verum signum, ut salvétis patrem meum et matrem, fratres ac soróres meas, et ómnia quæ illórum sunt, et eruátis ánimas nostras a morte. Qui respondérunt ei: Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodíderis nos. Cumque tradíderit nobis Dóminus terram, faciémus in te misericórdiam et veritátem. Demísit ergo eos per funem de fenéstra: domus enim ejus hærébat muro.

℟. Circa noctis gallicínium, cum lumen candélæ exstínctum esset, oránte Narcísso * Lux e cœlo delápsa diversórium occupávit. ℣. Dóminus illuminávit vultum suum super Afram, et misértus est illíus. Lux. Glória Patri. Lux.

In II. Nocturno.

Ant. Mirificávit Dóminus sanctum suum Narcís-

sum: et exaudívit eum, cum clamáret in oratióne.

Ant. In multitúdine misericórdiæ tuæ Dómine introívit in domum tuam: adorávit ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Ant. Mínuit eum Dóminus paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronávit eum.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Lectio iv.

Ex Breviar. Gerunden., Augustano et aliis monumentis.

Sanctíssimus pater et epíscopus noster Narcíssus, quo témpore fervébat Diocletiáni persecútio in Rhétiam provínciam, divíno mónitu cum Felíce diácono suo proféctus, Augústam Vindelicórum áppulit. Quo cum pervenísset, ad Afræ domicílium divértit. Afra vero, etsi méretrix, compérto tamen eum esse Christianórum epíscopum, Dei spíritu commóta, resípuit, et ad illíus pedes se abjécit. Bono autem ánimo esse jussa, cum Narcísso et Felíce in oratióne pernoctávit. Circa autem noctis gallicínium, cum lumen candélæ exstínctum esset, oránte Narcísso lux e cœlo delápsa diversórium occupávit. Orto jam sole, Narcíssum et Felícem occultávit Afra, et indagatóres ab infidélibus missos elúsit. Pulso póstea inde dǽmone, qui semel iterúmque se vidéndum præbúerat, multa patráta sunt a Narcísso mirácula, quibus Afram et ejus ancíllas Dignam, Eunómiam et Eutrópiam Hilariámque ejus matrem ad fidem convértit, et salutári aqua perfúdit.

℟. Narcíssus Afram et ejus ancíllas Dignam Eunómiam et Eutrópiam Hilariámque ejus matrem ad fidem convértit, * Et salutári aqua perfúdit. ℣. Secúndum misericórdiam suam salvas fecit Deus ancíllas suas per lavácrum regeneratiónis. Et.

Lectio v.

In ea urbe aliquámdiu cum Felíce commorátus Narcíssus, multos ad chri-

stiánam religiónem alléxit, et consecráta in Dei cultum Hilániæ domo, et Dionýsio ántea Zósimo Afræ avúnculo ad sacerdótium evécto, et epíscopo creáto, post novem menses in excoléndis íníbi ánimis consúmptos, revérsus est Gerúndam, atque ibi tamquam in legítimo solo íntegrum triénnium pósuit in amplificánda Christi fide: quo ex labóre collégit ubérrimos fructus. Sed cum adhuc eo témpore Diocletiáni crudélitas ubíque terrárum in Ecclésiam sæviret, sanctíssimus póntifex, dum sacris operarétur, gráviter in gútture, húmero ac sura vulnerátus, martýrii palmam obtínuit quarto Kaléndas Novémbris, anno círciter ducentésimo nonagésimo séptimo.

℟. Narcíssus Augústæ aliquámdiu cum Felíce commorátus, multos ad christiánam religiónem alléxit, * Et Hiláriæ domum ecclésiam consecrávit. ℣. Hic est sacérdos magnus, qui in diébus suis corroborávit templum. Et.

Lectio vi.

Ejus corpus a Christiánis subdúctum, in eódem templo ubi passus ipse est, incorrúptum post tot annórum lustra manens, in magnífico marmóreo sacéllo últimis próximi elápsi sǽculi tempóribus magnis epíscopi tunc diœcésim regéntis súmptibus, nec non súbditi sibi gregis pio adjuvámine mirábili arte confécto, asservátur: íllaque perantíqua ecclésia olim sancta María extra muros dicebátur; póstea vero in honórem sancti Felícis Mártyris fuit dicáta. Cláruit multis miráculis, præsértim prodigiósa quadam integritáte ad hodiérnam usque diem, rubescénte étiam nunc circa talum eo cruóre, qui e vúlnere deflúxit. Fuit étiam illud celebérrimum, quando sub Petro Aragóniæ rege capta per Philíppum Gallórum regem Gerúnda, emíssa sunt divínitus ex Narcíssi túmulo ultrícium muscárum exámina, quæ, mortíferis acúleis édita ingénti strage, violáti per summum nefas templi ac

sepúlchri víndices exstitére. Porro cum in decréto de reductióne festórum in Hispaniárum regnis, a Pio nono Pontífice Máximo édito, sancítum fúerit ut in quálibet diœcési unus tantum patrónus principális a sancta Sede designándus recolátur, ad pópuli devotiónem erga ínclytum Mártyrem magis ac magis fovéndam, et ad hujus cultum in dies augéndum, Gerundénsis antístes eníxe a sancta Sede postulávit ut is præcípuus apud Deum patrónus pro diœcési sibi concrédita constituerétur. Cujus précibus benígne ánnuens suprémus Póntifex, sanctum Narcíssum epíscopum et Mártyrem patrónum principálem diœcésis Gerundénsis elégit, ejúsque festum sub ritu dúplici primæ classis cum octáva, áddito fidélibus præcépto astándi Sacro et a servílibus opéribus abstinéndi, quotánnis die vigésima nona Octóbris celebrári mandávit.

℟. Revérsus Gerúndam, in ea tamquam in legítimo solo íntegrum triénnium pósuit in amplificánda Christi fide: * Quo ex labóre collégit ubérrimos fructus. ℣. Dóminus elégit eum, et pósuit eum ut fructum afférret, et fructus ejus manéret. Quo. Glória. Quo.

In III. Nocturno.

Ant. Ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in phárétra, ut sagittárent in obscúro Narcíssum rectum corde.

Ant. Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: ipse autem timens Dóminum glorificátus est.

Ant. Glóriam et magnum decórem impósuit Dóminus super eum: quóniam dedit eum in benedictiónem in sǽculum sǽculi.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 12. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti ca-

dens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 65. in Joannem.

Quid signat granum fruménti, nisi cadens mórtuum fúerit? De cruce lóquitur, ne perturbaréntur. Cum Gentíles accessérunt, tunc mórtuum esse, hoc, inquit, máxime pópulos addúcet, et mei augébit præcónium. Inde cum non ita verbis persuadéret, rerum experiéntia id aggréditur, ínquiens hoc in fruménto contíngere, ut mórtuum majórem fructum ásserat: quod si hoc in semínibus évenit, multo magis in me. Sed non intellexérunt discípuli quid díceret: ídeo frequénter idem répetit Evangelísta, excúsans quod póstmodum fúgerint.

℟. Narcíssus epíscopus dum sacris operarétur, tribus vulnéribus felíciter occúbuit * In confessióne sanctíssimæ Trinitátis. ℣. Hic est bonus pastor, qui ánimam suam dedit pro óvibus suis. In.

Lectio viii.

Talem, de resurrectióne dísputans, ratiónem Paulus étiam áttulit. Quam ígitur habébunt excusatiónem qui resurrectiónem non credunt, cum in semínibus et in plantis quotídie hoc videámus, ac étiam in nostro génere? primum enim corrúmpi semen opórtet, inde fíeri generatiónem. Omníno autem, cum Deus áliquid facit, nulla opus est ratióne. Quómodo nos ex níhilo fecit? hoc ad Christiános dico, qui se dicunt crédere Scriptúris. Ego autem et áliud dicam ex humánis ratiónibus: alii malítiam, álii virtútem sectántur; sed malítiæ sectatórum multi felíciter in últimam pervenérunt senectútem, virtútis autem contra.

℟. O faustíssima cívitas et diœcésis Gerundénsis, Narcíssi epíscopi et Mártyris tui illustráta doctrínis, decoráta virtútibus, confirmáta miráculis, respérsa sánguine, dives sacris óssibus! * Sis tuta ejus patrocínio. ℣. Dóminus líberet te ab omni malo,

et prótegat te propter Narcíssum servum suum. Sis. Glória Patri. Sis.

Lect. ix. Homília Feriæ. Extra Quadrag.; alias

Lectio ix.

Quómodo ergo pro méritis unusquísque accípiet? quando? Certe, ínquiunt; sed córpora non resúrgent. Nonne aúdiunt Paulum dicéntem: Opórtet autem corruptíbile hoc indúere incorruptiónem? Neque ánimam intélligit, quippe quæ non corrúmpitur, et resurréctio de mórtuo dícitur: Cécidit autem corpus. Quare vero córporis resurrectiónem negas? An non possíbilis Deo est? quod dícere summæ améntiæ est. An non decet? cur non decet ut corruptíbile hoc, quod et labóris est et mortis párticeps, in prǽmiis étiam commúnicet?

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Fide Narcíssus * hóstiam óbtulit Deo, per quam testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibénte munéribus ejus Deo.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Obedívit * in locum exíre, quem acceptúrus erat in hæreditátem: et éxiit, et demorátus est.

3. Obtulit Dómino * semetípsum cum tentarétur, árbitrans quia et a mórtuis suscitáre potens est Deus.

4. Elégit afflígi cum pópulo Dei, majóres divítias ǽstimans thesaúris ómnibus impropérium Christi.

5. Per patiéntiam * cucúrrit ad propósitum sibi certámen, aspíciens in auctórem fídei et consummatórem Jesum.

Capitulum. 2. Mach. 15.

Hic est fratrum amátor, et pópuli Israël: hic est, qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte.

Hymnus.

Prǽsulem sanctum méritis corúscum,
Mártyrem fortem, decus hujus urbis,
Voce Narcíssum simul atque corde
Psállimus omnes.

Psállimus nostrum, redeúnte festo,
Quem pavent hostes, válidum patrónum,
Qui propinquántes répulit mináces
Sæpe phalánges.

Noster hic custos columénque nostrum,
Hic adest nobis pater atque tutor,
Cujus et nostram sacra civitátem
Ossa tuéntur.

Ipse nos ergo tueátur omnes,
Tuta sit semper per eum Gerúnda:
Arva pinguéscant, relevéntur ægri,
Pax sit in ævum.

Laus tibi, simplex Deus atque trine,
Qui beas nostrum super astra patrem,
Ejus orátu bona sempitérna
Pórrige nobis. Amen.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Venerábilis Póntifex Narcíssus post laudábilem Afræ conversiónem ad Hispániam proféctus, Gerúndam rédiit, ubi ad martýrii palmam felíciter pervénit.

Oratio.

Deus, qui beátum Narcíssum Mártyrem tuum atque Pontíficem illústri laúrea decorásti, ejúsque corpus admirábili integritáte claríficas: concéde propítius; ut ejus deprecatióne tuo muníti præsídio, incorrúpta gaúdia felicitátis ætérnæ consequámur. Per Dóminum.

Et fit comm. Fer. in Quadr.

Ad Tertiam.

Capit. Hic est fratrum.
℟. br. Glória et honóre. ℣. Posuísti.

Ad Sextam.

Capitulum. Act. 20.

Attóndite vobis, et univérso gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo.

℟. br. Posuísti. ℣. Magna est.

Ad Nonam.

Capitulum. Hebr. 5.

Omnis Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut

offerat dona, et sacrifícia pro peccátis.

℟. br. Magna est. ℣. Justus ut palma.

In II. Vesperis.

Omnia ut in primis, et loco ultimi Ps. Crédidi.

Capit. Hic est fratrum. ut in Laud.

Hymnus.

Decus Gerúndæ ac pátriæ,
Narcísse Martyr ínclyte,
Laudes tibi nos sólvimus,
Tu dona nobis ímpetra.

Sedens in arce síderum,
Hanc mitis urbem réspice,
Et deprecántes sérvulos
Audi benígne, et ádjuva.

Nostris procul de fínibus
Advérsa cuncta réjice,
Bellum famémque ac hórridam
Repélle pestiléntiam.

Compésce vires dǽmonis,
Dissólve víncla críminum,
Avérte noxas córporum,
Accénde lumen spíritus.

Ætérna, Jesu altíssime,
Laus sit tibi atque glória.
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnif. Ant. Patrónum nostrum beatíssimum Narcíssum laudémus et superexaltémus, quem dígnitas pontificális exornávit, zelus apostólicus inflammávit, et gloriosíssimi martýrii laúrea Dóminus coronávit in ætérnum.

¶ Si hoc Festum transferatur ad temp. Pasch., dic. idem Officium, additis Allelúja; verum ℣℣. et ℟℟. ante Lect. in Matut. et post Hymnos in utrisque Vesp. et Laud., atque ℟℟. brevia ad Tertiam, Sextam et Nonam sumentur de Communi temp. Pasch.

Die 22. Martii.

In diœcesi Gerundensi.

Beati Salvatoris ab Horta Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequ. (m. t. v.)

Oratio.

Concéde, quǽsumus omnípotens Deus: ut beáti Salvatóris Confessóris tui memóriam recoléntes, ipsíus intercessióne a cunctis malis liberémur in terris, et ad gaúdia sempi-

térna perveníre mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit comm. Feriæ.

In tribus Noct. Lect. de Communi 2. loco.

Lectio ix. Homil. et comm. Feriæ.

Die 23. Martii.

In diœcesibus Barcinonensi, Cœlsonen., Urgell. et Vicens.

Beati Josephi Oriol
Confessoris.

Duplex.

℣ Si hoc Festum primas Vesp. non habeat, jungantur in Matut. Hymnus Vesp. et Matut. sub una conclusione.

Omnia de Communi Conf. non Pont., præter sequentia.

In I. Vesperis.

Hymnus.

Te chorus, Joseph, speciósus ambit
Rite virtútum, Dómino juvánte:
Cívibus faustos ubicúmque tentas
Pónere gressus.

Impiæ noctis ténebris opérta
Gesta priscórum veneránda patrum
Próferens terris, pietátis almæ
Sæcla redúcis.

Súblevans fratres míseros, et ipsis
Legis ætérnæ sacra jussa pandens,
Córpori aut ægris ánimis salútem
Sédulus affers.

O pii mores, pueríque virtus
Indicæ gemmæ pótior nitóre!
O nitor mentis, sacra qua sacérdos
Múnera tractas!

Sit decus Patri, genitǽque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo.
Amen.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent.

Ad Magnif. Ant. Glória nostra hæc est, quod in simplicitáte cordis, et in sinceritáte Dei, et non in sapiéntia carnáli, sed in grátia Dei conversáti sumus in hoc mundo.

Oratio ut ad Laud. 36*

Et fit commem. Feriæ in Quadrag.

Ad Matutinum.

Hymnus.

Corde præságus procul ore casus
Témporis pandis ténebris amíctos,
Pandis arcános hóminum sub imo
Péctore sensus.

Incolas sanctos ímitans erémi,
Quinque tu lustris opulénta in urbe
Pane susténtas gelidáque lympha
Débile corpus.

Et choris vocem sócians beátis,
Tu Deum laudas tácitis sub horis:
Mortis inníxi láqueis salútem,
Te duce, quærunt.

Sive sit mœstis adhibénda cura,
Sive discórdes júbeat ligáre
Cáritas cives, ades usque præsens
Omnibus unus.

Sit decus Patri, genitǽque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.

In I. Nocturno Lect. Beátus vir. de Communi 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Joséphus Oriol, Barcinóne honéstis paréntibus ortus, et pia institutióne a téneris añis imbútus, primum puer in perinsígni templo sanctæ Maríæ ad Mare cleri et sacrórum ministériis addíctus, egrégium innocéntiæ morum et sedulitátis exémplum prǽbuit. Tum vero in lítteris perdiscéndis ita óperam pósuit, ut christianárum virtútum exercitatióni primum locum daret, ádeo solitúdinis amans et a sǽculi voluptátibus abhórrens, ut in ipso juventútis flore per septéñium vix umquam e cubículo suo, nisi aut religiónis, aut necessárii offícii causa pedem extúlerit. Ejus adhuc adolescéntuli illibáta pudicítia, quam esset Deo grata, mirábili prodígio patefáctum fuit. Nam occúltam cujúsdam contra se suspiciónem supérno lúmine

persénsit, et manus accénso foco ádmovens, támdiu eas ténuit illǽsas, dum se ab omni labe purum tali experiménto comprobávit. Doctóris laúream in facultáte theológica adéptus, nec multo post sacerdótio initiátus, quotidiánum jejúnium inchoávit, quod, pane et aquæ potu conténtus, adjéctis intérdum áliquot festis diébus herbis agréstibus, ad óbitum usque perpétuo servávit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Sacra Apostolórum límina visitándi cúpidus, Romam pédibus se cóntulit, ubi benefício ecclesiástico parœ́ciæ Barcinonénsis sanctæ Maríæ Regum, quæ de Pinu vulgo nuncupátur, a summo Pontífice Iñocéntio undécimo auctus est. Revérsus in pátriam, céteris beneficiáriis incitaménto erat et admiratióni. Elucébant in eo singuláris rerum terrenárum contémptus, sincéra ánimi demíssio, aspérrima córporis macerátio, vigíliæ contínuæ, ut noctes, e sella aut asséribus ubi ingrátum carpébat somnum, dato signo consúrgens, fere insómnes orándo tradúceret; juge orándi, et cœléstia contemplándi stúdium, et inde incénsus Dei amór, ut sæpe a sénsibus alienátus, in dulci quodam excéssu consísteret. Martýrium veheménter éxpetens, longínquam et periculósam peregrinatiónem pro infidélium conversióne suscépit, a qua plane divínitus revocátus est, ut effúsa in próximos caritáte, cívibus suis opitulári pérgeret. Plúrimos ille consíliis subministrándis confessionibúsque excipiéndis adjuvábat: ægrotántes omni ope et subsídio solabátur: egénos redítibus suis in eleemósynas erogátis sustentábat, institútis étiam ære próprio áliquot sacrifíciis pro animábus paúperum defunctórum offeréndis. Ipse autem vili veste indútus incedébat, et perangústum cubículum, neque rebus ádmodum necessáriis satis instrúctum inhabitábat.

℟. Amávit eum.

Lectio vi.

Tam assíduum in aliórum calamitátibus subleván-

dis stúdium crebris signis ac prodígiis divínitus illustrátum fuit. Nam innúmeros ægrótos, étiam insanabílibus morbis oppréssos, signo crucis, aut manus super eos impónens, sanitáti restituébat: quæ grátia sanatiónum usque ádeo celebráta fuit, ut sæpe ad plura Catalaúniæ óppida vocátus accésserit, quamplúrimis jam desperátis ægris certam opem latúrus. Céterum ad ecclésiam sanctæ Maríæ de Pinu potíssimum ingens languéntium multitúdo quotídie confluébat, atque illíus benedictióne cæci visum, surdi audítum, muti loquélam, claudi gressum recuperábant, áliis morbis affécti íntegram valetúdinem consequebántur. In hæc beneficéntiæ et misericórdiæ offícia inténtus, atque áliis cœléstibus donis cumulátus, cum ad annum ætátis quinquagésimum secúndum devenísset, et diem horámque óbitus sui prænuntiásset, anno salútis millésimo septingentésimo secúndo, die vigésima tértia Mártii ad Dómini ampléxum, quem ardénter concupíerat, evolávit. Elátus honoríﬁco fúnere et magno pópuli concúrsu, in sacéllo sancti Leopárdi, sui sacerdótii sede, religióse cónditus fuit, post mortem item ut in vita miráculis clarus. Quibus ómnibus rite perpénsis, Pius séptimus Póntifex Máximus, beatórum fastis illum adscrípsit. ℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homil. in Evang. Sint lumbi. de Comm. Confess. non Pont. 1. loco. Lect. ix. Homil. Feriæ.

Ad Laudes

Hymnus.

Ordinem nautæ stupuére versum,
Dum tumens æquor rapidíque venti
Indolem ponunt, citiúsque dicto
Se tibi subdunt.

Hæc mari quondam: stúpuit patráta
Cívitas omnis nova signa terris:
Surge, dicébas moriénti, et ille
Surgit, et astat.

Ambulant claudi, rútilum tuéntur
Solis et lumen, quibus est adémptum:

Cogis infírmi renuéntis ægra
Membra valére.
Sédibus nunc tu súperum recéptus,
Sis memor nostri, pater alme Joseph:
Sis tuæ genti plácidus precámur
Súpplice voto.
Sit decus Patri, genitǽque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.

℣. Ego in innocéntia mea ingréssus sum. ℟. Rédime me et miserére mei.

Ad Bened. Ant. Sollícite curávit seípsum probábilem exhibére Deo, operárium inconfusíbilem, recte tractántem verbum veritátis.

Oratio.

Deus, qui beátum Joséphum Confessórem tuum mirábili abstinéntiæ dono et curatiónum grátia decorásti: concéde; ut a culpis abstinéntes in terris, pœniténtiæ præmium assequámur in cœlis. Per Dñm.

Et fit com. Fer. in Quadrag.

In II. Vesperis.

Hymn. ut in primis.

℣. Rogo vos, imitatóres mei estóte. ℟. Sicut et ego Christi.

Ad Magnif. Ant. Misit eum Dóminus evangelizáre paupéribus, et sanáre contrítos corde.

FESTA APRILIS.

Fer. II. post Dom. in Albis.
In diœcesi Dertusensi.

S. Vincentii Ferrerii
Confessoris.
Duplex 1. classis.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud., 42* Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Hymnus.

Alme Vincénti, veneránda cujus
Hæc dies valde cólitur per orbem,
Quas tibi cantat chorus hic fidélis,
Accipe laudes.
En adhuc matris récubans in alvo,
Signa jam terris dare sanctitátis
Cœperas: natus nova lux fuísti
Spléndida mundo.

Namque mox annis téneris peráctis,
Prædicatórum sítiens adísti
Ordinem, servans documénta patrum
Corde seníli.

Tactus e cœlis, óperam dedísti
Lítteris sacris utriúsque legis,
Quas docens, veræ fídei replésti
Lúmine mundum.

Angelus nobis célebris fuísti
Ille, qui cœli médium volábat,
Núntians linguis, populísque cunctis
Júdicis horam.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cœli sólio corúscans,
Totíus mundi sériem gubérnat
Trinus, et unus. Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Hic est fratrum amátor, et pópuli nostri: hic est, qui multum orat pro pópulo et univérsa civitáte nostra, beátus Vincéntius conféssor Dómini, allelúja.

Oratio ut infra ad Laud.

Ad Matutinum.

Invitat. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte adorémus, allelúja.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Luce doctrínæ rútilans serénæ,
Ambitum terræ pelagíque lustrat,
Semper ardénti resonándo sacrum
Péctore verbum.

Ore cum sancte pópulos docéret,
Dicta post signis váriis probábat,
Lánguidis reddens cruce sanitátis
Róbora membris.

Dæmonum sævos réprimit furóres,
Pellit et morbos, Dóminum precátus,
Mórtuos mire révocans in auras
Lucis amœnas.

Cujus instrúcti mónitis Hebræi,
Una cum Mauris, véteri relícto
More, divínis renovántur undis
Mente fidéli.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cœli sólio corúscans,
Totíus mundi sériem gubérnat
Trinus, et unus. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Plantátus secus decúrsus aquárum Vincéntius fructum suum dedit in témpore suo, allelúja.

Psalm. trium Nocturnorum de Comm. Conf. non Pont.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Lect. Sapiéntiam. ut in Comm. Doct.

℟. i. Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucébat: quasi sol refúlgens, * Sic ille effúlsit in templo Dei, allelúja. ℣. Quasi arcus fulgens inter nébulas glóriæ. Sic ille.

℟. ii. Vidi Angelum habéntem Evangélium ætérnum, dicéntem magna voce: Timéte Deum, et date illi honórem: * Quia venit hora judícii ejus, allelúja. ℣. Adoráte eum, qui fecit cœlum et terram, mare et fontes aquárum. Quia venit.

℟. iii. Christum tota mente secútus, terréna despéxit, * Qui veritátem in prædicatióne fecit conspícuam, allelúja. ℣. Cantábiles illi erant justificatiónes Dómini in loco peregrinatiónis ejus. Qui veritátem. Glória Patri. Qui veritátem.

In II. Nocturno.

Ant. Mirificávit Dóminus sanctum suum, et Dóminus exaudívit eum, allel.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam, allelúja. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium, allelúja.

Lectio iv.

Vincéntius Valéntiæ, quæ in Hispániæ província Tarraconénsi urbs est claríssima, honéstis paréntibus ex progénie Ferreriórum ortus, cum futúræ suæ sanctitá-

tis osténta quædam, quæ ómnibus admiratiónem movérunt, ántequam in lucem ederétur, præmonstrásset, ipso ætátis suæ exórdio se divinárum rerum stúdiis statim addíxit, et annum agens décimum octávum, órdinis Prædicatórum religiónem ingréssus est. Cujus régulam proféssus, Ilerdam Hispániæ civitátem non multo post stúdii grátia missus, doctóris theólogi insígnia est adéptus. Post vero ad prædicatiónis munus sese convértens, velut strénuus quidam Christi athléta contra Judæórum et Agarenórum erróres acérrime invehebátur, et omnes a vítiis deterrére, et ad bonum hortári extrémo ac universáli judício ante mentis óculos pósito, assídue solébat. Ultimi enim tremendíque judícii diem, velut alter ille Angelus per médium cœli volans, sedéntibus super terram, in omnem gentem, tribum, linguam et pópulum virtúte magna prædicábat.

℟. Gloriósum fecit Deus Vincéntium in conspéctu regum, et jussa dedit illi ad pópulum suum: * In fide quoque et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, allelúja. ℣. Dedit illi coram præcépta, et legem vitæ et disciplínæ. In fide.

Lectio v.

Multas ígitur Hispániæ, Gálliæ et Itáliæ províncias, quasi novum quoddam sidus perlústrans, multórum corda, depúlsis ténebris, cœlésti splendóre illustrávit, ac Judæórum simul et Agarenórum innúmeram prope multitúdinem ad Christi fidem convértit. Cujus tanta erat ad attrahéndos étiam repugnántes auctóritas, ut multos ad terrenárum rerum contémptum et cœléstium amórem fácile divína virtúte inflammáret. Quotídie, perácta Missa, sacras ad pópulum conciónes habébat: quotídie, nisi urgéret necéssitas, jejunábat: ómnibus pie et ultro consulébat: cárnium esu abstínuit: líneam vestem non índuit: castíssimis decorátus móribus semper vixit: pópulos magnis de rebus inter se contendéntes con-

112

ciliávit. Cumque inter Ecclésiæ primátes de summi Pontíficis electióne eo témpore mínime conveníret, sédulam atque étiam útilem óperam (ea, qua apud illos valébat auctoritáte), ut res ad consénsum revocarétur, adhíbuit. Dénique in sedándis príncipum et populórum dissídiis, ejus semper senténtia prævalébat.

℟. In omni ópere dedit confessiónem Sancto, et Excélso in verbo glóriæ: * De omni corde suo laudávit Dóminum, allelúja. ℣. Diléxit Deum, qui fecit illum: et dedit illi contra inimícos poténtiam. De omni.

Lectio vi.

Cujus sanctitátem insígni étiam miraculórum operatióne Deus testátam esse vóluit. Per ipsum enim divína virtus ad confirmándam ejus prædicatiónem et vitæ probitátem, tam per manus ipsíus impositiónem quam reliquiárum et véstium ejus contáctum, mirácula tam multa operáta est, ut spíritus immúndos ejécerit, surdis audítum, et mutis sermónem restitúerit, cæcos illumináverit, leprósos mundáverit, et mórtuos étiam suscitáverit. Cujus tanta fuit ánimi intégritas, córporis mundítia, morum rectitúdo, cómitas étiam erga omnes et cleméntia, ut eum multi vitæ magístrum sibi delígerent, et per civitátes et loca magno afféctu sequeréntur. Tandem in Británniæ civitáte Veneténsi post vitam sanctíssime actam, annum agens supra septuagésimum, mortem felicíssime óbiit Nonis Aprílis, anno Dómini millésimo quadringentésimo décimo nono. Quem Callístus tértius Póntifex Máximus, catálogo sanctórum adscrípsit.

℟. Sperans in Dómino, operátus est bonum, * Et auctus est divítiis largitátis Dei, allelúja. ℣. Delectabátur in Dómino: et dedit illi Dóminus petitiónes cordis ejus. Et auctus. Glória Patri. Et auctus.

In III. Nocturno.

Ant. Qui ingréditur sine mácula, et operátur justí-

tiam, requiéscet in monte sancto Dómini, allelúja.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus, allelúja. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus, allelúja.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 5. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 15. in Matth. circa med.

Vides quemádmodum paulátim étiam Prophétis discípulos melióres esse patefécerit? non enim illos fílios véteris Testaménti, neque medíocres ponit magístros, sed sevéros quosdam, atque terríbiles. Hoc est enim omníno mirábile, quod non adulántes, neque palpántes, sed e divérso salis instar uréntes, fere ómnibus se tam desiderábiles reddidérunt. Nolíte ergo, inquit, mirári, si álios omíttens, vos potíssimum dóceo, atque ad perícula tanta traho. Consideráte quippe quantis úrbibus quantísque pópulis vos sim missúrus magístros: proptérea non vos tantúmmodo volo esse sapiéntes, sed ut tales faciátis et céteros. Hujúsmodi autem magístros, in quibus certe tantórum periclitátur salus, máxima decet pollére prudéntia, tantásque illis virtútum adésse divítias, ut áliis quoque utilitátem ædificatiónis impértiant.

℟. Mansuéti hæreditábunt terram, * Et delectabúntur in multitúdine pacis, allelúja. ℣. Novit Dóminus dies im̃aculatórum, et hæréditas eórum in ætérnum erit. Et delectabúntur.

Lectio viii.

Nolíte de difficultáte cónqueri, quasi qui doctrínam meam moléstam esse dicátis: infatuátis enim conculcatísque pópulis, per vos ad sapiéntiam redíre possíbile est; si vero id étiam patiámini vos ipsi, vobíscum perdétis et réliquos. Itaque quanto étiam majórum vobis rerum curam com̃ítto, tanto potióre indigétis et

stúdio. Propter quod íntulit: Si autem sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Alii enim etiámsi sæpe delínquant, possunt tamen ad véniam perveníre: si vero hoc magíster ipse patiátur, omni excusatióne privábitur, et supplícia extréma persólvet.

℟. Exspectávit Dóminum, et custodívit viam ejus, * Et exaltátus est, ut hæreditáte cápiat terram, allelúja. ℣. Custodívit innocéntiam, et vidit æquitátem. Et exaltátus. Glória Patri. Et exaltátus.

Lectio ix.

Ne enim audiéntes, Cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, in médium prodíre formídent, dicit: Quóniam nisi ad ista fuéritis paráti, frustra elécti estis. Non enim vos opórtet maledícta hóminum timére, sed laudes: quas si audíre cupiátis, tunc vere infatuándi estis atque calcándi. Si vero perseveravéritis vosmetípsos úndique castigántes, et deínde audiéritis mala, gaudéte: hoc enim est opus salis, laxa quæque úrere, atque restríngere. Itaque jam necessária subséquitur maledíctio, nihil vobis prorsus incómmodans, imo étiam testimónium vestræ pérhibens firmitátis.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Indúlsit Deus * Vincéntium mundo, ut in terris esset exémplo, et in cœlis patrocínio, allelúja.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Agébat in terris, * nihil terréna sápiens: cujus conversátio erat in cœlis, allel.

3. Pulchri et speciósi * erant Vincéntii pedes ad evangelizándum pacem, ad evangelizándum bona, allel.

4. Suáve fuit illi jugum Christi, et ad fidem late propagándam onus leve, allelúja.

5. Ad consórtium * ascítus est Angelórum, qui puritáte enítuit, et castitáte præfúlsit, allelúja.

Capitulum. Ephes. 3.

Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, In Géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sǽculis in Deo.

Hymnus.

Sidus extrémæ Veneténsis oræ,
Et Valentínæ decus urbis almæ,
Ordinis sacri fuit atque sæcli
Glória nostri.

Signa, quæ multis patuére terris,
Hunc probant amplis méritis refértum,
Ac viris celsis fore comparándum
Témporis acti.

Inde post claræ monuménta vitæ
Ad poli regnum superásque sedes
Lætus ascéndit, cápiens perénnes
Victor honóres.

Angelis septus, decorátus astris
Doctor et virgo, géminis corónis
Inter illústres ánimas refúlget
Múnere Christi.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum. Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Bened. Ant. Qui fécerit, et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum, allelúja.

Oratio.

Deus, qui infidélium multitúdinem mira beáti Vincéntii Confessóris tui prædicatióne ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: præsta, quǽsumus; ut quem ventúrum júdicem nuntiávit in terris, remuneratórem habére mereámur in cœlis Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit.

Ad Tertiam.

Cap. Mihi ómnium. de Laud.
℟. br. Amávit.
℣. Os justi.

Ad Sextam.

Capitulum. 2. Tim. 4.

Dóminus mihi ástitit, et confortávit me, ut per me prædicátio impleátur.

℟. br. Os justi.

℣. Lex Dei.

Ad Nonam.

Capitulum. Apoc. 10.

Opórtet te prophetáre Géntibus, et pópulis, et linguis, et régibus multis.

℟. br. Lex Dei.

℣. Justum.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I., præter sequ.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Hic est qui prævâluit amplificáre civitátem, quique adéptus est glóriam in conversatióne gentis, gloriósus in cœlis, et patrónus noster Vincéntius, allelúja.

Dominica V. post Pascha.

In diœcesi Tarraconensi.

Translatio

S. Theclæ Virg. et feminarum Protomartyris.

Duplex majus.

Omnia de Comm. Virg. et Mart., præter sequentia.

In I. Vesperis.

Ant. et Cap. de Laud. 47*

Psalmi ut in Comm. Virg.

Hymn. et ℣. de Comm.

In utrisque Vesp. ad Magnif.

Ant. In perpétuum coronáta triúmphat Christi Martyr beatíssima Thecla, incoinquinatórum certáminum prǽmium vincens, allelúja.

Oratio ut ad Laudes. 48*

Et fit comm. Dom. occurr.

Ad Matutinum.

Invitat. Regem Vírginum Dñm,* Veníte adorémus, allelúja.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymn. de Comm. Virg.

In I. Nocturno.

Ant. Eleváta est magnificéntia tua Dómine, dum leónum rábiem sub pédibus Theclæ subjecísti, allelúja.

Ps. trium Noct. de Comm. Virginum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúja. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna, allelúja.

Lectiones Confitébor tibi. de Comm. Virg. 2. loco.

℟. 1. Cum primum vocem Pauli prædicántis audívit beáta Thecla, in Christum

crédidit: * Et amóre virginitátis inflammáta, nullum álium sponsum habére vóluit, allelúja. ℣. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam. Et.

℟. ii. Ingréssus sum pactum tecum, ait Dóminus Deus, et facta es mihi: ámodo voca me: * Pater meus, dux virginitátis meæ tu es, allelúja. ℣. Ecce ego lactábo eam, et loquar ad cor ejus; et erit in die illa: vocábit me, Vir meus. Pater meus.

℟. iii. Quid mihi est in cœlo, et a te quid vólui super terram? * Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum, allelúja. ℣. Cor meum, et caro mea exsultavérunt in Deum vivum. Deus cordis mei. Glória Patri. Deus cordis mei.

In II. Nocturno.

Ant. Invéni quem díligit ánima mea, speciósum forma præ fíliis hóminum, allelúja.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo, allelúja. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur, allelúja.

Lectio iv.

Thecla virgo, ex illústribus paréntibus Icónii in Lycaónia nata, a Paulo Apóstolo fídei præcéptis institúta fuit. Cum enim idem Apóstolus Icónium ad Christi Evangélium prædicándum accessísset, eúmque mystéria fídei et castitátis laudes exponéntem Thecla audivísset, sic ad fidem et virginitátis propósitum ánimum inténdit, ut Thamýridem júvenem nobilitáte ac forma præstantíssimum, cui illam paréntes despónderant, invícto ánimo desérere, ac cœléstis sponsi Jesu Christi núptias ampléctí omníno decréverit. Vitam ítaque, quam ex Apóstoli præscrípto ad evangélicæ perfectiónis normam institúerat, aggréssa, quamplúrimas exínde adolescéntulas exémplo suo ad fidem et castitátem coléndam addúxit. Ex quibus sanctæ potíssimum mulíeres Tryphǽna et Tryphósa in christiána disciplína sub ea póstmodum miríﬁce profecérunt.

℟. Virgo Christi, noli ti-

mére: si transíeris per ignem, flamma non nocébit tibi: * Et odor ignis non erit in te, allelúja. ℣. Liberásti me a pressúra flammæ quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta. Et odor ignis.

Lectio v.

Quod cum iníquo ánimo ferrent sponsus et paréntes Theclæ, illam apud júdicem, quod christiána esset, accusárunt. Cujus jussu in ardéntem rogum, qui nisi Christum renuntiáret, ei parátus erat, prius signo crucis armáta, se ipsam injécit. Sed igne plúvia quæ repénte exórta est, exstíncto, Antiochíam venit: ubi feris objécta, et tauris in divérsa incitátis alligáta, mox conjécta in fossam plenam serpéntibus, ex ómnibus Jesu Christi grátia, liberátur. Cujus ardóre fídei, et vitæ sanctitáte multi ad Christum convérsi sunt.

℟. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: * Quia fortis est ut mors diléctio, allelúja. ℣. Deus præcínxit me virtúte, et pósuit immaculátam viam meam. Quia fortis.

Lectio vi.

Tantis Christi Dómini virtúte perículis erépta Thecla, in pátriam rédiens, in montem sola secéssit. Ac præcípua vitæ sanctitáte et miráculis insígnis, nonagenária migrávit ad Dóminum. Sacrum ejus corpus Seleucíæ sepúltum, celebérrima totíus Oriéntis veneratióne, et frequénti Christianórum concúrsu illuc adeúntium honorífice hábitum fuit, ac sanctus Gregórius Nazianzénus ad illud venerándum Seleucíam se contulísse testátur. Eam summis laúdibus tum ipse tum omnes fere sancti Patres suis scriptis extulérunt: ádeo ut si quando præcelléntem áliquam sanctitáte féminam celebráre vellent, non álio quam Protomártyris Theclæ nómine exornárent.

℟. Misit Dóminus Angelum suum, * Et conclúsit ora leónum, et non nocuérunt mihi, allelúja. ℣. Si exsúrgat advérsum me prǽlium, in hoc ego sperábo.

Et conclúsit ora. Glória Patri. Et conclúsit ora.

In III. Nocturno.

Ant. Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, in ómnibus pópulis mirabília ejus, allelúja.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam, allel. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam, allelúja.

Lectiones de Homilia in Evangel. Símile erit regnum. de Comm. Virg. 1. loco.

℟. vii. Dóminus qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum, allelúja. ℣. Misit Dóminus misericórdiam suam, ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Ipse me erípiet.

℟. viii. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum: * Pro cujus amóre feminárum prima torménta passa fuísti, et cum Angelis in paradísum introísti, allelúja. ℣. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam. Pro. Glória Patri. Pro.

Lect. ix. Hom. Dom. occurr.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. O quam pulchra * est casta generátio cum claritáte, allelúja!

Ps. Dóminus regnávit.

2. Fíliæ Jerúsalem, * nuntiáte dilécto quia amóre lángueo, allelúja.

3. Quasi sponsam ornátam * monílibus suis, índuit me Dóminus vestiméntis salútis, allelúja.

4. Gaudeámus, et exsultémus, et demus glóriam Deo: quia venérunt núptiæ Agni, allelúja.

5. Júvenes, et vírgines * laudent nomen Dómini: quia exaltátum est nomen Mártyris Theclæ, allelúja.

Capitulum. Eccli. 51.

Confitébor tibi Dómine Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Hymn. et ℣. de Communi.

Ad Bened. Ant. Sicut lílium inter spinas, sic The-

116

cla amíca mea inter fílias, allelúja.

Oratio.

Deus, pro cujus nóminis glória magnum certámen passiónum beáta Thecla Virgo et Martyr tua feminárum prima invícta fide sustínuit: da nobis ejúsdem fídei imitatióne próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

Et fit comm. Dom. occurr.

Ad Tertiam.

Capit. Confitébor tibi.

℟. br. Spécie tua et pulchritúdine tua, * Allelúja, allelúja. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Spécie.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo, allelúja. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur, allelúja.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 51.

Liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntiam ánimam meam, et de multis tribulatiónibus quæ circumdedérunt me.

℟. br. Adjuvábit eam Deus vultu suo, * Allelúja, allelúja. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Allelúja, allel. Glória. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam, allel. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam, allelúja.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 51.

Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiæ, Dómine Deus noster.

℟. br. Elégit eam Deus, et præelégit eam, * Allelúja, allelúja. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Allelúja, allel. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesp., præter

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Die 1. Aprilis.

In diœcesi Vicensi.

Inventio

Ss. Luciani et Marciani

Martyrum.

Duplex majus.

Omnia de Comuni plurim. Mart. juxta qualitatem temporis, præter sequentia.

Oratio.

Auge in nobis Dómine resurrectiónis fidem, qui in sanctórum tuórum Luciáni et Marciáni relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Et fit com̃. Fer. in Quadrag.

In I. Noct. Lect. Fratres: Debitóres. de Comm. plurim. Mart. extra tempus Pasch.

In II. Nocturno.

Ex Tractátu S. Joánnis Damascéni de fide orthodóxa.

Lectio iv. Lib. 4. c. 16.

Christus Dóminus sanctórum relíquias velut salutíferos fontes præbuit, ex quibus plúrima nobis benefícia manant, suavissimúmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam huic sermóni fidem détrahat; nam si aqua in desérto ex áspera et sólida rupe, atque ex ásini maxílla ad sedándam Samsónis sitim, Deo ita volénte, prosíliit, erítne cur cuíquam incredíbile videátur, ex mártyrum relíquiis suáve unguéntum scaturíre? Mínime certe; iis quidem, quibus Dei poténtia honórque quo sanctos suos áfficit, perspéctus et explorátus est. Atque illud quidem véteri lege comparátum erat, ut quisquis mórtuum contigísset, immúndus censerétur; verum hi in mortuórum número mínime habéndi sunt. Ex quo enim ípsamet vita, ac vitæ Auctor inter mórtuos adscríptus est, eos, qui in spe resurrectiónis fidéique erga eum, diem extrémum clausérunt, mórtuos haudquáquam appellámus.

℟. Sancti tui Dómine. vel Lux perpétua.

Lectio v.

Qui enim mórtuum corpus mirácula édere queat? Per ea dæmones expellúntur, morbi profligántur, ægróti sanántur, cæci prospíciunt, leprósi

mundántur, tentatiónes ac mœróres discutiúntur, ac dénique omne donum óptimum a Patre lúminum, eórum ópera ad eos qui fide mínime dúbia póstulant, descéndit. Quid non labóris suscípias, ut patrónum quemdam nanciscáris, qui te mortáli regi ófferat, ac tuo nómine ad eum verba fáciat? An non ígitur hi honorándi sunt, qui totíus humáni géneris patrónos se profiténtur, ac Deo nostra causa súpplicant? Honorándi certe, et quidem ita ut in eórum nómine templa Deo exstruámus, dona offerámus, eórum memóriam colámus, atque in ea spirituáliter oblectémur; quo nimírum lætítia nostra iis, a quibus invitámur, cóngruat; ne, dum eos cólere et demeréri studémus, offendámus pótius, et irritémus.

℟. Vérbera vel In servis.

Lectio vi.

Quibus enim rebus Deus cólitur, iísdem quoque servi ipsíus oblectántur: quibus autem Deus offénditur, iísdem étiam ipsíus mílites offendúntur. Quocírca in psalmis, et hymnis, et cánticis spirituálibus et compunctióne, et eórum qui in egestáte versántur, comiseratióne, quibus obséquiis Deus potíssimum conciliátur, sanctos colámus; státuas ipsis et visíbiles imágines erigámus; imo ipsi virtútibus eórum imitándis hoc consequámur, ut vivæ eórum státuæ atque imágines simus. Hoc ígitur pietátis et religiónis sensu sacros patronórum nostrórum Luciáni et Marciáni cíneres et ossa venerári nos opórtet. Quæ quidem a Christiánis collécta et pie recóndita, ac póstea divínitus, ut fertur, invénta, et multis post annis in pretiosiórem thecam transláta, magna populórum, eórum opem implorántium, frequéntia colúntur.

℟. Tamquam aurum. vel Fíliæ Jerúsalem.

In III. Noct. etiam temp. Pasch. Homilia in Evangel. Descéndens. de Comm. 2. loco extra temp. Pasch., cum ℟℟. juxta qualitatem temp.

In Quadr. Lect. ix. Homil. et comm. Feriæ.

Die 5. vel 6. Aprilis.

In tota eccles. provinc. extra diœc. Cœlson., Dertusen. et Tarracon.

B. Julianæ Cornelionensis Virginis.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis, die 5. April.

Die 16. Aprilis.

In tota ecclesiastica provincia Tarracon.

Ss. Mart. Engratiæ Virg. et Socior.

Duplex.

Omnia de Com̃. plur. Mart. juxta qualitat. temp., præter sequ.

Oratio.

Réspice, quǽsumus Dómine, famíliam tuam, et præsta: ut beátæ Engrátiæ Sociorúmque ejus intercessióne muníta, ab omni sit culpa defénsa. Per Dóminum nostrum.

Et fit comm. Fer. in Quadr.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Lect. Fratres: Debitóres.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Hispánia ferax olim régio fuit non modo eárum rerum, quas mirántur histórici, sed máxime insígnium Christi mártyrum. Nulla tamen in Hispánia hujus beátæ messis ferácior cívitas, quam Cæsaraugústa, quæ vere mártyrum génitrix dici potest. Hæc præter innúmeros illos nómine honoribúsque incógnitos mártyres, quorum triúmphis gloriósa decorátur; præter Valérium et Braúlium, prǽsulum glóriam et exémplar; præter Vincéntium diáconum plene Christi minístrum, Engrátiam, quæ olim Encrátis dicta fuit, cum áliis decem et octo martýribus Christo édidit.

℟. Sancti tui. vel Lux perpétua.

Lectio v.

Quorum nómina Prudéntius, vir consuláris, ejúsdem civitátis non exígua glóriæ pórtio, recénset. Ea sunt Optátus, Lupércius, Succéssus, Martiális, Urbánus, Juliánus, Quintiliánus, Públius, Fronto, Felix, Cæciliánus, Evéntius, Primitívus, Apodémius, et álii quátuor, quos vir ille non nóminat; e quorum tamen número satis constat esse

Lupércium: réliqui suo Christo étiam nómine, nobis glória tantum cógniti sunt. Qui copióso suórum córporum sánguine fuso, Cæsaraugústam consecrárunt.

℟. Vérbera. vel In servis suis.

Lectio vi.

Inter omnes tamen copiosíssime Engrátia beatíssima, quæ, ut idem Prudéntius ait, morti suæ supérstes fuit. Cum enim multa passa esset pro Christo supplícia, cum látera ejus a sævo tortóre laceráta, membra ómnia discérpta, abscíssa e péctore papílla; cumque sic diu in torméntis deténta fuísset, et multæ illíus adorándi córporis partes emórtuæ, tandem jécoris sancti, quæ amóris divíni sedes præcípua erat, parte a laniatóre revúlsa et emórtua, adhuc Engrátia supervivébat. Tandem gloriósa migrávit ad Dóminum, quo jam sócii præcésserant, circa annum Dómini trecentésimum sextum.

℟. Tamquam aurum. vel Fíliæ Jerúsalem.

In III. Nocturno Homilia in Evangel. Ego sum vitis, vos. de Comm. Mart. temp. Pasch. 2. loco.

Extra temp. Pasch. Homil. in Evang. Cum audiéritis. de Com̃. plurim. Mart. 1. loco.

Lect. ix. Homil. et comm. Fer. in Quadrag.

Die 18. Aprilis.

In tota ecclesiastica provincia Tarracon.

S. Turibii de Liebana Episc. et Conf.

Duplex.

Officium ut in Propr. Ss. Hispan., die 16. April. (m. t. v.)

Die 23. Aprilis.

In tota ecclesiastica provincia Tarracon. (cum Oct. extra diœc. Dertus.)

S. Georgii Martyris.

Duplex 1. cl. cum Oct.

☞ Si hoc Festum venerit in Feria VI. in Parasc. vel in Sabbat. Sanct., cum Officio, Missa et Octava transfertur ad Feriam II. post Dom. in Albis. — S. R. C. 16. Mart. 1791 et 18. Jul. 1885. — Si autem celebretur post tempus Pasch., omnia erunt de Com̃. unius Mart. extra temp. Pasch. 1. loco, præter ea quæ infra propria habentur pro temp. Pasch. (dummodo ritu non Pasch.), ac præter Lectiones I. Noct., quæ erunt Fratres:

Debitóres., sumptis de Comm. Ant. 2. et 3. trium Nocturn.

Omnia de Comm. unius Mart. temp. Pasch., præter sequ.

In I. Vesperis.

Antiph. de Laud. 56*; Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Cap. et Hymn. de Comm.

℣. Ora pro nobis beáte Geórgi, allelúja. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Beátus Geórgius de milítia translátus in milítiam, terréni tribunátus, quo fungebátur, offícium, christiánæ milítiæ professióne mutávit, allelúja.

Oratio ut ad Laud. 56*

Ad Matutinum.

Invitat. Gloriósus Christi athléta Geórgius victor exsúltat in cœlis: * Veníte adorémus Dóminum, allel.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymn. Deus tuórum.

In I. Nocturno.

Ant. Loríca fídei præcínctus, in ipsam densi certáminis áciem férvidus se Christi bellátor immérsit, allelúja, allelúja.

℣. Sancti et justi in Dómino gaudéte, allelúja. ℟. Vos elégit Deus in hæreditátem sibi, allelúja.

In I. Noct. Lect. Fratres: Debitóres. de Comm. plurim. Mart. extra temp. Pasch.

℟. i. Geórgius pro Christo certávit usque ad mortem, tyránni minas non timens, veritátem dictis ac factis prædicávit: * Nitebátur enim firma petra Christo, allelúja. ℣. Propósitam tormentórum multitúdinem irrídens, pulchérrima monuménta relíquit. Nitebátur.

℟. ii. Animo fidénti ad pugnam egréssus, non corpórea áliqua, sed sancti Spíritus armatúra se índuit, * Justítia scílicet et fide, allelúja. ℣. Quóniam non advérsus carnem et sánguinem, sed advérsus principátus et potestátes bellum suscéperat. Justítia.

℟. iii. Beátus Martyr Geórgius sancti Spíritus igne succénsus et vexíllo crucis inexpugnabíliter præmunítus, * Sic cum iníquo rege congréssus est, allelúja. ℣. Ut spumántia ex antíqui serpéntis ore venéna contémneret. Sic. Glória. Sic.

In II. Nocturno.

Ant. Divitiárum pondus ante depósuit, atque ita

póstmodum ad certáminis campum impertérritus prosilívit, allelúja.

℣. Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine, allelúja. ℟. Et ætérnitas témporum, allelúja.

Lectio iv.

Geórgius, nobílibus paréntibus in Cappadócia natus, sancte ab illis et religióse educátus est. Iis vita functis, adhuc adoléscens tribúnus mílitum factus, et áliis insignítus honóribus, sub Diocletiáno cǽsare militávit. Verum cum edíctis imperiálibus persecutiónem in Christiános cérneret ácrius desævíre, id indígne ferens, opportúnum quoque fore illud tempus exístimans ad salútem et ad martýrii glóriam, facultátibus suis in paúperes erogátis, servísque libertáte donátis, zelo fídei ac religiónis accénsus, imperatórem adit, Christúmque verum Deum líbere conféssus, ipsum de tam ímpia in Christiános crudelitáte constánter accúsat.

℟. Insígnis Christi miles supra firmam petram fídei suæ fundaménta constítuens, prǽmii cœléstis intúitu divérsa suppliciórum génera invícta patiéntiæ majestáte calcávit, * Et blandiéntium promissiónes irrísit, allelúja. ℣. Carníficum torménta contémpsit, et ad agéndum fórtiter Christi mílitum ánimos incitávit. Et.

Lectio v.

Admirátus veheménter imperátor, quod Geórgius præter ómnium opiniónem Christiánus esset, primo blandis illum verbis ac magnis pollicitatiónibus, deínde minis pœnarúmque terróribus a fídei senténtia conátur avértere. Sed cum nihil profíceret, nec ullo modo viri constántiam posset de pio et sancto propósito dimovére, jubet ipsum primo in cárcerem trudi, ibíque diu affligi: tum verbéribus cæsum, rota mucrónibus præfíxa ad ejus corpus admóta laniári: deínde torréri sartágine, variéque torquéri. Quam ille tormentórum vim, ubi álacri ac forti ánimo tulísset, índeque incólumis mirabíliter evasísset, plúrimos suo ex-

émplo ad fídei constántiam excitávit.

℟. Non blandis illum verbis imperátor, nec pollicitatiónibus aut minis a sancto propósito avértere umquam pótuit: * Et ídeo triúmphat in cœlis coronátus, allelúja, allelúja. ℣. Omnia sua paupéribus tríbuens, sárcinam terrénæ facultátis abjécit. Et.

Lectio vi.

Impius autem persecútor, cum exímiam hujúsmodi Mártyris fortitúdinem non divínæ virtúti, ut par erat, sed mágicis ártibus adscríberet, ipsum várie tortum, atque in senténtia nihilóminus persisténtem, secúri pércuti jubet. Geórgius ígitur fórtiter data cervíce, martýrii coróna dignátus est. Córporis ejus relíquiæ divérsas in regiónes delátæ, máximo ab íncolis habéntur honóre. Caput Romæ in diaconía sancti Geórgii ad Velábrum honorífice asservátur, et ipsíus Mártyris nomen non solum in Oriénte, ubi passus est, sed et in occíduis oris, ubíque claríssimum est. Quam et implorántibus ejus auxílium propítius adésse consuéverit, reges præsértim et príncipes sæpius in militári conflíctu expérti sunt. Frequéntes étiam ejúsdem Mártyris memóriæ ubíque testántur.

℟. Tamquam bonus agrícola agrum suum spirituális exercítii disciplínis excóluit, * Et piæ correptiónis vómere terréna multórum corda proscídit, allelúja, allelúja. ℣. Vitiórum vépribus érutis, fœcúnda in eis virtútum arbústa plantávit. Et. Glória Patri. Et.

In III. Nocturno.

Ant. Zelo religiónis accénsus, Christum verum Deum esse palam confitebátur, et de ímpia in Christiános crudelitáte imperatórem constánter accusábat, allelúja.

℣. Lætítia sempitérna super cápita eórum, allelúja. ℟. Gaúdium et exsultatiónem obtinébunt, allelúja.

Lect. de Homil. in Evang. Ego sum vitis vera. de Com̃. Mart. temp. Pasch. 1. loco.

℟. vii. Dum invíctus Christi Martyr sævíssime crudelitérque torquerétur,

canébat, dicens: Quis me separábit a Christo? Et in plagis, quæ sibi ab hóstibus infligebántur, fórtiter perferéndis, * Córpore et spíritu se válidum præbébat, allelúja, allel. ℣. Illi enim corpus flagéllis verberábant; hic vero patiénti ánimo ómnia superábat. Córpore.

℟. viii. In rota dénique pósitum, circumligátum Mártyris corpus dire multiplicitérque perforátur, et carníficis inaudíta féritas * Nova et exquisíta invénit pœnárum supplícia, allelúja, allelúja. ℣. Ad accendéndam magis tyránnicæ crudelitátis impietátem, et ad satiándam furóris sui rábiem. Nova. Glória. Nova.

Ad Laudes.

et per Horas.

Ant. 1. Geórgius * nóbilis génere, sed fide et sanctitáte nobílior, Christi fidem constánter conféssus est, allelúja.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Geórgius, * ut se expedítius ad martýrium præparáret, facultátes suas paupéribus erogávit, allelúja.

3. Fidélis servus * et prudens servos pro Christi amóre libertáte donávit, allelúja.

4. Nullis tentatiónibus a caritáte Dei fortis Christi miles et Martyr pótuit separári, allelúja, allelúja.

5. Fórtiter inclináto cápite, * pro Christi nómine martýrio méruit coronári, allelúja.

Cap. et Hymn. de Comm.

℣. Ora pro nobis beáte Geórgi, allelúja. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúja.

Ad Bened. Ant. Dum ínclytus Martyr Geórgius gravíssime variéque torquerétur, et constantíssime pro Christi nómine torménta perférret, plúrimi ejus exémplo ad constántiam profecérunt, allelúja.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Geórgii Mártyris tui méritis et intercessióne lætíficas: concéde propítius; ut qui tua per eum benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dñm.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesperis, et loco ultimi, Psalm. Crédidi.

℣. Ora pro nobis beáte

Geórgi, allelúja. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Fundátus supra firmam petram Geórgius nóbilis miles, a verbis ímpii tyránni non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit: sed constánter pro Christi fide certans usque ad mortem, hódie martýrii glória et honóre coronátus est, allelúja.

Dom. proxime insequente diem 25. Aprilis.

In tota ecclesiastica provincia Tarracon.

B. Mariæ Virg. de monte Serrato

Patronæ Principatus.

Duplex 1. class. cum Oct.

ℨ Si hoc Festum venerit in Dominica privilegiata, cum Officio, Missa et Octava transfertur ad Domin. sequ. similiter non impeditam.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. 63* Psalm. et Hymn. ut in Festis B. M. V.

℣. Fundaménta ejus in móntibus sanctis, allelúja. ℟. Díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in núbibus cœli. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléмini, allelúja.

Oratio ut ad Laud. 64*

Et fit comm. Dom. occurr.

Ad Matutinum.

Invitat. Sanctam Dei Genitrícem venerántes, * Adorémus Dóminum in monte sancto ejus, allelúja.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Terræ políque gaúdium
Mater beáta Núminis,
Nostris adésto cánticis,
Votísque clemens ánnue.

Per te salútis aúspicem,
Abrúpta montis cúlmina
Lucis supérnæ múnere
Imágo ditat ínclyta.

Templi sacráto e límine
Labéntis orbe témporis,
Gentes ducésque géntium
Donis repléntur júgiter.

Pergas et æqua súpplices
Audíre mente fílios:
Velis vocári in ásperis
Tutéla rebus única.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,

Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Montes stillábunt dulcédinem, et colles fluent lacte et melle, allelúja.

Ps. trium Nocturnorum ut in Festis B. M. V.

℣. Radicávi in pópulo honorificáto, allelúja. ℟. Et in eléctis meis misi radíces, allelúja.

De Isaía Prophéta.

Lectio i. Cap. 2.

Verbum, quod vidit Isaías, fílius Amos, super Juda et Jerúsalem. Et erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium, et elevábitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt pópuli multi, et dicent: Veníte et ascendámus ad montem Dómini, et ad domum Dei Jacob, et docébit nos vias suas, et ambulábimus in sémitis ejus: quia de Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Jerúsalem.

℟. Properábunt gentes multæ, et dicent: Veníte et ascendámus ad montem Dómini, et ad domum Dei: * Docébit nos vias suas, et ambulábimus in sémitis illíus, allelúja. ℣. Vocábitur cívitas Dei, et mons Vírginis matris ejus. Docébit.

Lectio ii. Cap. 35.

Lætábitur desérta et ínvia, et exsultábit solitúdo, et florébit quasi lílium. Gérminans germinábit, et exsultábit lætabúnda et laudans: glória Líbani data est ei: decor Carméli, et Saron, ipsi vidébunt glóriam Dómini, et decórem Dei nostri. Confortáte manus dissolútas, et génua debília roboráte. Dícite pusillánimis: Confortámini, et nolíte timére: ecce Deus vester ultiónem addúcet retributiónis.

℟. Exaltásti sicut áquila nidum tuum, et habitátio tua in núbibus cœli: * Quo progréderis fília Sion, pulchra ut luna, elécta ut sol? allelúja. ℣. Revértere, revértere Sunamítis, ut intueámur te. Quo.

Lectio iii.

Tunc aperiéntur óculi cæcórum, et aures surdórum patébunt. Tunc sá-

liet sicut cervus claudus, et apérta erit lingua mutórum: quia scissæ sunt in desérto aquæ, et torréntes in solitúdine. Et quæ erat árida, erit in stagnum, et sítiens in fontes aquárum. In cubílibus, in quibus prius dracónes habitábant, oriétur viror cálami et junci. Et erit ibi sémita et via, et via sancta vocábitur: non transíbit per eam pollútus, et hæc erit vobis dirécta via, ita ut stulti non errent per eam. Non erit ibi leo, et mala béstia non ascéndet per eam, nec inveniétur ibi: et ambulábunt qui liberáti fúerint.

℟. Levávi óculos meos ad montes, unde véniet auxílium mihi: * Auxílium meum a Dómino, qui fecit cœlum et terram, allelúja. ℣. Ecce non dormitábit, neque dórmiet, qui custódit Israël. Auxílium. Glória Patri. Auxílium.

In II. Nocturno.

Ant. Abscóndit me in tabernáculo suo: in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui, allelúja.

℣. Vox túrturis audíta est in terra nostra, allelúja. ℟. Terra nostra dedit fructum suum, allelúja.

Lectio iv.

Dum cópiæ Saracenórum cultióres Hispaniárum regiónes depopularéntur, et Barcinónem obsidióne captam, diro jugo prémerent, insígne beatíssimæ Vírginis Maríæ simulácrum, ut posteritátis memóriæ tradidérunt, a Petro illíus civitátis epíscopo impiórum licéntiæ subtráctum, in prærúptis montis Serráti látebris repósitum fuit. Eminénti hoc in colle per duo ferme sǽcula delítuit pretiósus ille urbis thesaúrus. Nono autem ad éxitum verténte sǽculo, quidam pastóres ad clivi radíces greges suos custodiéntes, alicújus sábbati véspere tamquam e cœlo cadéntes stellas ad orientále latus conspexérunt, suavésque audivére concéntus in regióne eádem resonántes. Idípsum cum íterum iterúmque evenísset eádem recurrénte sábbati hora, et epíscopo Ausonénsi ob incursiónes

barbarórum tunc Minoríssæ degénti, nuntiátum esset, hic, viso prodígio, ad impérvia juga exploránda accéssit: ibíque in ábdita specu non secus ac in naturáli ædícula, speciósam Deíparæ lígneam icónem réperit ac venerátur; et mox una cum clero atque præ gaúdio gestiénte pópulo, Minoríssam defert, illam in cathedráli templo públicæ veneratióni expositúrus.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquárum: cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus: * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium, allelúja. ℣. Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto delíciis áffluens, inníxa super diléctum suum? Et sicut.

Lectio v.

Quum fatigáti itínere, pius præsul ac devóta turba paúlulum constitíssent, ad constitútum términum subínde íterum contendéntibus, veneránda effígies tanto póndere gravis súbito effécta est, ut nulla hóminum vi e loco amovéri potúerit. Ex novo ítaque signo compértum est, ipsam Dei matrem augustíssimam hac ratióne demonstrásse itíneris metam, eúmque se elegísse locum, in quo véluti in eleváto glóriæ ac misericórdiæ suæ throno fidélium populórum obséquia, preces et vota excíperet. Quare primum prǽsulis Gothomári súmptibus devótum sacéllum ibi exstrúctum fuit: quod póstea tum cómitum Barcinonénsium ópibus et aliórum fidélium largitiónibus, tum summórum Pontíficum et Hispaniárum regum munificéntia, áddito sacri Benedictíni órdinis amplo monastério, ádeo templi splendóre ac sanctitáte crevit, ut brevi témporis intervállo, montis Serráti nomen et relígio ad díssitas usque mundi plagas manáverit. Non incássum proptérea quovis ævo hábitus uti mons Dei, mons pinguis, mons perénnibus immaculátæ semper Vírginis Maríæ Genitrícis Dei laú-

dibus et præcóniis sanctificátus.

℟. Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, venit in solitúdinem, ubi habébat locum parátum a Deo: spécies glóriæ illíus quasi ignis ardens * Super vérticem montis, allelúja. ℣. Júvenes et vírgines, senes cum junióribus laudent nomen excélsæ Genitrícis Dei. Super vérticem.

Lectio vi.

Ac mérito sacra ædes, quæ Catalaúniæ principátus margaríta nuncupáta est, atque in tota Hispánia et christiáno orbe univérso peregrinórum frequéntia, et cœléstium benedictiónum cópia mirífice incláruit, inter principalióra gloriósæ Deíparæ sanctuária accensétur. Ubi plane viri sanctitáte præclári Joánnes de Matha, Petrus Noláscus, Vincéntius Ferrérius, Ignátius de Loyóla, Aloísius Gonzága aliíque complúres matri peramantíssimæ sua vota offérre, ac spirituális milítiæ tirocínia pónere solémne habuérunt. Ibi Hispaniárum et exterárum quoque géntium príncipes potentíssimum ejúsdem patrocínium ad profligándos hostes imploráre, et pro partis victóriis múnera ac trophǽa exhibére. Non semel vero in recentióribus públicæ rei perturbatiónibus evérsum sanctuárium, sacra icóne ínterim a fidélibus in tuto pósita, prístino tandem cultus decóri restitútum est. Hisce ergo a Catalaúniæ episcopátu et clero, nec non a municipiórum rectóribus, sive ex monuméntis, sive ex vulgáta fama ad Sedem apostólicam dedúctis, Leo décimus tértius Póntifex Máximus, eórum précibus benígne ánnuens, e sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, sanctam Maríam de monte Serráto eídem Catalaúniæ provínciæ patrónam principálem dedit, et in ejus honórem Offícium próprium cum Missa quotánnis celebrándum indúlsit.

℣. Beátam te dicent omnes generatiónes: quia fecit tibi magna qui potens est, et sanctum nomen

ejus: * Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum, allelúja. ℟. Ave María, grátia plena: Dóminus tecum. Intercéde. Glória Patri. Intercéde.

In III. Nocturno.

Ant. Afférte pátriæ géntium, afférte glóriam et honórem, afférte glóriam præcélsæ Dei Genitríci Maríæ, allelúja.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam, allelúja. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam, allelúja.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 1.

In illo témpore: Exsúrgens María, ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda: et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

De verb. Apoc. cap. 12. circ. fin.

Mirabátur Elísabeth persónam veniéntis, dicens: Unde hoc mihi ut véniat mater Dómini mei ad me? Commendábat et vocem salutántis, adjíciens: Ut facta est vox salutatiónis tuæ in aúribus meis, exsultávit in gaúdio infans in útero meo. Et beatificábat fidem credéntis: Beáta, ínquiens, quæ credidísti. Magna quidem præcónia; sed et devóta humílitas nihil sibi passa retinére, in eum magis univérsa refúdit, cujus in se benefícia laudabántur.

℟. Beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María: * Magníficat ánima mea Dóminum, allelúja. ℣. Veníte, et audíte, et narrábo quanta fecit Deus ánimæ meæ. Magníficat.

Lectio viii.

Tu, inquit, magníficas matrem Dómini: sed, Magníficat ánima mea Dóminum. In voce mea fílium pérhibes exsultásse in gaúdio: sed, Exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo: et ipse quoque tamquam amícus sponsi gaudet ad vocem sponsi. Beátam me esse dicis, quæ crédidi: sed credulitátis

et beatitúdinis causa respéctus est supérnæ pietátis, ut ex hoc magis beátam me dicant omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem et exíguam respéxit Deus. Verúmtamen numquid putámus, fratres, Elísabeth sanctam in eo quod per Spíritum útique loquebátur, errásse? Absit. Beáta plane, quam respéxit Deus; et beáta, quæ crédidit. Hic enim magnus divínæ respectiónis éxstitit fructus.

℟. Præpósuit eam Dóminus super regnum suum, et dedit ei diadéma, ut regnáret: * Veníte gentes, et adoráte Dóminum, allelúja. ℣. Stola jucunditátis índuit eam, et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. Veníte. Glória Patri. Veníte.

Lectio ix. Homil. Dom.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Quæ est ista, * quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, innízа super diléctum suum? Suávis est, et decóra sicut Jerúsalem, allelúja.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Una est perfécta * mea, pulchra ut luna, elécta ut sol, allelúja.

3. Colúmba mea * in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, allelúja.

4. Donec aspíret dies, et inclinéntur umbræ, vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris, allelúja.

5. Montes in circúitu * ejus, ex hoc nunc et usque in sǽculum, allelúja.

Capitulum. Eccli. 24.

Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion: quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho.

Hymnus.

O quæ perénne extólleris
Lumen decúsque géntium,
Salve; tuáque fílios
Virtúte mater sóspita.

Lætis polórum laúdibus
Dum nostra tellus ássonat,
Rosásque miscens líliis,
Aram vetústam cóntegit.

Celsis benígna e móntibus
Tu stella cunctis émicans,

Erróris atras cándido
Umbras nitóre díscute.

Diris avérni e fraúdibus
Fidos tuére sérvulos,
Mundóque felix naúfrago
Tutam reclúde sémitam.

Tuísque sacris ædibus,
O Virgo, cœtus réspice:
Per te patrónam gaúdeant
Vitam beátam cónsequi.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. De præparáto habitáculo suo, allelúja. ℟. Respéxit super omnes, qui hábitant terram, allelúja.

Ad Bened. Ant. Benedícta es tu, María, a Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram: quia per te fructum vitæ communicávimus, allelúja.

Oratio.

Bonórum ómnium largítor Deus, qui eléctum montem gloriósæ Unigéniti tui matris insígni cultu claríficas: concéde; ut ejúsdem immaculátæ semper Vírginis Maríæ præsídio poténter adjúti, ad montem, qui Christus est, secúri perveniámus: Qui tecum vivit.

Et fit commem. Domin.

Ad Primam.

In ℟. br. dicitur ℣. Qui natus es de María Vírgine, etiam per totam Octavam.

Ad Tertiam.

Capitulum. Quasi cedrus, ut supra. 63*

℟. br. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem, * Allelúja, allelúja. Nigra. ℣. Sicut tabernácula Cedar, sicut pelles Salomónis. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Nigra.

℣. Nolíte consideráre quod fusca sim, allelúja. ℟. Quia decolorávit me sol, allelúja.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 24.

Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. br. Nolíte consideráre quod fusca sim, * Allelúja, allelúja. Nolíte. ℣. Quia decolorávit me sol. Alle-

lúja, allelúja. Glória Patri. Nolíte.

℣. Colúmba mea in foramínibus petræ, allelúja. ℟. Osténde mihi fáciem tuam, allelúja.

Ad Nonam.

Capitulum. Prov. 8.

Beátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et haúriet salútem a Dómino.

℟. br. Colúmba mea in foramínibus petræ, * Allelúja, allelúja. Colúmba. ℣. Osténde mihi fáciem tuam. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Colúmba.

℣. Montes in circúitu ejus, allelúja. ℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum, allelúja.

In II. Vesperis.

Omnia ut in primis, præter sequentia.

Ad Magnif. Ant. Salve gloriósa Regína mundi. In te omnis grátia viæ et veritátis, in te omnis spes vitæ et virtútis: intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum, allelúja.

Et fit commem. Domin.

Die 27. Aprilis.

In tota ecclesiastica provincia Tarracon.

S. Petri Armengaudii

Martyris.

Duplex.

Omnia de Com̃. unius Mart., temp. Pasch., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Petrum Mártyrem tuum virtúte constántiæ in passióne roborásti: ex ejus nobis imitatióne concéde; ut tua caritáte fervéntes, nulla sæculi advérsa formidémus, et ipsíus précibus et méritis tuo semper muniámur auxílio. Per Dóminum.

Et fit commem. Octav.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Fer. II. Rogat. Fratres: Debitóres. de Comm. plurim. Mart. cum ℟℟. de Communi un. Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Petrus Armengaúdius Catalaúnus, in óppido Guárdiæ Pratórum nuncupáto, diœcésis Tarraconénsis, e família cómitum Urgellénsium nobílibus paréntibus natus, post juventútem pérdite in sæculo exáctam, órdinem

beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis captivórum non sine cœlésti admónitu ampléxus est. Cujus institúti observantíssimus, oratióne, jejúniis ceteríisque austeritátibus anteáctam vitam mirabíliter compensávit, ac virtútum fulgóre, præsértim caritáte in Deum et próximum, plane enítuit. Quamóbrem suscéptum captivórum redemptiónis munus expletúrus, non semel ad Saracenórum plagas perréxit, et quamplúribus Christi fidélibus e duríssimæ servitútis vínculo exsolútis, ubérrimum animárum fructum ex divíni verbi sémine et suórum morum sanctimónia relátum, in hórrea Dómini invéxit. ℟. Lux perpétua.

Lectio v.

Africam mox répetens, et multis inde in Hispániam remíssis captívis, dolens non potuísse deficiénte pecúnia quosdam púeros in fide nutántes liberáre, se in pignus pro eórum redemptióne cóntulit. Ipse ínterim compédibus deténtus, cum ad statútam diem pacta pro redemptióne merces non fuísset alláta, et Mahométicæ superstitiónis haberétur contémptor, collo ad lignum suspénditur. Ex Hispánia ejus sócius Guliélmus cum redemptiónis prétio in Africam intérea revértitur, et gráviter beáti viri amissiónem deflens, ad locum ubi suspénsus manébat, accéssit, quem vivéntem réperit, sibíque dicéntem audívit: Caríssime frater, ne fléveris: ecce enim sanctíssimæ Vírginis mánibus sustentátus vivo, quæ mihi his diébus hiláriter ádfuit. Inenarrábili ítaque gaúdio illum e suspéndio depósuit, et cunctis demirántibus, ac bárbaris non credéntibus, una cum áliis libertáte donátis læti in pátriam revérsi sunt.

℟. In servis suis.

Lectio vi.

Ex illo autem témpore beátus Petrus collum e supplício obtórtum et vultum pallóre márcidum, quoad vixit, retínuit. Et solitúdinis cúpidus, convéntum sanctæ Maríæ Pratórum sibi elégit, ubi assíduis oratiónibus, solo pane

et aqua conténtus, se afflictábat; plúribus ad eum sanctitátis fama percélebrem confluéntibus, quibus hiláriter succurrébat, eósque curábat. Frequénter alienátus a sénsibus, in äërem sublátus, suavíssima verba proférre audítus est, quibus, ut astántibus videbátur, beatíssimæ Vírgini interrogánti respondébat. Suíque martýrii memor hæc frátribus dícere erat sólitus: Ego, crédite mihi, nullos réputo me vixísse dies, præter felicíssimos illos paucos, quibus ligno suspénsus, mundo putábar jam mórtuus. Tandem gravi morbo corréptus, et sacra synáxi munítus, anno a Christo nato millésimo trecentésimo quarto, die vigésima séptima Aprílis a se prædícta, spíritum Deo réddidit in illis verbis: Placébo Dómino in regióne vivórum. Et miráculis clarus, máxima Christi fidélium veneratióne cólitur.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Ego sum vitis vera. de Com. Mart. temp. Pasch. 1. loc.

Die 30. Aprilis.

In tota eccles. provinc. Tarracon. extra diœces. Dertus.

Octava **S. Georgii** Mart.

Duplex.

Omnia ut in Festo 52*, præter sequentia.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Feria II. et IV. Rogat. Lect. ut in Festo.

In II. Nocturno.

Sermo S. Petri Damiáni.

Lectio iv. Serm. 13.

Hodiérna festívitas, dilectíssimi, paschális glóriæ lætítiam géminat, et véluti pretiósa gemma aurum, cui imprímitur, decóre próprii splendóris illústrat. Apte nimírum hoc potíssimum témpore beáto Geórgio concéssum est triumpháre, quando transácta hiemális incleméntia túrbinis, austri fómite resolúto, læta terra alácriter párturit, et erumpéntibus divérsis herbárum atque árborum flóribus, tamquam adolescénte, ut ita loquar, ætáte pubéscit. Geórgius síquidem græce, terræ cultor latíno sonat elóquio: qui nimírum juxta sui præságium

nóminis, non modo suæ mentis agrum spirituális exercítii disciplínis excóluit, sed et sanctæ exhortatiónis et piæ correptiónis vómere, multórum corda proscídit, vitiorúmque vépribus érutis, fœcúnda in eis virtútum arbústa plantávit.

℟. Insígnis Christi. 54*

Lectio v.

Mérito ígitur hódie beáti hujus Mártyris ánimam post cruéntam furiósi príncipis rábiem, post carníficum feráliter sæviéntium immanitátem, post dilaceráti córporis exquisíta supplícia, post ignis ac ferri, picis et súlphuris iníqua torménta, post vérberum dénique plagas, post cárcerum ténebras, tamquam post hibérnas furéntium ventórum niviúmque procéllas, orácnlum hoc divínæ méruit vocatiónis audíre: Veni, inquit, colúmba mea, formósa mea. Jam hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit. Plane de milítia translátus est in milítiam: quia terréni tribunátus, quo fungebátur, offícium, christiánæ milítiæ professióne mutávit. Et ut revéra strénuus miles, prius ómnia sua paupéribus tríbuens, sárcinam terrénæ facultátis abjécit; sicque liber et expedítus, ac fídei loríca præcínctus, in ipsam densi certáminis áciem férvidus se Christi bellátor immérsit, serváto scílicet órdine, ut rerum pondus ante depóneret, atque ita póstmodum ad campum certáminis impertérritus prosilíret.

℟. Non blandis. 55*

Lectio vi.

Inde est quod in lege præcípitur, ut homo formidolósus et corde pávido non egrediátur ad bellum; sed, Vadat, inquit, et revertátur ad terram suam, ne pavére fáciat corda fratrum suórum, sicut et ipse pertérritus est. Quibus nimírum verbis líquido prædocémur quia pro defensióne fídei dimicáre fórtiter et idónee néqueunt, qui adhuc nudári terrénis ópibus pertiméscunt; tolerabiliúsque est, ut domum redeúntes, ignobíliter quodámmodo

et imbélles vivant, quam ut secum et álios a triumphándi glória per degéneris exémpla timóris avértant. Beátus vero Geórgius sancti Spíritus igne succénsus, et vexíllo crucis inexpugnabíliter præmunítus, sic cum iníquo rege congréssus est, ut et iniquórum ómnium príncipem in satéllite vínceret, et ad agéndum fórtiter Christi mílitum ánimos incitáret.

℟. Tamquam bonus. 55*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 15.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera: et Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Ex Tract. 82. in Joann.

Magis magísque Salvátor grátiam qua salvámur, discípulis loquéndo comméndans: In hoc, inquit, glorificátus est Pater meus, ut fructum plúrimum afferátis, et efficiámini mei discípuli. Sive glorificátus, sive clarificátus dicátur, ex uno græco verbo utrúmque translátum est. Doxa enim, quæ græce dícitur, latíne glória est. Quod ídeo commemorándum existimávi, quia dicit Apóstolus: Si Abraham ex opéribus justificátus est, habet glóriam, sed non ad Deum. Hæc est ad Deum glória, qua glorificátur non homo, sed Deus; sed non ex opéribus, sed ex fide justificátur, ut ex Deo illi sit, quod étiam bene operátur: quóniam palmes, sicut jam supérius dixi, non potest ferre fructum a semetípso.

℟. Dum invíctus. 55*

Lectio viii.

Si enim in hoc glorificátus est Deus Pater, ut fructum plúrimum afferámus, et efficiámur Christi discípuli, non hoc glóriæ nostræ tribuámus, tamquam hoc ex nobis ipsis habeámus: ejus est enim hæc grátia; et ídeo in hoc non nostra, sed ejus est glória. Unde et álibi cum dixísset, Sic lúceat lumen vestrum coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona; ne a semetípsis putárent

esse bona ópera sua, mox áddidit: Et gloríficent Patrem vestrum, qui in cœlis est. In hoc enim glorificátur Pater, ut fructum plúrimum afferámus, et efficiámur Christi discípuli. A quo effícimur, nisi ab illo, cujus misericórdia prævenit nos? Ipsíus enim figméntum sumus, creáti in Christo Jesu in opéribus bonis.

℟. In rota. 56*

Lectio ix.

Sicut diléxit me Pater, inquit, et ego diléxi vos: manéte in dilectióne mea. Ecce unde sunt nobis ópera bona. Nam unde nobis essent, nisi quia fides per dilectiónem operátur? Unde autem diligerémus, nisi prius diligerémur? Aptíssime hoc in epístola sua idem iste Evangelísta dixit: Nos diligámus Deum, quóniam ipse prior diléxit nos. Quod autem ait: Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos: non æqualitátem natúræ osténdit nostræ et suæ, sicut est Patris et ipsíus; sed grátiam, qua mediátor Dei et hóminum est homo Christus Jesus. Mediátor quippe monstrátur, cum dicit: Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Nam Pater útique díligit et nos, sed in ipso: quia in hoc glorificátur Pater, ut fructum afferámus in vite, hoc est in Fílio, et efficiámur ejus discípuli.

Te Deum laudámus.

FESTA MAJI.

Dom. II. insequente diem 25. Aprílis.

In tota ecclesiastica provincia Tarracon.

Octava B. Mariæ Virg. de monte Serrato.

Duplex.

Omnia ut in Festo 57*, præter sequ.

In I. Nocturno.

Lectio i. Cap. 2.

De Cánticis canticórum.

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi: et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me

in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis: quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos fíliæ Jerúsalem, per cápreas cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúsque ipsa velit.

℟. Properábunt. 58*

Lectio ii.

Vox dilécti mei, ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles: símilis est diléctus meus cápreæ, hinnulóque cervórum. En ipse stat post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos. En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra: ficus prótulit grossos suos: víneæ floréntes dedérunt odórem suum.

℟. Exaltásti. 58*

Lectio iii.

Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in aúribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra. Cápite nobis vulpes párvulas, quæ demoliúntur víneas: nam vínea nostra flóruit. Diléctus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília donec aspíret dies, et inclinéntur umbræ. Revértere: símilis esto, dilécte mi, cápreæ, hinnulóque cervórum super montes Bether.

℟. Levávi óculos. 59*

In II. Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Ex Sermone 1. in Ant. Salve Regína.

Lectio iv.

Dulce cánticum ac nobilíssimum melos, quod in honórem sanctæ Maríæ ordo noster devotíssime cóncinit, ad ædificatiónem nostram discutiéndam, fratres, assúmpsimus, quia speciáli dulcédine multa refértum, ma-

sticatióne contínua repérimus. Nam a summis lábiis cánticum illud effúsum venit. Habet enim fundaméntum: Fundaméntum ejus in móntibus sanctis: fundaméntum ejus intérnæ dulcédinis suávitas est. Et ubi hæc, nisi in móntibus sanctis, hoc est, in méntibus nostris? A sanctis compósitum, a sanctis institútum, digne frequentábitur étiam a sanctis. Et vere nisi a religiósis et affectióne sancta ferventibus, nec subtíliter intélligi, nec efficáciter póterit decantári: est enim tam suáve ad grátiam, tam fœcúndum ad sensum, tam étiam profúndum ad mystéria. Tale enim est, quod a nobis considerári et díscuti prout dignum est, non váleat. Ex eo autem quod suáviter sonat, mulcet afféctum, et de sénsuum ubertáte mentem impínguat, et in Sanctam sanctórum, advocátam scílicet nostram, dum eam quasi præséntem salútat, ómnia interióra nostra medúllitus inflámmat. Opórtet enim ut nobis præséntem esse dicámus, quam præséntem salutámus: et totam ánimæ nostræ trinitátem in eam dirigámus, quam tam devotíssimis précibus exorámus.

℟. Vidi speciósam. 60*

Lectio v.

Ex ipsius medit. in Ant. Salve Regína.

Ne miréris dómina, si clamámus, quia sumus a te nímium elongáti. In regióne longínqua dissipávimus partem nostram, et ídeo ad te clamámus éxsules: éxsules a pátria, éxsules a visióne divína, et útinam non éxsules a grátia, éxsules a consolatióne matérna. O ánima, cur non es pótius a córpore separáta, quam a tua dómina exsul facta? Heu mihi, cur sum in tam longum exsílium relegátus? O dómina, dum hic sumus éxsules, constítuas nos, ne hic tamquam in pátria confidéntes, te et tuum Fílium quærere desistámus: sic tamen constítuas éxsules in córpore, ut semper tecum simus cives in mente. Vere fílii Hevæ, supérbi, præsumptuósi, avári, gulósi, carnáles, inobediéntes, et, bréviter, in ómnibus ipsam Hevam se-

quéntes, proni sumus ad malum, diffíciles ad bonum: et si contíngat áliquem fílium bonórum óperum generáre, cum quodam cordis dolóre et tristítia parturímus; sed malum cum lætítia perpetrámus: nec nobis suffíciunt mala nostra, sed sicut ipsa Heva, ita et nos álios inclinámus ad malum; et étiam sicut ipsa, ita et nos in deféctibus excusámus. Plus enim placet nobis in multo sudóre et labóre vília acquírere, quam Dóminum glóriæ degustáre, et ipsum levíssime, imo dulcíssime possidére. Nisi enim nos, dómina, adjuvísses, fortássis jam in inférni profundíssima venissémus.

℟. Múlier amícta. 61*

Lectio vi.

Non ergo restat, dómina, nisi ut illos misericórdes óculos ad nos convértas. Eja ergo, advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Non dubitámus, dómina, quod si nostras aspéxeris misérias, non póterit tua miserátio suum retardáre efféctum: mirábiles nec non et amábiles illi tuórum rádii oculórum, quibus nos állicis ad amórem, et ad plenam ducis salútem, ne venenátos óculos basilísci timeámus. O quam beáti, o dómina, quos tui víderint óculi! Hos ergo óculos ad nos, dómina, convérte. Et Jesum, benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exsílium osténde. O venter mirábilis, qui pótuit cápere Salvatórem! Fructus tuus, dómina: hic certe est fructus beátus a princípio sui ortus. Hic est Jesus Dei vivi Fílius: hic est Salvátor noster Dóminus Deus. Hunc Jesum, benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exsílium osténde, ut vidéndo, ipsum habeámus; ipsum vidéndo, beatitúdine repleámur! O clemens, o pia, o dulcis María! O clemens indigéntibus, pia exorántibus, dulcis diligéntibus! O clemens pœniténtibus, pia proficiéntibus, dulcis contemplántibus! O clemens liberándo, pia largiéndo, dulcis te donándo! O clemens consolándo, pia blandiéndo, dulcis osculándo! Clemens es

129

subjéctis, pia jam corréctis, dulcis prædiléctis. Amen.

℟. Beátam te dicent. 61*

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 1. d.

In illo témpore: Exsúrgens María, ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda: et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 2. in Luc. c. 1. post init.

Morále est ómnibus, ut qui fidem éxigunt, fidem ástruant. Et ídeo Angelus, cum abscóndita nuntiáret, ut fidem astrúeret exémplo, senióris féminæ sterilísque concéptum Vírgini Maríæ nuntiávit, ut possíbile Deo omne quod ei placúerit, asséreret. Ubi audívit hoc María, non quasi incrédula de oráculo, nec quasi incérta de núntio, nec quasi dúbitans de exémplo, sed quasi læta pro voto, religiósa pro offício, festína pro gaúdio, in montána perréxit. Quo enim jam Deo plena, nisi ad superióra cum festinatióne conténderet? Nescit tarda molímina sancti Spíritus grátia. ℟. Beáta, quæ. 62*

Lectio viii.

Díscite et vos, sanctæ mulíeres, sedulitátem, quam prægnántibus debeátis exhibére cognátis. Maríam, quæ ante sola in íntimis penetrálibus versabátur, non a público virginitátis pudor, non ab stúdio aspéritas móntium, non ab offício prolíxitas itíneris retardávit. In montána Virgo cum festinatióne, Virgo offícii memor, injúriæ ímmemor, afféctu urgénte, non sexu, relícta perréxit domo. Díscite vírgines, non circumcursáre per aliénas ædes, non demorári in platéis, non áliquos in público miscére sermónes: María in domo sera, festína in público, mansit apud cognátam suam tribus ménsibus.

℟. Præpósuit eam. 63*

Lectio ix. Homil. et comm. Domin. occurr.

Domin. II. Maji.

In diœcesi Dertusensi.

B. Mariæ V. Desertorum.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. M. V. per annum, præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beatíssimam Vírginem Maríam dulcíssimo título Matris Desertórum nos venerári tribuísti, ejúsque intercessióne tantam grátiam conférre dignátus es, ut nullus ad ejus præsídium confúgiens fúerit derelíctus: concéde nobis fámulis tuis; ut sub tantæ Matris protectióne constitúti, numquam a tua benignitáte deserámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit com̃. Domin. occurr.

In I. Nocturno Lectiones. Ego sapiéntia.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Thomæ Epíscopi.

Conc. 3. S. Thomæ de Villanova super illa verba: Ab ætérno ordináta sum.

Lectio iv.

Super omnem glóriam, inquit Isaías, protéctio: et tabernáculum erit in absconsiónem a túrbine, et a plúvia, id est, justórum erit custódia, et peccatórum suffúgium. Ita est, o Virgo: in ómnibus tempestátibus, et plúviis, et adversitátibus; si pestis, si bellum, si fames, si tribulátio, omnes ad te cúrrimus. Tu nostra protéctio, tu nostrum refúgium, tu nostrum únicum remédium, subsídium, et asýlum. Sicut pulli, volitántibus désuper milvis, ad gallínæ alas accúrrunt, ita nos sub velaménto alárum tuárum abscóndimur. Nescímus áliud refúgium, nisi te: tu sola es única spes nostra, in qua confídimus: tu sola patróna nostra, ad quam omnes aspícimus.

℟. Sicut cedrus.

Lectio v.

Réspice ergo nunc, o piíssima, certántis Ecclésiæ fíliæ tuæ tribulatiónem: atténde famíliam hanc, pro qua Christus Fílius tuus mórtuus est, in afflictióne pósitam, inimícis vallátam, a géntibus conculcátam, in angústo collocátam: atténde pusíllum gregem, qui

130

olim totum replébat orbem terrárum, nunc peccátis nostris interclúsum, et in angústias redáctum in fínibus terræ. Inclína óculos pietátis tuæ, et vide quam male eam lácerat aper iste de silva, draco iste furiósus; neque est qui ei váleat resístere, aut aúdeat vel óculos tóllere contra eum. Heu, quis dícere póterit stragem máximam, quam a multis annis fecit hic nefándus tyránnus in Ecclésia Dei?

℟. Quæ est ista.

Lectio vi.

Ibi circa finem.

Sed elécta est María, ut esset advocáta nostra: nam licet advocátum habémus apud Patrem Fílium, ut ait Joánnes, opus étiam fuit habére matrem advocátam ad Fílium. Nam peccátis nostris non solus Deus offénditur, cujus præcépta violámus, sed et Fílius Dei, cujus sánguinem peccándo conculcámus, rursus crucifigéntes Fílium Dei. Et ídeo sicut apud Patrem interpéllat Fílius, sic apud Fílium interpéllat mater. Unde Bernárdus: Fílius osténdit Patri latus et vúlnera, et mater osténdit Fílio pectus et úbera. Unde facta est idónea advocáta; idónea, quia puríssima; idónea, quia acceptíssima; idónea, quia piíssima: hæc enim ómnia ad advocátam requirúntur. O felix dies! o dies jucúnda, in qua talis ac tanta advocáta data est mundo! o dies omni gaúdio celebránda, quando tantum donum accépimus!

℟. Ornátam monílibus.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Stabant juxta crucem. ut in Festo VII Dolorum in fine Martii.

Lectio ix. Homilia et com̃. Dominicæ occurrentis.

Die 3. Maji.

In diœcesi Barcinonensi.

Inventio S. Crucis, Titul.

Duplex 1. cl. cum Oct.

Omnia ut in Breviar. Rom. eadem die, ómissa comm. et Lect. ix. Ss. Alexandri et Soc. Mart. Lectio viii. desinit in verbis credit eis, et ix. incipit a verbo Inténdat.

Die 10. Maji.

In diœcesi Barcinonensi.

Octava **Ss. Crucis.**

Duplex.

Officium ut in Festo, præter sequentia.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Feria II. et IV. Rogat. Lect. ut in die festo.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Homil. 55. in Matth. post medium.

Néminem gloriosórum salútis nostræ signórum púdeat, summǽque bonórum, qua et vívimus, et sumus; sed ut corónam, sic Christi Crucem ferámus: étenim nostra ómnia per illam perficiúntur. Sive regeneratióne et renovatióne opus est, Crux præsto est: sive mýsticus ille cibus suméndus, sive in órdinem ecclesiásticum áliqui cooptándi, sive quidvis áliud faciéndum est, ubíque victóriæ nostræ signum adest. Ob eámque causam, illam et in ǽdibus, et in muris, et in fóribus, et in fronte, et in mente cum magno stúdio depíngimus et inscúlpimus. Nostræ enim salútis, communísque libertátis, et bonitátis Dómini nostri hoc signum est. Cum ergo insigníris, tibi in mentem véniat vis omnis, quam in se crux cóntinet; ac tum dénique iram, omnésque a ratióne avérsos ánimi ímpetus exstínxeris.

℞. Nos autem gloriári.

Lectio v.

Non enim omníno dígito impriménda et consignánda est, sed prius voluntáte ac judício cum magna fide: quia sic in óculis vultúque impréssa, impurórum scelestorúmque dǽmonum nullus ad te accédere, aut in propínquo stare umquam póterit, cernens gládium, quo vulnus plagámque accépit, vidénsque ensem, quo mortem accépit. Si enim nos, cum loca in quibus damnáti secántur, vidémus, exhoréscimus: cógita quid eventúrum sit diábolo, cum arma vidébit, quibus vim potestatémque ejus omnem Christus dissólvit, serpentísque caput amputávit.

Hoc étiam signum jánuas clausas majórum nostrórum nostráque ætáte apéruit, hoc nóxia mortiferáque venéna profligávit, hoc cicútæ vim díluit, hoc dénique venenatárum bestiárum morsus curávit.

℟. Dum sacrum pignus.

Lectio vi.

Si enim inferórum portas apéruit, et cœlórum orbes laxávit, paradisíque áditum introitúmque restítuit, et diáboli nervos fregit; quid mirum vidéri debet, si mortífera venéna, et ália ejúsdem géneris vincit et súperat? Hoc ígitur in mente tua inscúlpe, animorúmque nostrórum salútem ampléctitor. Crux enim hæc orbem terrárum convértit, errórem éxpulit, veritátem revocávit, terram cœlum fecit, hómines Angelos réddidit. Hinc dǽmones non jam horríbiles sunt aut metuéndi, sed contemnéndi: neque mors est mors, sed somnus. Hac abjécta sunt humi, conculcátaque ómnia, quæ nobis adversántur.

℟. Hoc signum Crucis.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 3.

In illo témpore: Erat homo ex Pharisǽis, Nicodémus nómine, princeps Judæórum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venísti magíster. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Ex Sermone 55.

Sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto, ita exaltári opórtet Fílium hóminis. Unde si affíxus serpens ligno fíliis Israël cóntulit sanitátem, quanto magis salútem præstat pópulis Dóminus in patíbulo crucifíxus? et si figúra tantum prófuit, quantum prodésse crédimus veritátem? Serpens ígitur primus crucifígitur. Recte plane, ut, quia primus apud Deum peccáverat diábolus, primus crucis senténtia ferirétur. In ligno étiam crucifígitur: rationabíliter factum; ut, quia homo in paradíso per árborem concupiscéntiæ decéptus fúerat, nunc idem

per ligni árborem salvarétur; atque éadem matéria, quæ causa mortis fúerat, esset remédium sanitátis.

℟. Dulce lignum.

Lectio viii.

Deínde post serpéntem in Salvatóre homo ipse crucifígitur, scílicet ut post auctórem puniátur et fácinus. Per primam crucem vindicátum est in serpéntem, per secúndam in venéna serpéntis: hoc est, primum auctor ipse punítur, deínde ejus malígnitas condemnátur. Virus enim, quod persuasióne sua in hóminem transfúderat, nunc rejícitur, nunc curátur. Nam cum homo passióni addícitur, non morti tráditur, sed mortis in eo fácinus emendátur. Hoc enim egit Dóminus per hóminem quem suscépit, ut, dum ínnocens pátitur, prævaricatiónis illíus diabólicæ in eo inobediéntia corrigátur, et deínceps liber a culpa fíeret, ac liber esset a morte. Habéntes ígitur Dóminum Jesum, qui nos passióne sua liberávit, in ipsum aspiciámus semper, et de ipsíus signo sperémus nostris vulnéribus medicínam.

℟. Sicut Móyses.

Lect. ix. et comm. Ss. Gordiani et Epimachi Mart. ut in Breviario.

Die 11. Maji.

In diœcesi Ilerdensi.

S. Anastasii Mart. Patr.

Duplex majus.

In civit. dupl. 1. cl. cum Oct.

Omnia de Communi unius Mart. 1. loco, præter sequ.

Oratio. Præsta ... ut qui. de 3. loco.

In I. Noct. Lect. Fratres: Debitóres. de Comm. plurim. Martyr., cum ℟℟. de temp. Pasch.

In II. et III. Noct. Lect. de Com̃. Mart. temp. Pasch. 1. loc.

Die 18. Maji.

In civitate Ilerdensi.

Octava **S. Anastasii** Mart.

Duplex.

Omnia ut in Festo, præter sequ.

Lect. I. Noct. de Script. occurr. In Feria II. et IV. Rogat. ut in die festo.

In II. Noct. Lect. Quibus ego vos. de Comm. 2. loco.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 15.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego

sum vitis vera: et Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Homilía S. Cyrílli Epíscopi Alexandríni.

Lib. 10. cap. 14. in Joann.

Ea de causa vitem se appellásse maniféste Dóminus osténdit, ut quasi óculis hoc exémplo cernerémus, manéntes in eo ut pálmites, ex vite humóre tracto, spiritálem posse fructum afférre: resiliéntes vero ab eo, vel quia in fide, vel quia in servatióne mandáti defíciant, non modo nihil fructus productúros, sed ætérnum étiam ignem passúros. Qui enim a pietáte vel caritáte Christi décidit, supplíciis seípsum tradit, sicut decísus palmes ad nihil áliud quam ad ignem útilis est.

℟. Ego sum.

Lectio viii.

Radícem supérnæ benevoléntiæ ac firmaméntum esse ait, si quasi spiritále depósitum, evangélicæ disciplínæ dógmata et mandáta servárint. Servántibus autem, sine mora petíta bona pollicétur affutúra. Si manséritis, inquit, in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluéritis, petétis, et fiet vobis. Fíeri enim potest, ut in Christo máneas, et verba ejus in te non hábeas. Duplex enim via est, per fidem et caritátem, propter quam mandáta servántur.

℟. Cándidi.

Lectio ix.

Quæ cum ita sint, qui verbis nudis Christum confiténtur, sed mandatórum observatióne, id est, caritáte ad perfectiónem non confórmántur; quamvis Christo fide inhǽreant, inque eo hac ratióne máneant, verba tamen ejus non habent: non oblíti quidem illi prædicatiónis evangélicæ, sed illécebris voluptátum capti, Spíritus grátiam abjíciunt. Quare opórtet ad fidem ópera caritátis accédere: nam, qui sic facit, is et in Christo per fidem manet, et in corde suo verba ejus consérvat, ut in Psalmis dícitur: In corde meo abscóndi elóquia tua: ut non peccem tibi.

Te Deum laudámus.

Die 21. Maji.

In tota ecclesiastica provincia Tarracon.

S. Felicis a Cantalicio Confess.

Semiduplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis, eadem die.

In Feria II. et IV. Rogat. Lect. I. Noct. Beátus vir. de Comm. 2. loco.

Die 22. Maji.

In tota eccles. provinc. extra diœces. Cœlson. et Gerund.

Ss. Torquati et Socior. Episc. et Mart.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Ss. Hispan., die 21. vel 22. Maji.

Die 24. Maji.

In diœcesi Urgellensi.

B. Mariæ V. sub titulo **Auxilium Christianor.**

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis, eadem die.

Die 28. Maji.

In diœcesi Urgellensi.

S. Justi Episc. et Conf.

Duplex 2. classis.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequ.

In utrisque Vesperis.

Ad Magnif. Ant. **Justus ut palma florébit: sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri, allel.**

Oratio.

Ecclésiam tuam, quǽsumus Dómine, grátia cœléstis amplíficet: quam beáti Justi Confessóris tui atque Pontíficis illustráre voluísti gloriósis méritis ac doctrínis. Per Dñm.

In I. Nocturno Lectiones **Fidélis sermo.** de eodem Communi 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Urgéllum, urbs citerióris Hispániæ in Catalaúnia, atque Urgellénsis olim comitátus caput, suórum prǽsulum sanctimónia excélluit. Nam ut taceámus de Hermengaúdo et Odóne, quibus quasi sole et luna ornáta respléndet, plúrimis áliis sanctíssimis antistítibus illustráta est tam ante quam post Saracénicam vastatiónem. Priórum tamen memóriæ certæ periérunt in urbe a Saracénis parta ruína. Nihilóminus ádeo sancti Justi Urgellénsis epíscopi notítia longe latéque diffúsa fúerat, ut eum et magnum epíscopum fu-

ísse, et scriptórem ecclesiásticum, ac váriis concíliis subscripsísse, indúbiis constet monuméntis.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Valéntiæ, ut vidétur, in Hispánia ortus, tres hábuit fratres, qui simul cum eo epíscopi álias ecclésias sanctitátis fama clari gubernárunt. Justiniánus enim Valéntiæ epíscopus fuit, Nebrídius Egáræ, quæ nunc Tarrássa dícitur, Elpídius autem ignótæ ecclésiæ. Justus, licet post finem secúndi Toletáni concílii una cum Nebrídio fratre Tolétum advénerit, tamen his verbis subscrípsit: Justus in Christi nómine ecclésiæ Urgellitánæ epíscopus, hanc constitutiónem consacerdótum meórum in Toletána urbe hábitam, cum post aliquántulum témporis advenissem, salva auctoritáte priscórum Cánonum, relégi, probávi, et subscrípsi. Subscrípsit étiam concílio provinciáli Ilérdæ hábito sub Amalaríco Gothórum rege, ac Justiniáno imperatóre.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Sed quod multo celébrius Justi nomen réddidit, est ejus exposítio brevis quidem, áttamen sententiárum ditíssima, quam super Cántica scripsit, ac Sérgio Tarraconénsi archiepíscopo, metropolitáno suo et amicíssimo, dicávit. Sanctus Isidórus Hispalénsis in suo de Viris illústribus libro hæc de sancto Justo scribit: Justus Urgellitánæ ecclésiæ Hispaniárum epíscopus et frater prædícti Justiniáni édidit libéllum expositiónis in Cántica canticórum, totum valde bréviter atque apérte per allegoríam sensum discútiens. Scripsit étiam sermónem de sancto Vincéntio Mártyre Valentíno. Tandem zelo pro glória Dómini sui æstuans, virtútibus ac méritis plenus, obdormívit in Dómino circa annum a reparáta salúte quingentésimum quinquagésimum. Ejus sacri córporis exúviæ calamitátibus bellórum, quibus máxime afflícta est Urgellénsis cívitas, disparuére: eárum tamen pars, saltem a sæculo décimo quarto,

cólitur, et sub ara máxima compósita est.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 24.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 77. in Matth. n. 3.

Non dixit, Néscio, sed, Nescítis: cum enim ipsos ad illam pene horam deduxísset et constituísset, rursus ab interrogándo ávocat, quod velit ipsos semper esse sollícitos. Proptérea dicit, Vigiláte, osténdens se hac de causa dícere noluísse. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti: quia qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet. Proptérea dicit, Qua hora non exspectátis, véniet, ut sollícitos reddat, et virtútis coléndæ studiósos. Illud autem sibi vult: Si scirent pleríque hómines quandónam sint moritúri, diligéntiam suam circa illam horam exhibérent.

℟. Amávit eum.

Lectio viii.

Ne ígitur de illa sola sollíciti essent, neque commúnem illam diem, neque cujúsque horam declarávit, ut semper illam exspectárent, sempérque eódem stúdio teneréntur: ídeo cujúsque vitæ finem incértum relíquit. Deínde apérte se Dóminum vocat, neque umquam ita clare díxerat. Hic autem vidétur mihi désides cárpere, qui non tantam ádhibent ánimæ tuéndæ curam, quantam circa pecúnias monstrant ii, qui fures métuunt. Nam hi, si illos exspéctent, vígilant, nihílque ex recónditis sinunt auférri: vos autem, etsi certo sciátis ventúrum illum esse, non vigilátis, inquit, nec paráti estis, ne sine præparatióne hinc discedátis: quaprópter cum pernície dormiéntium dies ille

véniet. Quemádmodum enim ille, si sciret furti tempus, illud vitáret; sic et vos, si paráti essétis, effugerétis. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Deínde quia judícii mentiónem fecit, ad doctóres demum sermónem convértit, ac de supplíciis et prǽmiis verba facit; et cum primo bonos memorásset, in peccatóres désinit, ac timórem incútiens, finem dicéndi facit. Beátus enim, inquit, servus ille, quem invénerit sic faciéntem. Hæc autem non de pecúniis tantum dicta sunt, sed étiam de verbo et de virtúte, de donis et de dispensatióne cuíque commíssa. Hæc parábola magistrátibus quoque óptime cómpetit: quisque enim ómnia quæ sua sunt, ad commúnem utilitátem conférre debet. Sive sapiéntiam hábeas, sive principátum, sive divítias, sive quidvis áliud, ne ad detriméntum conservórum, neve ad perníciem sit tuam. Ideo ambo ab illo requírit, et prudéntiam, et fidem.

Te Deum laudámus.

Ad Bened. Ant. Justus germinábit sicut lílium, et florébit in ætérnum ante Dóminum, allelúja.

Eadem die.

In diœcesi Vicensi.

S. Justi Confessoris.

Duplex 1. class. cum Oct.

Omnia de Communi Conf. non Pont. 1. loco.

FESTA JUNII.

Die 1. Junii vel alia die.

In tota ecclesiastica provincia Tarraconensi.

S. Peregrini Latiosi Confessoris.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis, die 13. Maji.

In Feria II. Rogat. Lect. I. Noct. Beátus vir. de Comm. 2. loco.

In III. Nocturno Homilia in Evangel. Nolíte timére. de 2. loco, et in diœces. Cœlson. et Dertusens. fit commem. Octav. S. Ferdin. ℣. Amávit. in Laud. et II. Vesp.

Die 3. Junii.

In diœcesi Vicensi.

Beatæ Margaritæ Mariæ Alacoque Virginis.

Duplex.

Omnia de Communi Virg., præter sequentia.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui investigábiles divítias cordis tui beátæ Margarítæ Vírgini mirabíliter revelásti: da nobis ejus méritis et imitatióne; ut te in ómnibus et super ómnia diligéntes, jugem in eódem corde tuo mansiónem habére mereámur: Qui vivis.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

Et fit comm. Octav. S. Justi in civitate.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Margaríta María Alacoque, in pago diœcésis Augustodunénsis honésto génere nata, miro præveniéntis grátiæ instínctu a téneris annis viam perfectiónis arrípuit, ac primos innocentíssimi cordis afféctus ad eam interióris vitæ formam, ad quam divínitus elécta erat, compósuit. Puéllula, vix dum ratiónis compos, nihil magis in delíciis hábuit, quam génibus pósitis junctísque mánibus cœlésti sponso sístere se, ei cor suum dicáre, et virginálem devovére castitátem, ipso intérius votum supra ætátem inspiránte. Stúdium placéndi Jesu, et píetas in Deíparam, cui se ab illo comendátam novit, páriter crevére cum annis. Ex hoc Christi amóre, quem prodúcta ad plures horas meditátio alébat, ingens exársit patiéndi amor, ut ei, quem única diligébat, símilem se exhibéret. Hinc corpus jejúniis, vigíliis alísque asperitátibus ad morbum usque afflíxit: ánimum vero inter diutúrnas vexatiónes, quas patre orbáta a fámulis pértulit, ad imáginem ejus qui mitis est et húmilis corde, constánter effíngens, brevi ad magnam sanctitátem in ipso sǽculo pervénit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Ordinem Visitatiónis sanctæ Maríæ, quo a propínquis abésset lóngius, Parédii ingréssa, statim in tyrocínio cunctis religiósæ vitæ virtútibus indúbium sanctitátis spécimen prǽbuit. Interim Christus sublimióris oratiónis dono, intérnis locutiónibus aliísque

135

charismátibus sponsam suam illustráre, et ad sua consília própius dispónere instítuit. Inter várias apparitiónes illa máxime célebris fuit, qua ante Eucharístiam oránti Jesus semetípsum conspiciéndum óbtulit, et divínum cor suum in apérto péctore flammis incénsum et spinis constríctum osténdit, præcepítque ut pro tali caritáte, et ad reparándas ingratórum hóminum injúrias, illa públicum cordi suo cultum, magnis propósitis gratiárum præmiis, instituéndum curáret, et cunctántem humilitátis causa, seque tantæ rei ímparem dictitántem, promísso auxílio et prænuntiáto succéssu confirmávit. Exínde fidíssima Christi sponsa hoc unum spiráre, verbis, exémplis, scriptis, jugi vitæ suæ sacrifício hoc unum quærere visa est, ut sanctíssimo cordi Jesu intérior exteriórque cultus, qualem ei placére ab ipso didícerat, ab ómnibus tribuerétur: quod et tunc fíeri mirabíliter cœpit, et póstea, approbánte sancta Sede, quanto fructu sit perféctum univérsus orbis cathólicus testátur.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Quod eníxe a Dómino petíerat, ut illústria ejus dona in sui contémptum verteréntur, abúnde obtínuit. Numquam enim defuére domi et foris qui illam mísere illúsam credéntes, aut saltem dubitántes, ejus spíritum dictériis cárperent, vel certe assíduis ac duris subjícerent experiméntis: in quibus tamen mitíssimæ vírginis humílitas, patiéntia, obediéntia et cáritas magis semper eluxérunt. Contumélias quoque ac minas ab extráneis ob nóbilem alúmnam a tyrocínio fórtiter dimíssam, invícta constántia tolerávit. Accessére morbi graves et diutúrni, quibus levándis remédia a médicis obláta nocébant. Inter hæc illa in divíno Christi corde absórpta, et igne caritátis ejus incénsa, plura et gravióra pati semper optábat. Extrémum morbum patientíssime toleránti súbito divíni judícii cogitátio tantum in-

jécit metum, ut cum tremóre ac fletu crucifíxum stringens, misericórdiam sibi precarétur: sed mox consolatiónes Dei lætificavérunt ánimam ejus. Igitur tamquam consummáta caritátis víctima, die décima séptima Octóbris ad sponsum evolávit, annos nata tres et quadragínta. Cœléstem ejus glóriam mirácula confirmavérunt, quibus rite probátis, eam Pius nonus, Póntifex Máximus, magna piórum gratulatióne quartodécimo Kaléndas Octóbris anni millésimi octingentésimi sexagésimi quarti beatárum Vírginum cœtui adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Símile erit regnum. de eodem Comm. 1. loco.

Die 4. Junii.

In diœcesi Vicensi.

Octava S. Justi Confess. Duplex.

Omnia ut in Festo 81*, præter sequentia.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Noct. Lect. Deridétur. de Comm. 2. loco.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Fulgéntii Epíscopi.

Ex Sermone de Confess.

Si istum Dómini sermónem secúndum lítteram velímus accípere, nihil in eo cómmodi spiritális póssumus inveníre. Quid enim próficit ad ánimæ salútem, si áliquis corporáliter, aut lumbos præcíngat, aut lucérnam accéndat? In lumbis ítaque concupiscéntia carnális osténditur, in lucérnis vero fides et cáritas christiána monstrátur. Jubens ígitur Dóminus lumbos nostros præcíngi, concupiscéntias carnis sine dúbio præcipit refrænári. Imperans autem ut lucérnas ardéntes habeámus, hoc útique jubet, ut et lúmine veræ fídei splendeámus, et sanctæ caritátis opéribus ferveámus.

℟. Iste est.

136

Lectio viii.

Ista, quæ de Evangélio proposúimus, cum prophéticis sermónibus conferámus. Utrúmque enim Testaméntum Deus instítuit, unus Dóminus dedit. Etsi sunt utriúsque Testaménti divérsa pro tempóribus sacraménta, concórdat tamen in utróque salútis humánæ senténtia, qua præcípitur ut non peccémus, et jubétur ut bonis opéribus insistámus. Per Isaíam Dóminus omnes his ádmonet verbis: Auférte malum cogitatiónum vestrárum ab óculis meis, quiéscite pervérse ágere, díscite benefácere. Quid est enim: Sint lumbi vestri præcíncti, nisi, quiéscite ágere pervérse? quid est: Sint lucérnæ ardéntes, nisi, díscite benefácere?

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Præcingúntur enim fidélium lumbi, dum concupiscéntia mala comprimitur, dum iníqua cogitátio cohibétur, dum libídini resístit ánimus, dum lascíviæ denegátur affectus, dum calcátur luxúria, dum avarítia contémnitur et rapína, dum próximi lǽsio devitátur, dum supérbia víncitur, dum invídia superátur. Ardent vero lucérnæ fidélium, dum rectæ fídei régulam servant, dum in sinu matris Ecclésiæ longanímiter persevérant, dum terréna contémnunt et cœléstia concupíscunt, dum sollíciti pacem custódiunt, dum se ínvicem pure díligunt, dum mútuo se honóre prævéniunt, dum mansuetúdine cordis et humilitáte profíciunt, dum misericórdiæ ópera libénter atque hiláriter fáciunt, dumque in opéribus bonis, non homínibus, sed Deo placére conténdunt.

Te Deum laudámus.

APPROBATIO.

visione hujus codicis Tarraconensis rite peracta, ille
ginalibus ad amussim concordare repertus est, salvo
Ordinariorum jure.

n fidem etc.

racone, die 20. Decembris 1895.

L. S.) ✠ Thomas,
Archiepiscopus Tarraconensis.

Imprimatur.

isbonæ, die 8. Januarii 1896.

Dr. Fr. X. Leitner, Vic. in Spir. Gen.

137

Index alphabeticus.

Ratisbonæ. Typis Fr. Pustet, S. Sedis Apost. Typographi.



PROPRIUM SANCTORUM
PROVINCIÆ ECCLESIASTICÆ
TARRACONENSIS.

PARS ÆSTIVA.

Feria II.
post Domin. Ss. Trinitatis.
In diœcesi Gerundensi.
Ss. Germani et Socior. Mart. Duplex.
In civit. Dupl. 2. class.

Omnia de Com̃. plur. Mart. 1. loco, præter sequ.

Oratio. Deus, qui nos concédis. de 2. loco.

In I. Nocturno Lectiones de Script. occurr. In civit. Fratres: Debitóres. de eod. Com̃.

Die 3. Maji.
In diœcesi Barcinonensi.
In Inventione S. Crucis.
Duplex 1. classis.

Omnia ut in Breviar. Rom. eadem die, omissa commem. festi Simplicis forsan occurr.

Die 11. Maji.
In diœcesi Ilerdensi.
S. Anastasii Mart.
Duplex majus.
In civit. dupl. 1. class.

Omnia de Com̃. unius Mart. extra temp. Pasch., præter sequentia.

Oratio. Præsta .... ut qui. de 3. loco.

In I. Noct. Lect. Fratres: Debitóres. de Comm. plurim. Mart., cum ℟℟. de Communi unius Mart.

In II. Noct. Lect. Triumphális. de 1. loco.

In III. Nocturno Homilia. Supra díxerat. in Evang. Nolíte mirári. ut in fine Propr. Ss. Hispan.

Die 21. Maji.

In tota ecclesiastica provincia Tarracon.

S. Felicis a Cantalicio Confess.

Semiduplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis, eadem die.

Die 22. Maji.

In tota eccles. provinc. extra diœces. Cœlson. et Gerund.

Ss. Torquati et **Socior.** Episc. et Mart.

Duplex.

Omnia ut in Propr. Ss. Hispan., die 21. vel 22. Maji.

Die 24. Maji.

In diœcesi Urgellensi.

B. Mariæ V. sub titulo **Auxilium Christianor.**

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis, eadem die.

Die 28. Maji.

In diœcesi Urgellensi.

S. Justi Episc. et Conf.

Duplex 2. classis.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequ.

In utrisque Vesperis.

Ad Magnif. Ant. Justus ut palma florébit: sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.

Oratio.

Ecclésiam tuam, quæsumus Dómine, grátia cœléstis amplíficet: quam beáti Justi Confessóris tui atque Pontíficis illustráre voluísti gloriósis méritis ac doctrínis. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones Fidélis sermo, de eodem Communi 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Urgéllum, urbs citerióris Hispániæ in Catalaúnia, atque Urgellénsis olim comitátus caput, suórum præsulum sanctimónia excélluit. Nam ut taceámus de Hermengaúdo et Odóne, quibus quasi sole et luna ornáta resplèndet, plúrimis áliis sanctíssimis antistítibus illustráta est tam ante quam post Saracénicam vastatiónem. Priórum tamen memóriæ certæ periérunt in urbe, a Saracénis parta ruína. Nihilóminus ádeo sancti Justi Urgellénsis epíscopi notítia longe laté-

que diffúsa fúerat, ut eum et magnum epíscopum fuísse, et scriptórem ecclesiásticum, ac váriis concíliis subscripsísse, indúbiis constet monuméntis.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Valéntiæ, ut vidétur, in Hispánia ortus, tres hábuit fratres, qui simul cum eo epíscopi álias ecclésias sanctitátis fama clari gubernárunt. Justiniánus enim Valéntiæ epíscopus fuit, Nebrídius Egáræ, quæ nunc Tarrássa dícitur, Elpídius autem ignótæ ecclésiæ. Justus, licet post finem secúndi Toletáni concílii una cum Nebrídio fratre Tolétum advénerit, tamen his verbis subscrípsit: Justus in Christi nómine ecclésiæ Urgellitánæ epíscopus, hanc constitutiónem consacerdótum meórum in Toletána urbe hábitam, cum post aliquántulum témporis advenissem, salva auctoritáte priscórum Cánonum, relégi, probávi, et subscrípsi. Subscrípsit étiam concílio provinciáli Ilérdæ hábito sub Amalaríco Gothórum rege, ac Justiniáno imperatóre.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Sed quod multo celébrius Justi nomen réddidit, est ejus expositio brevis quidem, áttamen sententiárum ditíssima, quam super Cántica scripsit, ac Sérgio Tarraconénsi archiepíscopo, metropolitáno suo et amicíssimo, dicávit. Sanctus Isidórus Hispalénsis in suo de Viris illústribus libro hæc de sancto Justo scribit: Justus Urgellitánæ ecclésiæ Hispaniárum epíscopus et frater prædícti Justiniáni édidit libéllum expositiónis in Cántica canticórum, totum valde bréviter atque apérte per allegoríam sensum discútiens. Scripsit étiam sermónem de sancto Vincéntio Mártyre Valentíno. Tandem zelo pro glória Dómini sui ǽstuans, virtútibus ac méritis plenus, obdormívit in Dómino circa annum a reparáta salúte quingentésimum quinquagésimum. Ejus sacri córporis exúviæ calamitátibus bellórum, quibus

máxime afflícta est Urgelléensis cívitas, disparuére: eárum tamen pars, saltem a sǽculo décimo quarto, cólitur, et sub ara máxima compósita est.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii Cap. 24. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 77. in Matth.

Non dixit, Néscio, sed, Nescítis: cum enim ipsos ad illam pene horam deduxísset et constituísset, rursus ab interrogándo ávocat, quod velit ipsos semper esse sollícitos. Proptérea dicit, Vigiláte, osténdens se hac de causa dícere noluísse. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti: quia qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet. Proptérea dicit, Qua hora non exspectátis, véniet; ut sollícitos reddat, et virtútis coléndæ studiósos. Illud autem sibi vult: Si scirent pleríque hómines quandónam sint moritúri, diligéntiam suam circa illam horam exhibérent.

℟. Amávit eum.

Lectio viii.

Ne ígitur de illa sola sollíciti essent, neque commúnem illam diem, neque cujúsque horam declarávit; ut semper illam exspectárent, sempérque eódem stúdio teneréntur: ídeo cujúsque vitæ finem incértum relíquit. Deínde apérte se Dóminum vocat, neque umquam ita clare díxerat. Hic autem vidétur mihi désides cárpere, qui non tantam ádhibent ánimæ tuéndæ curam, quantam circa pecúnias monstrant ii, qui fures métuunt. Nam hi, si illos exspéctent, vígilant, nihílque ex recónditis sinunt auférri: vos autem, etsi certo

sciátis ventúrum illum esse, non vigilátis, inquit, nec paráti estis, ne sine præparatióne hinc discedátis: quaprópter cum pernície dormiéntium dies ille véniet. Quemádmodum enim ille, si sciret furti tempus, illud vitáret; sic et vos, si paráti essétis, effugerétis.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Deínde quia judícii mentiónem fecit, ad doctóres demum sermónem convértit, ac de supplíciis et prǽmiis verba facit; et cum primo bonos memorásset, in peccatóres désinit, ac timórem incútiens, finem dicéndi facit. Beátus enim, inquit, servus ille, quem invénerit sic faciéntem. Hæc autem non de pecúniis tantum dicta sunt, sed étiam de verbo et de virtúte, de donis et de dispensatióne cuíque commíssa. Hæc parábola magistrátibus quoque óptime cómpetit: quisque enim ómnia quæ sua sunt, ad commúnem utilitátem conférre debet. Sive sapiéntiam hábeas, sive principátum, sive divítias, sive quidvis áliud, ne ad detriméntum conservórum, neve ad perníciem sit tuam. Ideo ambo ab illo requírit, et prudéntiam, et fidem.

Te Deum laudámus.

Ad Bened. Ant. Justus germinábit sicut lílium, et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Eadem die.

In diœcesi Vicensi.

S. Justi Confessoris.

Duplex 1. class. cum Oct.

Omnia de Communi Conf. non Pont. 1. loco.

FESTA JUNII.

Die 1. Junii vel alia die.

In tota ecclesiastica provincia Tarraconensi.

S. Peregrini Latiosi Confessoris.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis, die 13. Maji.

In III. Nocturno Homilia in Evangel. Nolíte timére. de 2. loco, et in diœces. Cœlson. et Dertusens. fit commem. Octav. S. Ferdin. ℣. Amávit. in Laud. et II. Vesp.

141

Die 3. Junii.

In diœcesi Vicensi.

Beatæ Margaritæ Mariæ Alacoque Virginis.

Duplex.

Omnia de Communi Virg., præter sequentia.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui investigábiles divítias cordis tui beátæ Margarítæ Vírgini mirabíliter revelásti: da nobis ejus méritis et imitatióne; ut te in ómnibus et super ómnia diligéntes, jugem in eódem corde tuo mansiónem habére mereámur: Qui vivis et regnas.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

Et fit comm. Octav. S. Justi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Margaríta María Alacoque, in pago diœcésis Augustodunénsis honésto génere nata, miro præveniéntis grátiæ instínctu a téneris annis viam perfectiónis arrípuit, ac primos innocentíssimi cordis afféctus ad eam interióris vitæ formam, ad quam divínitus elécta erat, compósuit. Puéllula, vix dum ratiónis compos, nihil magis in delíciis hábuit, quam génibus pósitis junctísque mánibus cœlésti sponso sístere se, ei cor suum dicáre, et virginálem devovére castitátem, ipso intérius votum supra ætátem inspiránte. Stúdium placéndi Jesu, et píetas in Deíparam, cui se ab illo commendátam novit, páriter crevére cum annis. Ex hoc Christi amóre, quem prodúcta ad plures horas meditátio alébat, ingens exársit patiéndi amor, ut ei, quem único diligébat, símilem se exhibéret. Hinc corpus jejúniis, vigíliis aliísque asperitátibus ad morbum usque afflíxit: ánimum vero inter diutúrnas vexatiónes, quas patre orbáta a fámulis pértulit, ad imáginem ejus qui mitis est et húmilis corde, constánter effíngens, brevi ad magnam sanctitátem in ipso sǽculo pervénit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Ordinem Visitatiónis sanctæ Maríæ, quo a pro-

pínquis abésset lóngius, Parédii ingréssa, statim in tyrocínio cunctis religiósæ vitæ virtútibus indúbium sanctitátis spécimen præbuit. Interim Christus sublimióris oratiónis dono, intérnis locutiónibus aliísque charismátibus sponsam suam illustráre, et ad sua consília própius dispónere instítuit. Inter várias apparitiónes illa máxime célebris fuit, qua ante Eucharístiam oránti Jesus semetípsum conspiciéndum óbtulit, et divínum cor suum in apérto péctore flammis incénsum et spinis constríctum osténdit, præcepítque ut pro tali caritáte, et ad reparándas ingratórum hóminum injúrias, illa públicum cordi suo cultum, magnis propósitis gratiárum prǽmiis, instituéndum curáret; et cunctántem humilitátis causa, seque tantæ rei ímparem dictitántem, promísso auxílio et prænuntiáto succéssu confirmávit. Exínde fidíssima Christi sponsa hoc unum spiráre, verbis, exémplis, scriptis; jugi vitæ suæ sacrifício hoc unum quǽrere visa est, ut sanctíssimo cordi Jesu intérior exteriórque cultus, qualem ei placére ab ipso didícerat, ab ómnibus tribuerétur: quod et tunc fíeri mirabíliter cœpit, et póstea, approbánte sancta Sede, quanto fructu sit perféctum univérsus orbis cathólicus testátur.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Quod eníxe a Dómino petíerat, ut illústria ejus dona in sui contémptum verteréntur, abúnde obtínuit. Numquam enim defuére domi et foris qui illam mísere illúsam credéntes, aut saltem dubitántes, ejus spíritum dictériis cárperent, vel certe assíduis ac duris subjícerent experiméntis: in quibus tamen mitíssimæ vírginis humílitas, patiéntia, obediéntia et cáritas magis semper eluxérunt. Contumélias quoque ac minas ab extráneis ob nóbilem alúmnam a tyrocínio fórtiter dimíssam, invícta constántia tolerávit. Accessére morbi graves et diutúrni, quibus levándis remédia a médicis obláta

nocébant. Inter hæc illa in divíno Christi corde absórpta, et igne caritátis ejus incénsa, plura et gravióra pati semper optábat. Extrémum morbum patientíssime toleránti súbito divíni judícii cogitátio tantum injécit metum, ut cum tremóre ac fletu crucifíxum stringens, misericórdiam sibi precarétur: sed mox consolatiónes Dei lætificavérunt ánimam ejus. Igitur tamquam consummáta caritátis víctima, die décima séptima Octóbris ad sponsum evolávit, annos nata tres et quadragínta. Cœléstem ejus glóriam mirácula confirmavérunt: quibus rite probátis, eam Pius nonus Póntifex Máximus, magna piórum gratulatióne quartodécimo Kaléndas Octóbris anni millésimi octingentésimi sexagésimi quarti beatárum Vírginum cœtui adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Símile erit regnum. de eodem Comm. 1. loco.

Die 4. Junii.

In diœcesi Vicensi.

Octava S. Justi Confess.

Duplex.

Omnia ut in Festo 2*, præter sequentia.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Noct. Lect. Deridétur. de Comm. 2. loco.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12. e.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Fulgéntii Epíscopi.

Ex Sermone de Confess.

Si istum Dómini sermónem secúndum lítteram velímus accípere, nihil in eo cómmodi spiritális póssumus inveníre. Quid enim próficit ad ánimæ salútem, si áliquis corporáliter, aut lumbos præcíngat, aut lucérnam accéndat? In lumbis ítaque concupiscéntia carnális osténditur, in lucérnis vero fides et cáritas christiána

monstrátur. Jubens ígitur Dóminus lumbos nostros præcíngi, concupiscéntias carnis sine dúbio præcipit refrænári. Imperans autem ut lucérnas ardéntes habeámus, hoc útique jubet, ut et lúmine veræ fídei splendeámus, et sanctæ caritátis opéribus ferveámus.

℟. Iste est.

Lectio viii.

Ista, quæ de Evangélio proposúimus, cum prophéticis sermónibus conferámus. Utrúmque enim Testaméntum Deus instítuit, unus Dóminus dedit. Etsi sunt utriúsque Testaménti divérsa pro tempóribus sacraménta, concórdat tamen in utróque salútis humánæ senténtia, qua præcípitur ut non peccémus, et jubétur ut bonis opéribus insistámus. Per Isaíam Dóminus omnes his ádmonet verbis: Auférte malum cogitatiónum vestrárum ab óculis meis, quiéscite pervérse ágere, díscite benefácere. Quid est enim: Sint lumbi vestri præcíncti, nisi, Quiéscite ágere pervérse? quid est: Sint lucérnæ ardéntes, nisi, Díscite benefácere?

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Præcingúntur enim fidélium lumbi, dum concupiscéntia mala comprímitur, dum iníqua cogitátio cohibétur, dum libídini resístit ánimus, dum lascíviæ denegátur affectus, dum calcátur luxúria, dum avarítia contémnitur et rapína, dum próximi lǽsio devitátur, dum supérbia víncitur, dum invídia superátur. Ardent vero lucérnæ fidélium, dum rectæ fídei régulam servant, dum in sinu matris Ecclésiæ longanímiter persevérant, dum terréna contémnunt et cœléstia concupíscunt, dum sollíciti pacem custódiunt, dum se ínvicem pure díligunt, dum mútuo se honóre prævéniunt, dum mansuetúdine cordis et humilitáte profíciunt, dum misericórdiæ ópera libénter atque hiláriter fáciunt, dumque in opéribus bonis, non homínibus, sed Deo placére conténdunt.

Te Deum laudámus.

Die 21. Junii.

In diœcesi Ilerdensi.

S. Raymundi Episc. Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. 1. loco, præter Lection. I. Noct., quæ erunt de Script. occurr.

FESTA JULII.

Domin. II.

post Kalendas Julii.

In diœcesi Barcinon.

In Translatione II.

S. Eulaliæ Virg. et Mart.

Duplex majus.

Omnia de Communi Virg. et Mart., præter sequentia.

Oratio. Deus, qui inter cétera. et pro natalítia dicitur translatiónem.

Et fit com. Domin. occurr.

In I. Nocturno Lectiones. De virgínibus. de 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex Breviar. Barcin. et histor.

Cum cívitas Barcinonénsis ádeo et loci spátio et habitántium número crevísset, ut ejus matrix ecclésia præ angústia ædifícii christícolas omnes ad eam conveniéntes cápere nullo modo posset; cum étiam beátæ Euláliæ corpus in sacrário ecclésiæ Barcinonénsis inclúsum, próprio ac público caréret sepúlchro, ubi a fidélibus preces ac vota offeréntibus, cómmode visitarétur: Raymúndus Berengárius Barcinonénsium comes, cognoménto Senex, cui Deus omnípotens et gloriósas de Mauris victórias concésserat, et multas opes largítus fúerat, una cum Guislabérto Barcinonénsi epíscopo, de templo máximo exstruéndo, deque sacéllo beátæ Euláliæ ædificándo, consílium íniit. Quocírca, divíno invocáto Númine, et re matúre deliberáta, locum ædificándi templi, ubi nunc est, elegérunt. Et rebus necessáriis ad fábricam inchoándam parátis, primum lápidem, juxta ecclesiásticum ritum, fundaméntaque felíciter jecérunt.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Cœpto ígitur et crescénte ædifício, cum illud esset magnæ molis et formæ mirábilis, non pótuit nisi post multos annos finíri. Quare postquam tem-

plum, quod nunc est máximum atque speciósum, fuit omníno perféctum, et in honórem vivíficæ crucis Christi consecrátum; capélla sub altári máximo ejúsdem templi artificióse exædificáta est, et nómine beátæ Euláliæ dicáta: in qua sepúlchrum fuit exstrúctum, et supra colúmnas contra ejus capéllæ altáre eréctum. Omnibus ergo hisce peráctis a Petro Aragóniæ rege et Ferrério Barcinonénsi epíscopo, de córpore beátæ Euláliæ e sacrário in próprium ejus sacéllum quamprímum transferéndo deliberátum est, diésque décima Július signáta, qua opportúne transferrétur.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Igitur dicta die, cum Petrus Aragóniæ et Jacóbus Majoricárum reges, una cum uxóribus suis regínis; cum étiam Bernárdus de Albis, sanctæ Románæ Ecclésiæ cardinális, et Ferrérius, Barcinonénsis epíscopus, simul cum multis áliis prælátis et persónis claríssimis, ad sacri córporis beátæ Euláliæ translatiónem celebrándam convenı́ssent; numerosíssima utriúsque sexus fidélium ordináta pompa, omni, qua pótuit, festíva celebritáte, corpus beátæ Euláliæ e templi sacrário extráctum, et húmeris clericórum asportátum, in ejus sepúlchrum sexto idus Júlii anni millésimi trecentésimi tricésimi noni fuit illátum. Ubi innúmeris clarum miráculis, diu noctúque ardéntibus multis lampádibus, in magna veneratióne servátur. Et fidélium christianórum ad sepúlchrum confluéntium numeróso concúrsu, beátæ Vírginis et Mártyris Euláliæ contínuis sacrifíciis atque oratiónibus, patrocínium invocátur. Hujus translatiónis festum decréto epíscopi Barcinonénsis celebrátur in tota ejus diœcési Domínica secúnda Júlii.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Símile est regnum cœlórum decem. de Com. 1. loc.

Lectio ix. Homiliæ et com. Dominicæ occurrentis.

Eadem Dominica.
In diœcesi Dertusensi.

Ss. Reliquiarum,

quæ in ecclesiis diœcesis asservantur.

Duplex.

Omnia de Comuni plurim. Mart., præter sequentia.

Oratio.

Auge in nobis Dómine resurrectiónis fidem, qui in sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Et fit comm. Dom. occurr.
In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex Tractátu sancti Joánnis Damascéni de fide orthodóxa.

Lectio iv. Lib. 4. Cap. 16.

Christus Dóminus sanctórum relíquias velut salutíferos fontes præbuit, ex quibus plúrima nobis benefícia manant, suavissimúmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam huic sermóni fidem détrahat; nam si aqua in desérto ex áspera et sólida rupe, atque ex ásini maxílla ad sedándam Samsónis sitim, Deo ita volénte, prosíliit, erítne cur cuíquam incredíbile videátur, ex Mártyrum relíquiis suáve unguéntum scaturíre? Mínime certe; iis quidem, quibus Dei poténtia honórque quo sanctos suos áfficit, perspéctus et explorátus est. Atque illud quidem véteri lege comparátum erat, ut quisquis mórtuum contigísset, immúndus censerétur; verum hi in mortuórum número mínime habéndi sunt.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Ex quo enim ípsamet vita, ac vitæ auctor inter mórtuos adscríptus est, eos, qui in spe resurrectiónis fideíque erga eum, diem extrémum clausérunt, mórtuos haudquáquam appellámus. Qui enim mórtuum corpus mirácula édere queat? Per ea dǽmones expellúntur, morbi profligántur, ægróti sanántur, cæci prospíciunt, leprósi mundántur, tentatiónes ac mœróres discutiúntur, ac dénique omne donum óptimum a Patre lúminum, eó-

rum ópera, ad eos, qui fide mínime dúbia póstulant, descéndit. Quid non labóris suscípias, ut patrónum quemdam nanciscáris, qui te mortáli regi ófferat, ac tuo nómine ad eum verba fáciat? An non ígitur hi honorándi sunt, qui totíus humáni géneris patrónos se profiténtur, ac Deo nostra causa súpplicant?

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vi.

Honorándi certe, et quidem ita, ut in eórum nómine templa Deo exstruámus, dona offerámus, eórum memóriam colámus, atque in ea spirituáliter oblectémur; quo nimírum lætítia nostra iis, a quibus invitámur, cóngruat, ne, dum eos cólere et demeréri studémus, offendámus pótius et irritémus. Quibus enim rebus Deus cólitur, iísdem quoque servi ipsíus oblectántur: quibus autem Deus offénditur, iísdem étiam ipsíus mílites offendúntur. Quocírca in psalmis, et hymnis, et cánticis spirituálibus, et compunctióne, et eórum, qui in egestáte versántur, commiseratióne, quibus obséquiis Deus potíssimum conciliátur, sanctos colámus; státuas ipsis et visíbiles imágines erigámus; imo ipsi virtútibus eórum imitándis hoc consequámur, ut vivæ eórum státuæ atque imágines simus.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno Homil. in Evang. Descéndens Jesus. de eodem Comm. 2. loco.

Lect. ix. Homil. et comm. Dom.

Die 5. Julii.

In tota ecclesiastica provinc. Tarracon. extra diœc. Vicens.

S. Michaëlis de Sanctis

Confessoris.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis, eadem die.

Aliud Officium

pro diœcesi Vicensi.

Duplex 1. cl. cum Oct.

In I. Vesperis.

Ant. et Cap. de Laud. 17*; Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Hymnus.

Glóriam sancti Michaélis hymnus
Cóncinat lætus: números sequátur
Cordis afféctus: decet hic amóris
Cultus alúmnum.

Divus edúxit téneris ab annis
Hunc amor, cœptis fácilem per arctas
Sémitas duxit, docuítque vita
Vívere Christi.

Qualis ad rupis látebras colúmba
Dírigit pennas métuens perícli,
Ordinis sanctæ Tríadis recéssus
Iste petívit.

Illico hac sancta júvenis palǽstra
Visus æquáles superáre, et ipsis
Visus exémplar sénibus regéndæ
Nórmaque vitæ.

Innocens corpus súbigit flagéllis,
Arte quod fractum vária, necáti
Vúlnerum Christi meditátio auget
Róbore firmo.

Súspicit mira pópulus nitentem
Luce, dum sacris operátur; atque
Cum Deo afflátus súbito corúscas
Fertur in auras.

Corde sed Jesu Míchaël amántem
Díligit Jesum: dedit hoc amóris
Munus, illi olim nimis ampla merces
Ipse futúrus.

Laus sit excélsæ Tríadi decúsque,
Cujus admíssus Míchaël supérnis
Sédibus, servo récipit paráta
Dona fidéli. Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Ego ero ei murus ignis in circúitu: et in glória ero in médio ejus.

Oratio ut ad Laud. 18*

Ad Matutinum.

Invitat. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Lux adest festo celebránda ritu,
Qua Deo plenus Míchaël solútus
Córporis vinclis, méruit beátis
Cívibus addi.

Urbium curas strepitúmque vulgi
Osus hic prima ténera juvénta,
Nec satis firmo pede bis recéssit
Móntium in antra.

Patre sed primum revocánte, rursus
Angelo, in tecto reperíre novit
Pátrio, cordi cúpido a negátis
Quæ petit antris.

Ordini addíctus Tríadis beátæ,
Quem sacrum nomen decórat, latére
Gaudet: at virtútum odor inde manans,
Pródere certat.

Sancta tunc mentem púeri quæ adússit
Cáritas, plene domináta, formam
Ad suam finxit, propriósque totam
Igne replévit.

Vúlnera hinc Christi meditári, opúsque
Rédditæ humáno géneri salútis:
Vírginem Matrem cólere hinc amántis
Péctore nati.

Omnium hinc ipsos ánimis amóres
Indere, atque ipsos adhibére motus:
Omnium corda immaculáta ab omni
Labe tuéri.

Laus sit excélsæ Tríadi decúsque,
Cujus admíssus Míchaël supérnis
Sédibus, servo récipit paráta
Dona fidéli. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Bonum est * viro, cum portáverit jugum ab adolescéntia sua: sedébit solitárius, et tacébit; quia levávit super se.

Ps. trium Nocturn. de Com. Conf. non Pont.

Ant. Addúcam eum * in montem sanctum meum, et lætificábo eum in domo oratiónis meæ.

Ant. Anima mea * desiderávit te in nocte: sed et spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Lect. Justus si morte. de eodem Communi 1. loco.

146

℟. i. Consummátus in brevi, explévit témpora multa: * Plácita enim erat Deo ánima illíus. ℣. Propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum. Plácita.

℟. ii. Invocávit Dóminum omnipoténtem in oppugnándo hostes circumstántes úndique, in oblatióne Agni immaculáti, * Et ante tempus finis vitæ suæ. ℣. Et sǽculi testimónium præbuit in conspéctu Dómini et Christi. Et.

℟. iii. Optávi, et datus est mihi sensus: et invocávi, * Et venit in me spíritus sapiéntiæ. ℣. Habébo propter hanc claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis. Et venit. Glória Patri. Et venit.

In II. Nocturno.

Ant Ego dilécto meo, * et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Ant Factum est * cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.

Ant. Minuísti eum * paulo minus ab ángelis, glória et honóre coronásti eum.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Lect. ut inter festa pro aliquib. locis, eadem die.

℟. iv. Dabo vobis cor novum, * Et spíritum novum ponam in médio vestri. ℣. Et fáciam ut in præcéptis meis ambulétis, et judícia mea custodiátis. Et.

℟. v. Qui timet Dóminum, nihil trepidábit, et non pavébit: * Quóniam ipse est spes ejus. ℣. Timéntis Dóminum beáta est ánima ejus. Quóniam.

℟. vi. Defécit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, * Et pars mea Deus in ætérnum. ℣. Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus. Et pars. Glória Patri. Et pars.

In III. Nocturno.

Ant. Sapiéntia * lucet in vultu ejus, et Potentíssimus fáciem illíus commutábit.

Ant. Justórum sémita, * quasi lux splendens, procédit et crescit usque ad perféctam diem.

Ant. Quam magna * multitúdo dulcédinis tuæ,quam abscondísti timéntibus te!

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus.

Hom. in Evang. Errátis. ut in Brev. Rom. die 21. Junii, cum ℟℟. sequ.

℟. vii. Fili mi, si sápiens fúerit ánimus tuus, * Gaudébit tecum cor meum. ℣. Præbe, fili mi, cor tuum mihi. Gaudébit.

℟. viii. Vígilans dilúculo ad Dóminum, invéni quem díligit ánima mea: * Ténui eum, nec dimíttam. ℣. Ego diléсto meo, et ad me convérsio ejus. Ténui. Glória Patri. Ténui.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. De excélso * misit ignem in óssibus meis, et erudívit me.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Et factus est * in corde meo quasi ignis exǽstuans: et deféci, ferre non sústinens.

3. Adhǽsit ánima mea * post te, quia fuísti adjútor meus.

4. Cor meum, * et caro mea exsultavérunt in Deum vivum.

5. Deus docuísti me * a juventúte mea: et usque nunc pronuntiábo mirabília tua.

Capitulum. Cant. 8.

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

Hymnus.

At parum sese Míchaël amáre
Cor suum incúsans quéritur; sibíque
Cor dari poscit, quod amóris ignis
Acrius urat.

Ore cum blando nímium querénti
Obvius Jesus látere ex apérto
Cor quasi apprénsum rápere, et suum illi
Trádere visus.

Jam cor hoc omnis rátio geréndæ
Vitæ ei: unus quin in eo movétur

℟. i. Consummátus in brevi, explévit témpora multa: * Plácita enim erat Deo ánima illíus. ℣. Propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum. Plácita.

℟. ii. Invocávit Dóminum omnipoténtem in oppugnándo hostes circumstántes úndique, in oblatióne Agni immaculáti, * Et ante tempus finis vitæ suæ. ℣. Et sǽculi testimónium prǽbuit in conspéctu Dómini et Christi. Et.

℟. iii. Optávi, et datus est mihi sensus: et invocávi, * Et venit in me spíritus sapiéntiæ. ℣. Habébo propter hanc claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis. Et venit. Glória Patri. Et venit.

In II. Nocturno.

Ant. Ego diléсto meo, * et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Ant. Factum est * cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.

Ant. Minuísti eum * paulo minus ab ángelis, glória et honóre coronásti eum.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Lect. ut inter festa pro aliquib. locis, eadem die.

℟. iv. Dabo vobis cor novum, * Et spíritum novum ponam in médio vestri. ℣. Et fáciam ut in præcéptis meis ambulétis, et judícia mea custodiátis. Et.

℟. v. Qui timet Dóminum, nihil trepidábit, et non pavébit: * Quóniam ipse est spes ejus. ℣. Timéntis Dóminum beáta est ánima ejus. Quóniam.

℟. vi. Defécit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, * Et pars mea Deus in ætérnum. ℣. Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus. Et pars. Glória Patri. Et pars.

In III. Nocturno.

Ant. Sapiéntia * lucet in vultu ejus, et Potentíssimus fáciem illíus commutábit.

Ant. Justórum sémita, * quasi lux splendens, procédit et crescit usque ad perféctam diem.

Ant. Quam magna * multitúdo dulcédinis tuæ, quam abscondísti timéntibus te!

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus.

Hom. in Evang. Errátis. ut in Brev. Rom. die 21. Junii, cum ℟℟. sequ.

℟. vii. Fili mi, si sápiens fúerit ánimus tuus, * Gaudébit tecum cor meum. ℣. Præbe, fili mi, cor tuum mihi. Gaudébit.

℟. viii. Vígilans dilúculo ad Dóminum, invéni quem díligit ánima mea: * Ténui eum, nec dimíttam. ℣. Ego dilécto meo, et ad me convérsio ejus. Ténui. Glória Patri. Ténui.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. De excélso * misit ignem in óssibus meis, et erudívit me.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Et factus est * in corde meo quasi ignis exǽstuans: et deféci, ferre non sústinens.

3. Adhǽsit ánima mea * post te, quia fuísti adjútor meus.

4. Cor meum, * et caro mea exsultavérunt in Deum vivum.

5. Deus docuísti me * a juventúte mea: et usque nunc pronuntiábo mirabília tua.

Capitulum. Cant. 8.

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

Hymnus.

At parum sese Míchaël amáre
Cor suum incúsans quéritur; sibíque
Cor dari poscit, quod amóris ignis
Acrius urat.

Ore cum blando nímium queréntí
Obvius Jesus látere ex apérto
Cor quasi apprénsum rápere, et suum illi
Trádere visus.

Jam cor hoc omnis rátio geréndæ
Vitæ ei: unus quin in eo movétur

Christus, atque uno Michaéle Christus
Vivit in ipso.
Víderit Christi spéciem perémpti,
Víderit Matris: super obstupéntem
Prótinus turbam volat, intus urgens
Quo rapit ardor.
Integer sacris parat hæc ab undis
Candor, et longas stúdium precándi
Ductum in horas, innumeróque scissum
Vérbere corpus.
Sic velut civis pátriæ futúræ,
Córporis nulla prohibénte lucta,
Vera prægústat Míchaël beátæ
Gaúdia vitæ.
Ipse, quem Jesus suo amóre adússit,
Cor tibi præbens, précibus benígnus
Fac tuis nostrum Míchaël cor ejus
Igne caléscat. Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Ego suscitávi * eum ad justítiam, et omnes vias ejus dírigam: ipse ædificábit civitátem meam.

Oratio.

Miséricors Deus, qui sanctum Michaélem Confessórem tuum morum innocéntia et mirábili caritáte præstáre voluísti: concéde, quæsumus; ut ejus intercessióne a vítiis liberáti et igne tui amóris succénsi, ad te perveníre mereámur. Per Dóminum.

Ad Tertiam.

Capit. Pone me. ut in Laud. 17*

℟. br. Amávit eum.

Ad Sextam.

Capitulum. Isai. 25.

Dómine Deus meus es tu, exaltábo te, et confitébor nómini tuo: quóniam fecísti mirabília.

℟. br. Os justi.

Ad Nonam.

Capitulum. Isai. 61.

Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo: quia índuit me vestiméntis salútis: et induménto justítiæ circúmdedit me, quasi sponsum decorátum coróna.

℟. br. Lex Dei.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesp. 13*, præter sequ.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. Dóminus Deus tuus * in médio tui fortis: gaudébit super te in lætítia, silébit in dilectióne sua, exsultábit super te in laude.

Die 7. Julii.

In diœcesi Urgellensi.

S. Odonis Episc. Conf. et Patroni.

Duplex 1. class. cum Oct.

In I. Vesperis.

Ant. de Laudib. 24* Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Capit. Ecce sacérdos. de Comm. Conf. Pont.

Hymnus.

Nóbili natus génere,
Odo, puram
Optimis mentem ímbuis institútis:
Unde mox inter júvenes decóra
Luce refúlges.

Córpore excéllens animóque forti,
Cíngulum sumis gladiúmque miles:
Sors movet rerum, movet et paréntis
Justa volúntas.

Hóstium pugnans teris omne robur,
Paúperes Christi prócerum rapínis
Eximis, lætus Dómino renásci
Jura favénte.

Pace jam parta, mónitus supérne
Abjicis ferrum grave, clericáli
Et recenséri plácidæ cohórti
Corde peróptas.

Præsulem clerus populúsque clamant
Voce concórdi, licet et relúctes:
Annuas tandem decet, atque sumas
Infulæ honórem.

Grátias summo méritas Paréntí
Réddite imménsas, Genitóque grates;
Flámini sancto pópuli Pyrénes
Réddite grates. Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Ad san-

cti patris nostri Odónis sepúlchrum cæci vident, muti loquúntur: sol rútilat, ejúsque ope, unda mitéscit.

Oratio ut infra ad Laud. 24*

Ad Matutinum.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequ.

Hymn. Nóbili natus. ut in I. Vesp. 19*

In I. Noct. Lect. Laudémus viros. de eodem Comm. 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Odo beatíssimus ecclésiæ Urgellénsis epíscopus, ex nobilissimórum Barcinonénsium, Aquitániæ et Urgélli cómitum génere, patrem hábuit Artállum Pallariénsem cómitem, et Lúciam matrem claríssimam féminam. Adhuc adolescéntulus, cum jam felícis ingénii spécimen dedísset, a paréntibus tráditus est magístris doctrína et eruditióne claris: a quibus lítteras et sciéntias edóctus, tantum in eis profécit, ut quid póstmodum futúrus esset re ipsa demonstráret. Ejus tamen proféctus multo fuére uberióres in sanctórum sciéntia, ad quam toto cordis sui rapiebátur afféctu. Ex qua tanta in eum manávit innocéntia vitæ, modéstia vultus, morum candor, ac tanta virtútum cópia, ut eminéret inter coætáneos omnes velut inter ignes luna minóres. Cum vero ad juvenílem pervenísset ætátem, talem ánimi magnitúdinem ac viríle robur osténdit, ut a paréntibus militári sit accínctus ense, quem ille certo respuísset, nisi obediéntia, ac potíssimum religiónis zelus eum compulíssent ad nequítiam prócerum comitátus patris sui compescéndam: qui non ecclésias tantum vexáre conabántur, et ecclesiásticas possessiónes dirípere; sed étiam paúperes Christi fœda incursióne mísere conflictábant.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Quod ut perfécit, justitiǽque vindex éxstitit acérrimus, béllica institúta clericáli cum milítia, ceu

semper optáverat, sine mora commutávit. In qua et archidiáconi munus Urgelléнsis ecclésiæ ad exémplum exércuit, et réliquo clero totíque fidéli pópulo virtútum ómnium splendóre præfúlsit. Quo factum est, ut, exstíncto schísmate, quod Urgellitánam ecclésiam afflíxerat, ac vacánte póstmodum ejúsdem throno, in eum tum cleri, tum prócerum, totíusque pópuli suffrágiis, invítus licet et relúctans, evéctus sit. Claromóntem proféctus, ubi tunc Urbánus secúndus Póntifex Máximus concílium generále habébat, ab eo et electiónis confirmatiónem et episcopálem consecratiónem accépit, ac étiam magníficum diplóma, quo Urgelléнsis ecclésiæ possessiónes confirmabántur. Urgéllum revérsus, contínuo ecclesiástica jura secúndum sacrórum cánonum sanctiónes, episcopáli sollicitúdine restítuit; scelerатórum hóminum insoléntiam, qui possessiónes ecclesiárum vi captas detinébant, cohíbuit, et ad restitutiónem cómpulit excommunicatiónis gládio; paúperum injúrias a poténtibus irrogátas, patérna caritáte redémit; pópuli mores, schísmate bellorúmque licéntia depravátos, omni solértia emendávit; prístinum disciplínæ nitórem redúxit; et cuncta ita perfécit, ut, eo vivénte, tota diœcésis vera Christi sóboles haberétur.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Quæ ut facílius obtinéret, nil intentátum relíquit, quo sánctior ipse in dies fíeret. Oratióni contínuus erat, et ministério verbi. Mortificatiónis ope ita sui ánimi corporísque motus ad Christi Dómini exémplar compósuit, ut irreprehensíbilis invenirétur; ac forma gregis factus ex ánimo, ómnibus documénto esset. Fuit vir prudens et simplex, affábilis allóquio, amábilis aspéctu, temperántia clarus, castitátis amátor, et vindex. In eo præcípue elúxit liberalitátis virtus, qua, dum egénis large aliménta præ-

bébat, eos ínterim divínis mónitis ac vultus hilaritáte recreábat. Quam caritátem ut in álios deriváret, tam in episcopáli civitáte quam in valle Liliténsi confraternitátes instítuit, quibus primórum Christianórum cœtus et ágapes revixísse videbántur. Tandem vir Dei multis defúnctus labóribus, ad Dómini sui ampléxum evolávit anno reparátæ salútis millésimo centésimo vigésimo secúndo, Nonis Júlii, postquam Urgélli sedem vigínti et octo annos rexísset. Eo vita functo, tot ac tanta ad ipsíus túmulum contigére mirácula, ut undécimo post mortem anno solémni ritu coli cœ́perit. Ejus singuláre præsídium Urgellitána cívitas, quæ eum venerátur patrónum, omni in calamitáte, potíssimum cum effúsis ímbribus aut vitiántur ségetes, aut Sícoris nimis intuméscit, ádeo præsens expérta est, ut secúra ipsíus opem implóret, sacrum ejus sepúlchrum discooperiéndo.

℟. Iste est qui ante.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 11. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo lucérnam accéndit, et in abscóndito ponit, neque sub módio: sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbýteri.

In Luc. lib. 4.

De seípso Dóminus hæc lóquitur, osténdens etsi supra díxerit nullum generatióni nequam nisi signum Jonæ dandum, nequáquam tamen lucis suæ claritátem fidélibus occultándam. Ipse quippe lucérnam accéndit, qui testam humánæ natúræ flamma suæ divinitátis implévit. Quam profécto lucérnam nec credéntibus abscóndere, nec módio suppónere, hoc est sub mensúra legis inclúdere, vel intra uníus Judǽæ gentis términos vóluit cohibére: Sed supra candelábrum, inquit, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant.

Candelábrum Ecclésiam dicit, cui lucérnam superpósuit: quia nostris in fróntibus fidem suæ Incarnatiónis affíxit, ut qui Ecclésiam fidéliter íngredi volúerint, lumen veritátis palam queant intuéri.

℟. Amávit eum.

Lectio viii.

Lucérna córporis tui, est óculus tuus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lúcidum erit: si autem nequam fúerit, étiam corpus tuum tenebrósum erit. Si, inquit, pura rectáque intentióne quæ potes ágere bona studúeris, lucis profécto sunt ópera quæ facis, etiámsi coram homínibus imperfectiónis áliquid habére videántur. Quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis, qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti. Si autem pervérsa est inténtio quæ præcédit, pravum est omne opus quod séquitur, quamvis rectum esse videátur. Vide ergo ne lumen, quod in te est, ténebræ sint: hoc est, ne ipsa cordis inténtio, quæ lumen est ánimæ, vitiórum calígine fuscétur, sédula discretióne perpénde. Juxta quod álibi præcípitur: Omni custódia serva tuum cor, quóniam ex ipso vita procédit.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Si ergo corpus tuum totum lúcidum fúerit, non habens áliquam partem tenebrárum, erit lúcidum totum, et sicut lucérna fulgóris illuminábit te. Totum corpus nostrum, ómnia nostra ópera dicit: quia et Apóstolus membra nostra núncupat quædam ópera, quæ ímprobat, et mortificánda præcipit, dicens: Mortificáte ergo membra vestra, quæ sunt super terram; fornicatiónem, immundítiam, libídinem, et cétera tália. Si ígitur ipse bonum bona intentióne patráveris non habens in tua consciéntia áliquam partem tenebrósæ cogitatiónis, etiámsi contígerit áliquem proximórum tua bona actióne nocéri, verbi grátia aut de pecúnia quam a te índigens et petens accéperat, fácere vel pati

áliquid mali, aut de verbo exhortatiónis coërrántem corrígere volébas, forte perniciósius erráre; tu tamen pro tuo símplici et lúcido corde et hic et in futúro lucis grátia donáberis.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Vade in hac fortitúdine tua, * et liberábis Israël de manu Mádian: scito quod míserim te.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Scio Deus meus * quod probes corda, et simplicitátem díligas: et pópulum tuum, qui hic repértus est, vidi cum ingénti gaúdio tibi offérre donária.

3. Dedit illi Dóminus * in præcéptis suis potestátem docére Jacob testimónia, et in lege sua lucem dare Israël.

4. Bona est eleemósyna * magis quam thesaúros auri recóndere: et ipsa est, quæ facit inveníre misericórdiam et vitam ætérnam, allelúja.

5. Ipsum elégit Dóminus, * offérre sacrifícium Deo, incénsum et bonum odórem, in memóriam placáre pro pópulo suo.

Cap., Hymn. et ℣. de Com.

Ad Bened. Ant. Tu virtútum ópifex, tu pátriæ decus, tu regiónis occíduæ ornaméntum, beatíssime Odo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui in cœlésti regno sanctum Odónem Confessórem tuum atque Pontíficem glória et honóre coronásti: concéde propítius; ut ejus précibus et méritis ita in hoc mundo vivámus, ut ad indeficiéntis vitæ prǽmia perveníre mereámur. Per Dóminum nostrum.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I., et loco ult. Ps. Meménto. et ℣. Justum.

Die 11. Julii.

In diœcesi Vicensi.

Septima die infra Octavam S. Michaëlis.

Semiduplex.

Omnia ut in Festo, præter sequentia.

Fit comm. S. Pii I. Pap. et Mart., ut in Breviar. Roman. eadem die.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

In festo S. Malachiæ.

Lectio iv.

Lætémur quod ángelus noster ascéndit ad cives suos, pro filiis captivitátis legatióne fungens, corda nobis concílians beatórum, vota illis íntimans miserórum. Lætémur, inquam, et exsultémus, quia cœléstis illa cúria ex nobis habet, cui sit cura nostri, qui suis nos prótegat méritis, quos informávit exémplis, miráculis confirmávit. Exsúltet in Dómino spíritus Michaélis, quod levátus póndere corpóreæ molis, nulla jam fæculénta vel terréna matéria prægravátur; quo minus tota alacritáte ac vivacitáte corpóream omnem et incorpóream tránsiens creatúram, pergat totus in Deum, et adhærens illi, unus sit cum eo spíritus in ætérnum.

℟. Dabo vobis.

Lectio v.

Festívitas tua sancte Míchaël, quæ mérito tuis virtútibus votíva impénditur, tuis nobis efficiátur méritis et précibus salutáris. Glória sanctitátis tuæ quæ a nobis frequentátur, continuátur ab Angelis: sic erit nobis digne jucúnda, si fúerit et fructuósa. Líceat nobis áliquas te migránte retinére relíquias de frúctibus spíritus, quibus onústus ascéndis, qui in tuo hódie tam delicióso convívio congregámur. Vita tua lex vitæ et disciplínæ, mors tua mortis portus et porta vitæ, memória tua dulcédo suavitátis et grátiæ, præséntia tua coróna glóriæ in manu Dómini Dei tui.

℟. Qui timet Dóminum.

Lectio vi.

O olíva fructífera in domo Dei! o óleum lætítiæ ungens et lucens, fovens benefíciis, corúscans miráculis! fac nos ejus qua frúeris lucis suavitatísque partícipes. O odoríferum lílium in ætérnum ante Dóminum gérminans, et florens, et spargens ubí-

que vivíficum suavitátis odórem, cujus apud nos memória in benedictióne est, apud súperos præséntia in honóre! da canéntibus te tantæ plenitúdinis participatióne non fraudári. O stella matutína eo céteris clárior, quo diéi vicínior, simílior soli! dignáre præíre nobis, ut et nos in lúmine ambulémus, quasi fílii lucis, et non fílii tenebrárum. O auróra diéscens super terram, sed superióres cœli plagas lux meridiána perlústrans! récipe nos in consórtio lúminis quo illuminátus, et late foris luces, et intus suáviter ardes: præstánte Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spíritu sancto vivit et regnat Deus, per ómnia sǽcula sæculórum. Amen.

℟. Defécit caro mea.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 22. c.

In illo témpore: Respóndens Jesus ait Sadducǽis: Errátis, nesciéntes Scriptúras, neque virtútem Dei. In resurrectióne enim neque nubent, neque nubéntur: sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

De hortat. ad Virginitat.

Audístis fílii quantum sit præmium integritátis. Regnum acquírit, et regnum cœléste, vitam Angelórum éxhibet. Hoc vobis suádeo, quo nihil púlchrius ut inter hómines Angeli sitis, qui nulla sibi ligántur nuptiárum cópula. Quóniam quæ non nubunt, et qui uxóres non ducunt, sicut Angeli in terris sunt, ut tribulatiónem carnis non séntiant, servitútem ignórent, a mundánæ cogitatiónis ablevéntur contágio, divínis rebus mentem inténdant: ut tamquam exúti córporis infirmitáte, non quæ hóminis sunt, sed quæ Dei sunt, cógitent.

℟. Fili mi.

Lectio viii.

Quid boni sit virgínitas, consideráte. Quis non venerábitur aulam pudó-

ris? Multas féminas Scriptúra divína in lucem evéxit; palmam tamen públicæ salútis solis virgínibus dedit. In véteri testaménto terra ac mari clausum Hebræórum pópulum virgo per mária pedes duxit; in Evangélio auctórem mundi et redemptórem virgo generávit. Virgo est Ecclésia, quam stúduit Apóstolus vírginem castam assignáre Christo: virgo est fília Sion: virgo est cívitas illa Jerúsalem, quæ in cœlo est, in quam nihil commúne intrat atque immúndum: virgo est et illa quam vocat Jesus, cui et dixit: Ades huc a Líbano sponsa, ades huc a Líbano, transíbis et pertransíbis a princípio fídei. Addit adhuc ad laudem virginitátis: Hortus clausus soror mea sponsa, hortus clausus, fons signátus: quod melióres áfferat fructus claústro pudóris septa virgínitas, in qua intemeráta permáneant castitátis signácula.

℞. Vígilans.

Lect. ix. et comm. S. Pii.

Die 12. Julii.

In diœcesi Vicensi.

Octava

S. Michaëlis de Sanctis

Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Festo, præter sequ.

Fit comm. Ss. Naboris et Socior. Mart., ut in Breviar. Roman. eadem die.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Gregórii Nazianzéni.

Lectio iv.

Oratio de S. Gorgon.

Michaélis pátria fuit supérna Jerúsalem, cívitas illa, quæ nequáquam óculis cérnitur: nobílitas autem, divínæ imáginis conservátio, ipsiúsque ad suum exémplar conformátio, quam rátio ac virtus effíciunt. Pudicítiæ quidem laude præstitit: nec modo omnes ætátis suæ, sed étiam véteres, qui eo virtútis génere floruísse dicúntur, antecélluit. Quis umquam dígnior fuit, qui in públicum se inférret? quis tamen rárius visus est? quis óculos æque frænávit? quis aú-

152

ribus suis jánuas magis impósuit? quis rursus eas divíno sermóni magis apértas hábuit? imo quis mentem linguæ moderatrícem magis præfécit? Unus illi rubor placébat, quem gignit pudor: unus candor, quem parit abstinéntia. Quodque præclaríssimum, non magis studébat óptimus vidéri, quam esse: quin pótius in abscóndito apud eum, qui abscóndita intuétur, pietátem luculénter excolébat.

℟. Dabo vobis.

Lectio v.

Nec vero ita terrénam córporis molem inédia fregit, ut ínterim húmilis et duri decúbitus phármacum áliis relínqueret: verum divinórum oraculórum lectióne, vel génuum labóre contabescéntium, et quasi solo hæréntium flexióne, vel mente sublími, miniméque vagánte, quis eum a se superátum gloriári queat? o squálidum corpus, et induméntum virtúte sola florens! o ánimam corpus prope modum étiam sine cibo, velut matériæ expers retinéntem, vel ut réctius loquar, o corpus sibi ipsi moriéndi necessitátem étiam ante mortem impónens, ut libertátem consequerétur ánima, nec a sénsibus impediménti quidquam accíperet! o noctes insómnes! o ténera membra in terram provolúta, sese áspere præter natúram exercéntia! o lacrimárum fontes! o spíritus fervórem præ oratiónis desidério nec frígora nec ténebras extimescéntem! o miram a baptísmo puritátem, et sponsam Christi ánimam in puro córporis thálamo! o Christi exinanítio, et servi forma, et passiónes, ipsíus mortificatióne decorátæ!

℟. Qui timet Dóminum.

Lectio vi.

Resolutiónis desidério tenebátur; neque quisquam ita pérdite corpus amat, ut ille, excúsis his compédibus, summo bono adjúngi cupiébat, eóque, quem amábat, addo étiam, a quo amabátur, toto pérfrui. Nec vero tam sublími divinóque desidério frustrátur; quodque eo majus est, prænotióne bo-

num illud præcipit. Cumque multa præcláre de futúra vita disseruísset, diémque extrémum, festívum ac solémnem diem fecísset; ita demum obdormíscit, plenus, non humanórum diérum, quos ne in votis quidem habébat; sed diérum secúndum Deum exactórum ita plenus, ut haud suam, an perínde quisquam eórum, qui in locupletíssima senectúte mortem obiérunt.

℟. Defécit caro mea.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 22. c.

In illo témpore: Respóndens Jesus ait Sadducǽis: Errátis, nesciéntes Scriptúras, neque virtútem Dei. In resurrectióne enim neque nubent, neque nubéntur: sed erunt sicut Angeli Dei. In cœlo. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 1. de Virgin.

Non meum est illud, quóniam qui non nubent, neque nubéntur, erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Nemo ergo mirétur, si Angelis comparéntur, qui Angelórum Dómino copulántur. Quis ígitur neget hanc vitam fluxísse de cœlo, quam non fácile invénimus in terris, nisi postquam Deus in hæc terréni córporis membra descéndit? Tunc in útero virgo concépit, et Verbum caro factum est; ut quod caro factum est, caro fíeret Dei: tunc toto orbe diffúsus corpóribus humánis vitæ cœléstis usus inolévit. Hæc est cœléstis illa milítia, quam laudántium exércitus Angelórum promittébat in terris.

℟. Fili mi.

Lectio viii.

Cástitas Angelos facit: qui eam servávit, Angelus est: qui pérdidit, diábolus. Nam de resurrectióne quid dicam, cujus prǽmium jam tenétis? In resurrectióne autem neque nubent, neque nubéntur: sed erunt sicut Angeli, inquit, in cœlo. Quod nobis promíttitur, vobis præsto est, votorúmque nostrórum

usus apud vos est. De hoc mundo estis, et non estis in hoc mundo. Sǽculum vos habére méruit, tenére non pótuit.

℟. Vígilans.

Lectio ix.

Quam præclárum autem Angelos propter intemperántiam suam in sǽculum cecidísse de cœlo, vírgines propter castimóniam in cœlum transísse de sǽculo. Beátæ vírgines, quas non illécebra sollícitat córporum, non collúvio præcípitat voluptátum. Cibus parcimóniæ, potus abstinéntiæ docet vítia nescíre, qui docet causas nescíre vitiórum.

Te Deum laudámus.

In Laudibus fit commem. Ss. Mart.

Die 14. Julii.

In diœcesi Urgellensi.

Octava

S. Odonis Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia ut in Festo, præter sequentia.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

In Natali S. Cypriani Mart.

Sanctíssimus et solemníssimus dies, atque huic ecclésiæ ornaménto familiárior et præclárior, lætificándis nobis hodiérnus illúxit, quem sua nobis glória Odo beatíssimus illustrávit. Cujus reveréndi epíscopi laúdibus nulla lingua sufficeret, nec si se ipse laudáret. In hoc ítaque sermóne nostro, quem de illo débitum vestris aúribus rédimus, magis approbáte voluntátis affectum, quam exígite facultátis efféctum.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Sic enim et laúdibus Dei, quibus non solum orátio, sed ne cogitátio quidem ulla satis est, cum se sanctus laudátor minus idóneum cérneret, ait: Voluntária oris mei beneplácita fac Dómine. Hoc et ego díxerim: sit étiam ista mea devótio, ut si par non sum ad explicándum quod volo, accépto ferátur, quia volo. Quid enim nisi Dei

sunt laudes sancti Pontíficis laudes? Aut cujus honor est Odo ad Deum toto corde convérsus, nisi ejus, cui dictum est: Deus virtútum convérte nos?

℞. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Cujus opus est Odo hujus plebis doctor, nisi ejus, cui dictum est: Doce me justificatiónes tuas? Cujus opus est Odo pastor, nisi ejus, qui dixit: Dabo vobis pastóres secúndum cor meum, et pascent vos cum disciplína? Postrémo cujus opus est Odo in ómnibus victor, nisi ejus, de quo dictum est: In ómnibus supervíncimus per eum, qui diléxit nos? Non ergo recédimus a laúdibus Dei, quando laudámus ópera Dei in antístite Dei.

℞. Iste est qui ante.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 11. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo lucérnam accéndit, et in abscóndito ponit, neque sub módio: sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 20. in Matth.

Non dicit tantum, Si eleemósynam erogáveris, ea servátur; sed contrárium comminátur: Si non déderis, perit tibi. Quod autem dicit, hujúsmodi est: Ne defódias aurum in terra, nec quídpiam símile: nam tíneæ, ærúgini et fúribus hæc cóngregas. Etiámsi vero hæc damna effúgeris, id tamen non effúgies, quod cor tuum in servitútem redigátur, et terrénis infigátur. Ubi enim fúerit thesaúrus tuus, ibi erit et cor tuum. Si porro in cœlo depónas, non hunc modo fructum pércipis, quod prǽmia pro his paráta consequáris; verum hic jam mercédem áccipis, quod illo translátus sis, quod cœléstia sápias, et de illis sollícitus sis. Palam enim est te illo ánimum transtulísse, ubi thesaúrum deposuísti.

℞. Amávit eum.

Lectio viii.

Céterum si in terra deposúeris, contrária experiéris. Quod si tibi jam dicta obscúra sint, audi sequéntia: Lucérna córporis tui est óculus. Si ígitur óculus tuus simplex fúerit, totum corpus tuum lúcidum erit: si vero óculus tuus fúerit nequam, totum corpus tuum tenebrósum erit. Si ergo lumen, quod in te est, ténebræ sint, ipsæ ténebræ quantæ erunt? Ad magis sensibília sermónem dedúcit. Quia enim de mente jam locútus erat, ut in servitútem redácta et captíva, id quod a multis non fácile póterat intélligi; ad extérna et óculis subjécta sermónem transfert, ut ab his illa intellígere possent. Nam si non nosti, inquit, quid sit mentis damnum, a corpóreis hoc edísce: quod enim óculus est córpori, hoc mens est ánimæ.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Quemádmodum enim numquam optes auro ornári, et séricis índui véstibus, simúlque excæcári óculis; sed horum incolumitátem toti hujúsmodi apparátui anteponéndam exístimes: nam si visum perdas, nihil tibi réliqua vita prodest. Sicut enim excæcátis óculis, reliquórum fere membrórum operátio abscédit, exstíncta luce; sic corrúpta semel mente, innúmeris vita malis replébitur. Quemádmodum ergo in córpore hoc curámus, ut óculus sit sanus; sic de mentis sanitáte curándum. Si hanc excæcémus, quæ áliis lucem ministráre debet, unde jam aspícere potérimus? Sicut enim qui fontem aufert, flúvium exsíccat; sic qui mentem óbruit, omnes ejus in hac vita operatiónes obscurávit. Ideo ait: Si lumen, quod in te est, ténebræ sint, ipsæ ténebræ quantæ? Nam cum gubernátor submérgitur, et lucérna exstínguitur, et dux cápitur, quæ spes póstea súbditis?

Te Deum laudámus.

Die 23. Julii.

In tota ecclesiast. provincia Tarracon.

S. Liborii Episc. et Conf. Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequ.

Oratio. Exaúdi. de Comm.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Libórius, honéstis paréntibus in Gállia natus, et ab ineúnte ætáte caducárum rerum illécebras aversátus, egrégiam índolem præcláris móribus et humanárum sacrarúmque litterárum stúdiis ádeo diligénter excóluit, ut procéssu témporis probitátis ac sapiéntiæ profíciens increméntis, maturitátem virílis ornáret ætátis. Clero adscríptus ac offíciis functus ecclesiásticis, ámplius totum se divíno cúltui mancipávit, studuítque cunctos actus cogitatúsque suos ita ad ratiónis normam dírigere, ut nihil appéteret pœniténdum. Modéstia ítaque, abstinéntia, castimónia aliísque virtútibus conspícuus, Pavácio Cenomanénsi epíscopo defúncto, unánimi civitátis consénsu quartus ejúsdem sedis antístes suffícitur.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Ea dignitátis accessióne nihil intérius im̃utátus, in concrédita sibi Dómini vínea excolénda totus fuit. Assídua prædicatióne, vitæ innocéntis exémplo, et effúsa in paúperes caritáte præcípue insígnis, pópuli mores reformávit, ac potens in ópere et sermóne, multos integritáti vitæ fideíque restítuit. Domus Dei decórem et cultum egrégie promóvit ædificátis septémdecim ecclésiis, in quibus pro jugi divinórum officiórum celebratióne et affluéntibus pópulis sacrórum dispensatióne, divérsi órdinis minístros instítuit. Tandem quadragínta novem annis in episcopátu sanctíssime transáctis, obdormívit in Dómino décimo Kaléndas Augústi. Eum in cilício decumbéntem et ad cœléstem pátriam anheléntem, beátus Martínus Turonénsis epíscopus ab Angelo mónitus invísit, mortuúmque in sub-

155

urbána ecclésia honorífice sepelívit, ubi multis póstea miráculis coruscávit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Verum post debellátam a Cárolo Magno Saxóniam et Christi jugo subáctam, Badurádus secúndus Paderbórnæ in Westphália epíscopus, cum adhuc rudem in fide pópulum ad avítas Gentílium superstitiónes sese convertentem animadvertísset, quo illum ab ejúsmodi erróribus per novum patrónum ac intercessórem apud Deum revocáret, divíno mónitu ab Aldríco Cenomanénsi antístite Libórii corpus impetrávit, et máxima cum celebritáte suscépit anno salútis octingentésimo trigésimo sexto. Sacræ relíquiæ cum transferréntur, omnes illas regiónes mira signórum frequéntia illustrárunt: quorum fama in dies percrebescénte, magnum ubíque Libórii nomen esse cœpit. Sed ejus virtus contra nephríticos dolóres præcípue claréscit, contínuis testáta benefíciis: ob quæ peculiári fidélium pietáte multis in regiónibus celebrátur.

℟. Iste est.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte, quia nescítis. de Communi 2. loco.

Die 27. Julii.

In diœcesi Barcinon.

S. Cucuphatis Martyris.

Duplex.

Omnia de Com. unius Mart., præter sequ.

Oratio. Præsta... ut qui. de eodem Comm. 3. loco.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex Breviariis, Martyrolog. Prudentio, et historiis antiquis.

Lectio iv.

Cúcuphas, natióne Afer, nobílibus et christiánis paréntibus in Scillitána urbe natus, una cum Felíce in Cæsaréam civitátem, quæ província Cæsariénsis caput erat, ad lítteras perdiscéndas missus, magnos ibi in lítteris, sed multo majóres in fide ac spíritu cum suo cómite fecit proféctus. Cumque utrúmque ardens tenéret amor martýrii, ambo

in Hispániam, ubi acerbíssimam exspectári advérsus Christiános persecutiónem intellexérunt, navigántes, magno Dei consílio Barcinónem appulérunt. Ibi intelligéntes Daciánum prǽsidem, Christianórum inimícum, per Gállias in Hispániam appropinquáre, Felix valedícens Cucupháti, primum Empórias, deínde Gerúndam proféctus, tyránno óbvius fíeri vóluit. Cúcuphas autem Barcinóne tyránnum exspectáre, et ad martýrium se jejúniis et oratiónibus præparáre decrévit. Quod sane divínitus factum est: ut sic Gerúnda sublimarétur Felíce, et Bárcino decorarétur Cucupháte. Ubi ergo crudélis Daciánus Barcinónem pervénit, mox ad eum Cúcuphas, cujus fama propter vitæ sanctitátem et verbi divíni prædicatiónem ómnibus erat notíssima, fuit delátus.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Quamóbrem jussu prǽsidis captus, et in cárcerem conjéctus, multísque modis, ut idólis sacrificáret, tentátus; cum constans semper in fídei confessióne persísteret, primum Galério præfécto cruciándus tráditur. Qui ferína rábie in Mártyrem sǽviens, duódecim fortíssimis milítibus jussit, ut eum per vices suas támdiu flagéllis percúterent, et úngulis férreis atque scorpiónibus dilaniárent, donec ab illo spíritum extorquérent. Quo torménto cum jam corpus esset pene dilaniátum, et víscera in terram essent deflúxa, Mártyris oratióne tortóres, Deo ultóre, cæcitáte percutiúntur; Galérius cum suis idólis, repénte consúmptus périit: Cúcuphas autem, viscéribus in suum locum apte restitútis, mirabíliter sanátur. Propter quod miráculum multi, relícta idolórum superstitióne, fidem Christi accepérunt. In locum Valérii Maximiánus suffféctus, Mártyrem jubet a tortóribus in cratícula assári, et ejus ambústum corpus sinápi atque acéto perfúndi: quo in torménto Cúcuphas Deo psallens, divínitus ipse sanátur; tor-

tóres vero igne consumúntur.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Verum hæc dæmonum præstígiis adscríbens tyránnus, ingéntem ignis flammam parári, ibíque Mártyrem cremári ímperat. In cujus médio intáctus Martyr dum orat ad Deum, ita ejus oratióne ignis exstínctus est, ut nec tepor incéndii ullus remánserit. Quare confúsus Maximiánus, in cárcerem redúci Mártyrem præcipit, ut quid consílii cápiat, in nocte cógitet. Sed ipsa nocte cœlésti splendóre Martyr miríﬁce recreátur, et custódes cárceris extérno lúmine ad intérnam dedúcti lucem, in Christum credidérunt. Hoc ubi rescívit tyránnus, Mártyrem virgis férreis et taúreis ad mortem usque cædi jubet: quo in cruciátu orans Cúcuphas, ad ejus oratiónem Maximiánus, qui curru ascénso, ad templum idólis sacrificatúrus properábat, de curru in terram lapsus, mísere exstínctus est; idóla vero páriter collápsa, in púlverem sunt redácta. Dénique Maximiáno succédens Rufínus, quasi in antecessóribus victus, non ultra contra Mártyrem ágere torméntis est ausus; sed lata senténtia, Cucuphátem gládio feríri imperávit. Quare ignis, ferri et tortórum immanitáte superáta, Cúcuphas secúri percússus, insígnem martýrii palmam octávo Kaléndas Augústi est consecútus. Cujus corpus Barcinóne primum sepúltum, póstea in Gálliam translátum, et in ecclésia sancti Dionýsii, quæ non procul a Lutétia Parisiórum distat, recónditum est.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Si quis vult post me veníre. de Com. 2. loco.

Et fit in Laud. et Vesp. comm. Oct. S. Jacobi Apost.

Dominica proximior
Kalendis Augusti.

In diœcesi Barcinonen.

In Translatione

S. Severi Episc. et Mart.

Duplex majus.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nobis júgiter præstolántibus beáti Sevéri Mártyris tui gloriósa pígnora concessísti: da, ut tanti prǽsulis nota præsídia sentiámus, cujus Translatiónis diem solémniter cólimus. Per Dóminum nostrum.

Et fit comm. Dom. occurr.

Ad Matutinum.

In I. Noct. Lect. A Miléto. de eodem Comm.

In II. Nocturno.

Ex Breviario Barcinon. et historiis.

Lectio iv.

Cum Martínus Aragóniæ rex, vir morum integritáte et christiána religióne vere illústris, altérius pedis intérno grassánte vúlnere gráviter laboráret, jamque médicis atque chirúrgis réliquo cruri vitǽque consuléntibus, ejúsdem pedis abscíssio ex arte médica fuísset decréta; ad preces et obsecratiónes, tamquam ad efficácia remédia, quæ humánis multo sunt potentióra, convértere ánimum suum decrévit. Quare contríto corde, speque in Deum atque sanctórum patrocínium eréctus, beátum Sevérum epíscopum et Mártyrem Barcinonénsem ex íntimo afféctu rex pius supplíciter ínvocat; ut sibi córporis vitam et sanitátem ad Dei glóriam, ad regnórum suórum utilitátem, et ad régiæ suæ famíliæ cómmodum ímpetret. Vota vovet, quibus multa se factúrum in honórem sancti pontíficis et Mártyris Sevéri pollicétur: epíscopos, clerum virósque religiósos hortátur, ut se ad id consequéndum oratiónibus suis ádjuvent.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

His peráctis, ecce per quiétem sub médiæ noctis tempus devóto regi visus est adésse beátus póntifex Sevérus, qui plácido vultu eum álloquens, bono esse ánimo jubet, sibíque a Deo vitam dari, ac pedis sanitátem integritatémque restitútum iri denúntiat. Hoc tamen læto núntio recreátus, tamque salúbri médico æger fretus, somno póstea expergefáctus, eo prorsus mor-

bo se absque ulla pedis offénsa liberátum, et íntegræ sanitáti restitútum sentit. Qua de re, quanta rex ipse ánimi sui voluptáte afféctus fúerit, quanto benefício omnes ejus súbditi fúerint cumuláti, quanta ejúsdem régia família fúerit lætítia perfúsa, non fácile quivis explicáre póterit. Contestátæ id sunt immortáles grátiæ, quas omnes Deo egérunt, qui gloriósus est in sanctis suis, et sanctus in ómnibus opéribus suis: qui sperántes in se exaúdit: contrítis corde, humílibus atque tribulátis adest, et eósdem a perículis opportúne líberat.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Tanto ergo miráculo rex Martínus admónitus, memor votórum corpus beáti Sevéri, quod servabátur in cœnóbio sancti Cucuphátis, cui olim Castum Octaviánum erat nomen, ubi sanctus Martyr fúerat coronátus, Barcinónem asportári decérnit. Hac de re cum summo Pontífice per lítteras et per oratórem suum diligentíssime agit, ut sacrárum reliquiárum translatiónem a dicto loco in cathedrálem ecclésiam Barcinonénsem, cujus præsul exstíterat, fíeri concédat: quod et fácile impetrávit. Legatióne étiam ad cœnóbium facta, prudentíssime modum præscríbit, quo ómnia ad dictam translatiónem pertinéntia componántur. Dénique cœnóbio per liberalíssimum regem magnis ópibus in sui grati ánimi significatiónem locupletáto, prídie Nonas Augústi, salútis nostræ anno millésimo quadringentésimo quinto, cum celebérrima pompa fuit beáti Sevéri corpus in templum máximum Barcinonénse transportátum. Cujus translatiónis festum Domínica prima Augústi quotánnis in ecclésia et diœcési Barcinonénsi devóte celebrátur.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homilia in Evangel. Si quis vult post me veníre. de Comm. 2. loco. Lectio ix. Homil. et comm. Domin. occurr.

FESTA AUGUSTI.

Die 1. Augusti (vel alia die extra diœc. Gerund.)

In tota ecclesiast. provincia Tarracon.

S. Felicis Africani Mart.

Duplex.

In diœc. Gerund. Dupl. 2. cl.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Felícem veheménti martýrii stúdio inflammásti: córdibus nostris cœléstis pátriæ amórem infúnde; ut ab ea nec prósperis nec advérsis abducámur. Per Dóminum.

In diœc. Gerund. fit comm. Oct. S. Jacobi Apost., ut in I. Vesp. Festi.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. In diœc. Gerund. Fratres: Debitóres. de Comm. plurim. Mart., cum ℟℟. de Comm. unius Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Felix, natióne Afer, pátria Scillitánus, quæ cívitas multis olim martýribus flóruit, cum Cæsaréæ in Mauritánia, ubi litterárum stúdiis vacábat, cruéntam insectatiónem christiáno nómini ab imperatóribus Diocletiáno et Maximiáno in Hispániis excitátam audísset, martýrii cúpidus, conscénsa mercatórum nave, Barcinónem áppulit: Inde Empórias návigans, et aliquámdiu ibi non sine magno multórum proféctu et increménto cathólicæ fídei commorátus, Gerúndam se cóntulit: ubi talem sese docéndis confirmandísque in christiána fide ac pietáte pópulis exhíbuit, ut tamquam doctor et apóstolus et prophéta suspicerétur. Ob eam rem jussu Daciáni a Rufíno comprehénsus, et frustra ab eo ut christiánam religiónem deséreret tentátus, virgis crudelíssime cæsus, mánibus pedibúsque devínctus, in tetrum cárcerem negáto cibo potúque conjícitur. Tum caténis gravióribus onústus per urbis vias ab indómitis mulis tráhitur, laceratúrque: sed in cárcerem retrúsus, ea nocte ab Angelo invísitur, et sanátur.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Postrídie ejus diéi ad aras idolórum addúctus ut eis immoláret, cum nec minis nec illécebris, non dicam expugnári, sed ne mínimum quidem labefíeri ejus constántia potuísset, úngulis férreis excarnificátus, inversóque cápite ab hora tértia usque ad vésperam sine ullo dolóris indício suspénsus, ad cárcerem redúcitur. Ea nocte custódes, qui áderant, cœlésti splendóre perfúsum locum illum squálidum vidérunt, et suavíssimis Angelórum concéntibus úndique personántem audiérunt. Quod cum Rufíno nuntiátum esset, furóre pércitus, victúmque se Mártyris toleràntia et firmitáte séntiens, jussit eum colligátis post tergum mánibus in mare demérgi. Sed inde étiam cum Angelórum ministério evasísset incólumis, et, mirabíliter dirúptis vínculis, per maris undas firmo gressu incédens ad littus venísset, jussus est íterum férreis úngulis sulcári atque éffodi, et támdiu usque ad ossa laniári, donec invíctum Christo spíritum rédderet. Nec vero vicit Mártyrem tyránnus, quem scílicet torquéndo victórem, et occidéndo fecit immortálem.

℟. Desidérium.

Lectio vi.

Corpus beatíssimi Felícis Gerúndæ cónditum fuit, et magna populórum veneratióne cum nostrátium tum exterórum ubíque celebrátum, uti complúrima templa ejus nómini consecráta demónstrant. Rex ipse Gothórum Reccarédus tam insígni pietáte et obséquio erga hunc Mártyrem Gerundénsem fuísse memorátur, ut régiam ipsam dignitátem ei devóverit, cum vidélicet aúream corónam, qua ipse uti consuéverat, ad ejus sepúlchrum venerabúndus donásset. Sacrum Mártyris caput exstat in collegiáli basílica ejúsdem civitátis título sancti Felícis insigníta, ubi festo ipsíus die recurrénte, solémni ritu adorándum pópulis expónitur. ℟. Stola.

In III. Nocturno Homilia in Evangel. Si quis venit, de Comm. 1. loco.

Lect. ix. de Ss. Machabæis Mart., ut in Breviar. Roman. ead. die 1. Aug. In diœc. Gerund. fit comm. Oct. in Laud. et II. Vesp., addita in Laud. comm. Ss. Mart.

Die 2. Augusti.

In civitate Dertusensi.

S. Angeli Custodis

Patroni civitatis.

Duplex 1. classis cum Oct.

In I. Vesperis.

Ant. et Cap. de Laudib. 47* Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Hymnus.

Custódes hóminum psállimus Angelos,
Natúræ frágili quos Pater áddidit
Cœléstis cómites, insidiántibus
Ne succúmberet hóstibus.

Nam quod corrúerit próditor ángelus,
Concéssis mérito pulsus honóribus,
Ardens invídia péllere nítitur
Quos cœlo Deus ádvocat.

Huc custos ígitur pérvigil ádvola,
Avértens pátria de tibi crédita
Tam morbos ánimi, quam requiéscere
Quidquid non sinit íncolas.

Sanctæ sit Tríadi laus pia júgiter,
Cujus perpétuo númine máchina
Triplex hæc régitur, cujus in ómnia
Regnat glória sǽcula. Amen.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Ad Magnif. Ant. Omnes sunt administratórii spíritus in ministérium missi propter eos, qui hæreditátem cápiunt salútis.

Oratio ut in Laud. 48*

De S. Stephano nihil.

Ad Matutinum.

Invit. Regem Angelórum Dñm, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymn. Custódes. supra.

In I. Nocturno.

Ant. Dóminus Deus * cœli et terræ, ipse mittet Angelum suum coram te.

Ps. 8. Dómine Dóminus noster. et reliqui ut in Officio votivo in fine Brev.

Ant. Deus meus * misit Angelum suum, et conclúsit ora leónum, et non nocuérunt mihi.

Ps. 10. In Dño confído.

Ant. Bene ambulétis, * et Dóminus sit in itínere vestro, et Angelus ejus comitétur vobíscum.

Ps. 14. Dómine quis.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum aúreum in manu sua.

De libro Exodi.

Lectio i. Cap. 23. d.

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, et custódiat in via, et introdúcat in locum quem parávi. Obsérva eum, et audi vocem ejus, nec contemnéndum putes: quia non dimíttet cum peccáveris, et est nomen meum in illo. Quod si audíeris vocem ejus, et féceris ómnia quæ loquor, inimícus ero inimícis tuis, et afflígam affligéntes te. Præcedétque te Angelus meus.

℟. Angelis suis Deus mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis: * In mánibus portábunt te, ne umquam offéndas ad lápidem pedem tuum. ℣. Míllia míllium ministrábant ei, et décies míllies centéna míllia assistébant ei. In mánibus.

Ex Zacharía Prophéta.

Lectio ii. Cap. 1. b.

Factum est verbum Dómini ad Zacharíam fílium Barachíæ, fílii Addo, prophétam, dicens: Vidi per noctem, et ecce vir ascéndens super equum rufum, et ipse stabat inter myrtéta, quæ erant in profúndo: et post eum equi rufi, várii, et albi. Et dixi: Quid sunt isti, dómine mi? Et dixit ad me Angelus, qui loquebátur in me: Ego osténdam tibi quid sint hæc. Et respóndit vir, qui stabat inter myrtéta, et dixit: Isti sunt, quos misit Dóminus ut perámbulent terram. Et respondérunt Angelo Dómini, qui stabat inter myrtéta, et dixérunt: Perambulávimus terram, et ecce omnis terra habitátur, et quiéscit.

℟. Respóndit Angelus Dómini, et dixit: Dómine exercítuum, * Usquequo

tu non miseréberis Jerúsalem, et úrbium Juda, quibus irátus es? ℣. Iste enim septuagésimus annus est. Usquequo.

Lectio iii. Cap. 2.

Et levávi óculos meos, et vidi: et ecce vir, et in manu ejus funículus mensórum. Et dixi: Quo tu vadis? Et dixit ad me: Ut métiar Jerúsalem, et vídeam quanta sit latitúdo ejus, et quanta longitúdo ejus. Et ecce Angelus, qui loquebátur in me, egrediebátur, et Angelus álius egrediebátur in occúrsum ejus. Et dixit ad eum: Curre, lóquere ad púerum istum, dicens: Absque muro habitábitur Jerúsalem præ multitúdine hóminum, et jumentórum in médio ejus. Et ego ero ei, ait Dóminus, murus ignis in circúitu: et in glória ero in médio ejus.

℟. In conspéctu Géntium nolíte timére: vos enim in córdibus vestris adoráte et timéte Dóminum: * Angelus enim ejus vobíscum est. ℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum aúreum in manu sua. Angelus. Glória Patri. Angelus.

In II. Nocturno.

Ant. Cum essem vobíscum, * per voluntátem Dei eram: ipsum benedícite, et cantáte ei.

Ps. 18. Cœli enárrant.

Ant. Tollens se Angelus Dómini, * qui præcedébat castra Israël, ábiit post eos.

Ps. 23. Dómini est terra.

Ant. Immíttet Angelus Dómini * in circúitu timéntium eum, et erípiet eos.

Ps. 33. Benedícam Dñm.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

In Psalmum Qui hábitat.

Lectio iv.

Angelis suis mandávit de te. Mira dignátio, et vere magna diléctio caritátis. Quis enim? quibus? de quo? quid mandávit? Studióse considerémus, fratres, diligénter commendémus memóriæ hoc tam grande mandátum. Quis enim mandávit? cujus sunt Angeli? cujus mandátis obtémpe-

rant? cujus obédiunt voluntáti? Nempe Angelis suis mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis. Nec cunctántur, quin étiam in mánibus tollant te. Summa ergo majéstas mandávit Angelis, et Angelis suis mandávit. Illis útique sublímibus, tam beátis quam próximis sibi cohæréntibus, et vere doméssticis mandávit de te. Tu quis es? Quid est homo, quod memor es ejus? aut fílius hóminis, quóniam réputas eum? Quasi vero non sit homo putrédo, et fílius hóminis vermis. Sed quid putas mandávit de te? Ut custódiant te.

℟. Vivit ipse Dóminus, * Quóniam custodívit me Angelus ejus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde huc reverténtem. ℣. Et non permísit me Dóminus ancíllam suam coinquinári. Quóniam.

Lectio v.

Quantam tibi debet hoc verbum inférre reveréntiam, afférre devotiónem, conférre fidúciam! Reveréntiam pro præséntia, devotiónem pro benevoléntia, fidúciam pro custódia. Caute ámbula, ut vidélicet, cui adsunt Angeli, sicut eis mandátum est, in ómnibus viis tuis. In quovis diversório, in quovis ángulo Angelo tuo reveréntiam habe. Tu ne aúdeas illo præsénte, quod vidénte me non audéres. An præséntem esse dúbitas, quem non vides? Quid si audíres? Quid si tángeres? Quid si olfáceres? Vide, quia non solo visu rerum præséntia comprobétur.

℟. Angelus Dómini descéndit cum Azaría et sóciis ejus in fornácem, et excússit flammam ignis de fornáce: * Et non tétigit eos omníno ignis, neque contristávit. ℣. Benedíctus Deus eórum, qui misit Angelum suum, et éruit servos suos qui credidérunt in eum. Et.

Lectio vi.

In ipso ítaque, fratres, affectuóse diligámus Angelos ejus, tamquam futúros aliquándo cohærédes nostros, ínterim vero actóres et tutóres a Patre pósitos, et præpósitos nobis.

Quid sub tantis custódibus timeámus? Nec superári, nec sedúci, minus autem sedúcere possunt, qui custódiunt nos in ómnibus viis nostris. Fidéles sunt, prudéntes sunt, poténtes sunt: quid trepidámus? Tantum sequámur eos, adhæreámus eis, et in protectióne Dei cœli commorémur. Quóties ergo gravíssima cérnitur urgére tentátio, et tribulátio véhemens imminére, ínvoca custódem tuum, ductórem tuum, adjutórem tuum in opportunitátibus, in tribulatióne: incláma eum, et dic: Dómine salva nos, perímus.

℟. In omni tribulatióne eórum non est tribulátus, * Et Angelus faciéi ejus salvávit eos. ℣. In dilectióne sua, et indulgéntia sua ipse redémit eos, et portávit eos, et elevávit eos cunctis diébus sǽculi. Et. Glória Patri. Et.

In III. Nocturno.

Ant. Misit Dóminus * Angelum suum, qui percússit omnem virum robústum, et bellatórem, et príncipem exércitus regis Assyriórum.

Ps. 95. Cantáte Dómino . . . cantáte.

Ant. Adoráte Dóminum * omnes Angeli ejus: audívit, et lætáta est Sion.

Ps. 96. Dóminus regnávit.

Ant. Benedícite Dómino * omnes Angeli ejus, poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Ps. 102. Bénedic ánima mea.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 18.

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno cœlórum? Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

Comment. in Matth. can. 18. post initium.

Nónnisi revérsos in natúram puerórum introíre regnum cœlórum Dóminus docet: id

est, per simplicitátem puerílem vítia córporum nostrórum animǽque revocánda. Púeros autem credéntes omnes per audiéntiæ fidem nuncupávit. Hi enim patrem sequúntur, matrem amant, próximo velle malum nésciunt, curam opum négligunt: non insoléscunt, non odérunt, non mentiúntur, dictis credunt, et quod aúdiunt, verum habent. Reverténdum ígitur est ad simplicitátem infántium: quia in ea collocáti, spéciem humilitátis Domínicæ circumferémus.

℟. Machabǽus, et qui cum eo erant, cognovérunt expugnári præsídia: * Cum fletu et lácrimis rogábant Dóminum, et omnis turba simul, ut bonum Angelum mítteret ad salútem Israël. ℣. Cum páriter prompto ánimo procéderent Jerosólymis, appáruit præcédens eos eques in veste cándida. Cum.

Bened. Quorum festum.

Lectio viii.

Væ huic mundo ab scándalis. Humílitas passiónis scándalum mundo est. In hoc enim máxime ignorántia detinétur humána, quod sub deformitáte crucis, ætérnæ glóriæ Dóminum nóluit accípere. Et quid mundo tam periculósum, quam non recepísse Christum? Ideo vero necésse esse ait veníre scándala: quia ad sacraméntum reddéndæ nobis æternitátis, omnis in eo passiónis humílitas esset explénda.

℟. Tu Dómine, qui misísti Angelum tuum sub Ezechía rege Juda, et interfecísti de castris Señácherib centum octogínta quinque míllia: * Et nunc Dominátor cœlórum mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timóre et tremóre magnitúdinis bráchii tui. ℣. Ut métuant qui cum blasphémia véniunt advérsus sanctum pópulum tuum. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Vidéte ne contemnátis unum de pusíllis istis, qui credunt in me. Aptíssimum vínculum mútui amóris impósuit, ad eos præcípue, qui vere in Dómino credidíssent. Pusillórum enim Angeli quotídie Deum vident: quia Fílius hóminis venit

salváre quæ pérdita sunt. Ergo et Fílius hóminis salvat, et Deum Angeli vident, et Angeli pusillórum præsunt fidélium oratiónibus. Præésse Angelos absolúta auctóritas est. Salvatórum ígitur per Christum oratiónes Angeli quotídie Deo ófferunt. Ergo periculóse ille contémnitur, cujus desidéria ac postulatiónes ad ætérnum et invisíbilem Deum ambitióso Angelórum famulátu ac ministério pervehúntur. Te Deum.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Angelis suis * Deus mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Laudémus Dóminum, * quem laudant Angeli, quem Chérubim et Séraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus proclámant.

3. Angeli eórum * semper vident fáciem Patris mei, qui est in cœlis.

4. Benedíctus Deus, * qui misit Angelum suum, et éruit servos suos, qui credidérunt in eum.

5. Laudáte Deum * omnes Angeli ejus, laudáte eum omnes virtútes ejus.

Capitulum. Exod. 23. d.

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, et custódiat in via, et introdúcat in locum quem parávi. Obsérva eum, et audi vocem ejus.

Hymnus.

Ætérne Rector síderum,
Qui, quidquid est, poténtia
Magna creásti, nec regis
Minóre providéntia:

Adésto supplicántium
Tibi reórum cœtui,
Lucísque sub crepúsculum
Lucem novam da méntibus.

Tuúsque nobis Angelus
Eléctus ad custódiam,
Hic adsit; a contágio
Ut críminum nos prótegat.

Nobis dracónis æmuli
Versútias extérminet;
Ne rete fraudaléntiæ
Incaúta nectat péctora.

Metum repéllat hóstium
Nostris procul de fínibus:
Pacem procúret cívium,
Fugétque pestiléntiam.

Deo Patri sit glória,
Qui, quos redémit Fílius,

Et sanctus unxit Spíritus,
Per Angelos custódiat.
Amen.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Ad Bened. Ant. Revérsus est Angelus,* qui loquebátur in me, et suscitávit me, quasi virum qui suscitátur a somno suo.

Oratio.

Deus, qui ineffábili providéntia sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris: largíre supplícibus tuis; et eórum semper protectióne defféndi, et ætérna societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam.

Capit. Ecce ego. 47*

℟. br. Stetit Angelus * Juxta aram templi. Stetit. ℣. Habens thuríbulum aúreum in manu sua. Juxta. Glória Patri. Stetit.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

Ad Sextam.

Capitulum. Exod. 23. d.

Nec contemnéndum putes: quia non dimíttet cum peccáveris, et est nomen meum in illo.

℟. br. Ascéndit fumus arómatum * In conspéctu Dómini. Ascéndit. ℣. De manu Angeli. In. Glória Patri. Ascéndit.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Ad Nonam.

Capitulum. Exod. 23. e.

Quod si audíeris vocem ejus, et féceris ómnia quæ loquor, inimícus ero inimícis tuis, et afflígam affligéntes te. Præcedétque te Angelus meus.

℟. br. In conspéctu Angelórum * Psallam tibi Deus meus. In. ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Psallam. Glória. In.

℣. Adoráte Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

In II. Vesperis.

Ant. et Cap. de Laud. 47*; Ps. de Dom. et loco ultimi Ps. 137. Confitébor.

Hymn. ut in I. Vesp. 41*

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Ad Magnif. Ant. Sancti Angeli * Custódes nostri, defféndite nos in prælio, ut non pereámus in treméndo judício.

Die 11. Augusti vel alia die.

In nonnullis diœcesibus.

S. Philumenæ Virg. Mart.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis, eadem die.

Die 16. Augusti.

In diœcesi Dertusensi et Urgellens.

S. Rochi Confessoris.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis, eadem die 1. loco.

Die 19. Augusti.

In tota ecclesiastica provinc. Tarracon.

S. Magini Martyris.

Duplex.

Omnia de Com̃. unius Mart. præter sequentia.

Ad Magnif. in utrisque Vesp. Ant. Magíne Martyr Christi gloriόse, qui siti æstuántibus pérfidis tortóribus, ex árida terra elícito fonte, póculum præbuísti, tua, quǽsumus, orátio comméndet nos indesinénter Deo, ut suæ grátiæ rore corda nostra perfúndat.

Oratio.

Deus, qui hunc diem beáti Magíni Mártyris tui triúmpho consecrásti: exaúdi preces pópuli tui, et præsta; ut qui ejus mérita venerámur, fídei constántiam imitémur. Per Dóminum nostrum.

Et fit comm. Oct. Assumpt.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Magínus seu Máximus, de cujus præcláris gestis antíqua et constans viget populórum tradítio, Tarraconénsis civis et Martyr fuit. Hic mundanárum rerum pertǽsus ac solitúdinis amóre illéctus, ut libérius Deo servíret, ad Brufagános montes perréxit, ibíque non longe a Tarracóne repérto specu, eremíticæ vitæ genus iníre

cœpit. Cum autem illórum móntium íncolas ádmodum rudes atque éthnicæ superstitióni addíctos invenísset, eísdem Christum humáni géneris Redemptórem annuntiáre, eorúmque mores excólere aggréssus est eo succéssu, ut, accedénte cœléstium signórum virtúte, ipsórum plúrimos ad veræ fídei lucem et ad evangélicæ legis observántiam addúxerit. Hisce compértis, is qui a Maximíno imperatóre præféctus erat Tarraconénsi provínciæ, eum coram se accítum gráviter increpávit, quod contra imperatória edícta deos contémnere, suísque præstígiis pópulos decípere audéret. Cui Magínus invícto ánimo oppónit se præstigiatórem non esse, sed unum Deum ejúsque ætérnum Verbum Deum et Dóminum Jesum Christum pópulis prædicáre, cui únice divínus honor debétur. Quamóbrem irátus præses illum in tetrum cárcerem detrúdit, extréma supplícia eídem mínitans, nisi a propósito resíliat.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Tanta erat viri sánctitas, ut nónnisi illíus império se exitúrum dæmónium clamásse ferant, quo fília præfécti vexabátur. Addúcto autem Magíno, ejúsque précibus ejécto malígno spíritu, de christiána religióne constánter disseréntem ingrátus pater arctióri custódia ipsum inclúdi, gravióribus constríngi caténis, fame, siti cruciári jubet. At Deus, qui mirábilis est in sanctis suis, miro splendóre cárcerem illústrat, confractísque vínculis ac jánuis reserátis, per civitátis portam, quæ olim a Curru, hódie a sancto Magíno vocátur, ad móntium Brufagaŋórum diléctam solitúdinem líberum atque incólumem eum redíre sinit. Quæ res statim ac prǽsidi innótuit, eo mílites immísit, ut illíus caput íllico abscínderent. Hi vero prǽside ipso efferatióres, cum ad specum pervenissent, mitíssimum Christi fámulum cólaphis plagísque crudéliter mulctátum, per loca áspera ac vépri-

bus cónsita traxérunt; fácile ab eo intérea impetrántes, ut ad eórum exstinguéndam sitim fontem e terra elíceret, qui ad nostra usque témpora persevérat. Tandem strénuus fídei conféssor ab iísdem, quibus benefécerat, gládio percússus, ad ætérnam martýrii corónam advolávit.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Sacrum ejus corpus Christiáni religióse sepúlchro condidérunt: ibíque deínde sacéllum in ejus honórem eréctum fuit, cui póstea monastérium sodálium órdinis sancti Domínici accéssit. Porro usque ab immemorábili témpore locus ille incláruit tum peregrinórum ex toto Cataláuniæ principátu et Valentíno regno affluéntia, tum fama miraculórum, præsértim a quovis morbórum génere sanatiónum, quæ, invocáto Magíni nómine, aut usu prodigiósæ aquæ ab eo olim elícitæ contigísse narrántur. At vero Tarraconénses, qui ínclytum Mártyrem concívem suum habuísse gloriántur, nulli populórum umquam secúndi fuére in veneratióne eídem exhibénda, fiduciáque sua in válido ejus patrocínio collocánda. Ad prædíctam autem a Curru portam véluti perénne monuméntum exstat sacéllum illíus memóriæ ab avórum pietáte eréctum, ubi perantíquo cultu célebris asservátur sancti Magíni imágo super línteo depícta ac muro affíxa: loci tamen humiditáte numquam vel mínimum læsa, licet férrea crates ad ejus tutélam aliquándo appósita, et adhuc manens in porténti signum, ferme jam sit rubígine consúmpta.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 16. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía S. Basilíi Epíscopi.

In Mart. Mametem.

Quóniam in máxima celebritáte hódie reférimus Mártyrum memóriam, mens omnis erécta est, et auris paráta, exspéctans ut dignum áliquid tanto Mártyre dicátur. Ita namque comparáti sunt sincéri et cándidi fílii, ut magnífica de paréntibus suis éxigant encómia, nec fácile ferant amplitúdinem eórum quæ deprædicánda sunt, per dicéntis periclitári humilitátem. Quid ígitur sumus factúri? quómodo et desidériis vestris satisfaciémus? Mémores estóte Mártyris quotquot adjutórem ipsum ad precándum habuére, quibuscúmque ex nómine advocátus, in opéribus præsto fuit, quoscúmque sanitáti restítuit, quotquot vitæ términos prorogávit. Colléctis in unum his ómnibus, ex commúni sýmbolo Mártyri encómium construíte.

℟. Coróna aúrea.

Lectio viii.

Ista sunt Mártyris encómia, spirituálium charísmatum divítiæ. Non est enim quod illum more sæculárium et externórum encomiórum cohonestémus, non est cur patres et progenitóres illústres proferámus; nam turpe est aliúnde ornáre eum, qui própria ipse virtúte illústris est. Hic Martyr non accépit aliúnde quem habet splendórem, sed ipse per vitæ conversatiónem glóriæ fáculam accéndit. A Magíno réliqui, non ab áliis Magínus glóriam habet. Fílii qui ab eo pietátem edócti sunt, in ipso gloriéntur: ipse enim ex se ipso virtútem ubértim profúndit. Non quasi torrens áliquis confluénte aliéno gloriátur: sed fons est, qui ex suis ipsíus fínibus decórem effúndit. Celebrémus virum non aliéno, sed próprio ornaménto decorátum.

℟. Hic est vere.

Lectio ix.

Ad Mártyris memóriam et tota régio mota est, et ad illíus festum diem urbs univérsa immutáta gestit. Ne dívitum quidem cognáti excúrrunt ad ma-

jórum suórum sepúlchra, sed omnes ad pietátis locum accédunt. Vides quemádmodum virtus honorétur, non divítiæ? Ita Ecclésia, cum eos qui præcessére, honórat, eos qui præséntes sunt, cohortátur: Ne, inquit, stúdeas divítiis, ne sapiéntiæ mundi exolescénti, ne glóriæ marcescénti. Evanéscunt hæc una cum vita; sed cultor sis pietátis: hæc enim et ad cœlum te évehet, hæc et immortálem memóriam, ac perénnem apud hómines claritátem tibi comparábit. Si quisquam ígitur Magíni memor est, ne admirétur divítias: convénimus enim non ut dívitem laudémus, sed ut paupertátem cum pietáte conjúnctam extollámus.

Te Deum laudámus.

Ad Bened. Ant. Magíne beatíssime, cívium Tarraconénsium glória, qui plúribus tolerátis pro Christo cruciátibus gaudénti ánimo ad gloriósam martýrii palmam evolásti, ora pro nobis Dóminum, allel.

Oratio ut supra. 49*

Deinde fit comm. Octav.

Die 27. Augusti.

In diœcesi Urgellensi.

S. Josephi Calasanctii
Confess., quondam diœc. Urgellensis Parochi.

Duplex 2. classis.

Omnia ut in Brev. Roman., præter sequ.

Ad Vesperas.

Capitulum. Eccli. 31.

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesaúris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus.

Sacram veníte súpplices
Joséphi ad aram, párvuli,
Quos ille primos ádvocat,
Primóque amóre díligit.

Veníte sanctæ vírgines,
Quarum perícla dépulit,
Omnísque turba paúperum
Verbo reféecta et pábulo.

Veníte quotquot faúcibus
Mortis benígnus ábstulit,
Unáque Joseph débitum
Hymni tribútum sólvite.

165

Laudáte robur péctoris,
Quo mille firmus pértulit,
Sævi furóris víctima,
Hostílis arcus spícula.

Quod caritátis ígnibus
Medúlla cordis árserit,
Quod castitátis lílium
Non fœda sordes læserit.

Fœcúnda linguæ múnera,
Corpus flagéllis saúcium,
Fractum fame et labóribus,
Cantáte laudis cántico.

Deo Patri cum Fílio,
Tibíque sancte Spíritus,
Sicut fuit sit júgiter,
Sæclum per omne glória.
Amen.

Ad Magnif. Ant. Sínite párvulos veníre ad me, et ne prohibuéritis eos: tálium est enim regnum Dei.

In utrisque Vesp. et Laud. fit commem. Transverberat. Cordis S. Teresiæ Virg. ad modum simplicis redactæ, ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Ad Matutinum.

Hymnus.

More lux festo celebránda fulget;
Templa Josépho rénovent honóres;
Cóncinat laudes chorus omnis; auras
Thura vapórent.

Diva crescéntem téneris ab annis
Cáritas fovit, superóque pectus
Igne collústrans, dócilem per alta
Duxit alúmnum.

Sensa montánæ truculénta plebis
Voce mulcéntem stúpuit Pyréne:
Dira Josépho pósuit tonánte
Bárcinon arma.

Ira nec Tibris, neque pestis atra
Pródigum vitæ fácies retárdat:
Pérvolat passim, miserísque dextram
Tendit amícam.

Quin et inférni rábiem tyránni
Sprevit invíctus patiénter heros,
Et sibi clarum péperit secúndi
Nomen Jobi.

Donec ætérnum recolátur ævum
Sint tibi plausus, tibi sint honóres,
Cuncta qui nutu moderáris æquo,
Trinus, et unus. Amen.

Lect. I. Noct. Beátus vir. de Comm. 2. loco.

In II. et III. Noct. Lect. ut in Brev. Rom., eadem die.

Lect. ix. ex tribus II. Noct., Transverberat. Cordis S. Teresiæ.

Ad Laudes.

Hymnus.

Plebis ignáræ procul ite questus:
Ecce doctrínæ jubar appropínquat,
Ecce Joséphum píetas Ibéris
Evocat oris.

Ille desértum míserans popéllum,
Párvulis aptam réserat palæstram;
Formet ut mentes, iter ac beátas
Sternat ad arces.

Rite sub tanto fáciem magístro
Vulgus immútat: novus ordo pagos
Expolit cunctos: plácidis renídent
Móribus urbes.

Orbis exsúltat, meritóque plaudit
Gratus auctóri: probat ipsa Virgo
Lapsa de cœlo, beat ac benígno
Lúmine pubem.

Donec ætérnum recolátur ævum
Sint tibi plausus, tibi sint honóres,
Cuncta qui nutu moderáris æquo,
Trinus, et unus. Amen.

Ad Bened. Ant. Tamquam prodígium factus sum multis, et tu adjútor fortis.

Ad II. Vesperas Hymnus ut in primis.

Ad Magnif. Ant. Spíritus Dómini super me: evangelizáre paupéribus misit me.

℣ Aliis in diœcesibus fit etiam ritu duplici 2. class., sed omnia ut in Breviar. Roman. ead. die, præter Lect. I. Noct. Beátus vir. de Comm. 2. loco.

In diœc. Tarracon. Dertusen. et Ilerden. Lect. ix. (ex tribus II. Noct.) et commem. in Laud. tantum Transverberat. Cordis S. Teresiæ Virg., ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 28. Augusti.

In cathedr. Cœlson.

S. Augustini Episc. Conf. et Eccles. Doct.

Duplex 1. class. cum Oct.

Omnia ut in Breviar. Rom. eadem die, omissa commem. S. Hermetis Mart.

166

Die 31. Augusti.

In diœcesi Cœlsonen.

S. Raymundi Nonnati

Conf. Patron.

Duplex 1. class. cum Oct.

In I. Vesperis.

Ant. et Cap. de Laud. 62* Ps. ut in I. Vesp. de Com̃. Apost.

Hymnus.

Dive, qui matris látere ex apérto
Raptus exstínctæ, sólita abfuísti
Lege nascéndi, insólitæ datúrus
Lúmina vitæ.

Jure Nonnátus pópulo vocáris;
Namque cœléstes habitáre visus
Móribus sedes, mérito negáris
Incola terræ.

Sed Raymúndi tulit ille nomen,
Quippe virtútum rádios per orbem
Sparsit, et mundus fuit, atque sanctis
Móribus insons.

Qualis in vitæ stádio futúrus,
Edidit primis puer usque ab annis:
Semper indúlgens précibus, sacrásque
Fusus ad aras.

Ut sibi Virgo Génitrix, magístra,
Callis, exémplar, clýpeus, patróna
Esse dignétur, gémitu perénni
Sídera pulsat.

Hæc redemptórum jubet aggregári
Cœtui, nuper cui Virgo mirum,
Semper humános miseráta questus,
Prǽbuit ortum.

Semper ætérno sit honor Parénti,
Fílio ætérnum decus, ex utróque
Quique procédit celebrétur omni
Spíritus ævo.
Amen.

℣. Tu possedísti renes meos. ℟. Suscepísti me de útero matris meæ.

Ad Magnif. Ant. De ventre matris meæ tu es protéctor meus: in te cantátio mea semper: tamquam prodígium factus sum multis: et tu adjútor fortis.

Oratio ut ad Laud. 63*

Ad Matutinum.

Invit. Laudémus Deum nostrum * In caritáte sancti Raymúndi.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Pennis amóris éxcitus,
Quas nulla frænant æquora,
Ad barbarórum líttora
Servus Maríæ návigat.

Captíva solvit ágmina,
Quæ pressa vinclis íngemunt:
Dum déficit pecúnia,
Se líbere dat pígnori.

Ut éximat discrímine
Salútis almæ próximos,
Sui libénter pródigus
Fit caritátis víctima.

Legis nefándæ plúrimos
A servitúte líberat,
Pendéntis e ligno crucis
Divinitátem prædicans.

Torménta ridet hórrida,
Longáque morte júbilat,
Dum lábia claudit ímpium
Seræ ligámen férreæ.

Gliscénte fama, Póntifex
Virtúte tam clara virum
Inter duces Ecclésiæ
Ostro niténtes ággregat.

Uni supérno glória,
Trinóque persónis Deo,
Qui per Raymúndi preces
Nos a reátu líberet. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. In lege Dómini meditabátur die ac nocte, ut fructum suum daret in témpore suo.

Ps. trium Noct. de Comm. Conf. non Pont.

Ant. Da mihi sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis.

Ant. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam.

℣. In te confirmátus sum ex útero. ℟. De ventre matris meæ tu es protéctor meus.

De Isaía Prophéta.

Lectio i. Cap. 43.

Hæc dicit Dóminus creans te Jacob, et formans te Israël: Noli timére, quia redémi te, et vocávi te nómine tuo: meus es tu. Cum transíeris per aquas, tecum ero, et flúmina non opérient te: cum ambuláveris in igne, non comburéris, et flamma non ardébit in te: quia ego Dóminus Deus tuus sanctus Israël Salvátor tuus, dedi propitiatiónem tuam Ægýptum, Æthiópi-

am, et Saba pro te. Ex quo honorábilis factus es in óculis meis, et gloriósus: ego diléxi te, et dabo hómines pro te, et pópulos pro ánima tua. Noli timére, quia ego tecum sum: ab Oriénte abdúcam semen tuum, et ab Occidénte congregábo te. Dicam Aquilóni: Da; et Austro: Noli prohibére: affer fílios meos de longínquo, et fílias meas ab extrémis terræ. Et omnem, qui ínvocat nomen meum, in glóriam meam creávi eum, formávi eum, et feci eum. Educ foras pópulum cæcum, et óculos habéntem; surdum, et aures ei sunt.

℟. Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es: * Mirabília ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis. ℣. Quia tu possedísti renes meos: suscepísti me de útero matris meæ. Mirabília.

Lectio ii. Cap. 44.

Et nunc audi Jacob serve meus, et Israël quem elégi: hæc dicit Dóminus fáciens et formans te, ab útero auxiliátor tuus: noli timére serve meus Jacob, et rectíssime, quem elégi. Effúndam enim aquas super sitiéntem, et fluénta super áridam: effúndam spíritum meum super semen tuum, et benedictiónem meam super stirpem tuam. Et germinábunt inter herbas, quasi sálices juxta præterfluéntes aquas. Iste dicet: Dómini ego sum: et ille vocábit in nómine Jacob: et hic scribet manu sua: Dómino: et in nómine Israël assimilábitur. Hæc dicit Dóminus rex Israël, et redémptor ejus Dóminus exercítuum: Ego primus, et ego novíssimus, et absque me non est Deus. Quis símilis mei? vocet, et annúntiet: et órdinem expónat mihi, ex quo constítui pópulum antíquum: ventúra et quæ futúra sunt annúntient eis. Nolíte timére, neque conturbémini: ex tunc audíre te feci, et annuntiávi: vos estis testes mei. Numquid est Deus absque me, et formátor, quem ego non nóverim?

℟. Emítte Dómine sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret, * Ut sciam

quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Da mihi Dómine sédium tuárum assistrícem sapiéntiam. Ut sciam.

Lectio iii.

Meménto horum Jacob, et Israël, quóniam servus meus es tu. Formávi te, servus meus es tu Israël, ne obliviscáris mei. Delévi ut nubem iniquitátes tuas, et quasi nébulam peccáta tua: revértere ad me, quóniam redémi te. Laudáte cœli, quóniam misericórdiam fecit Dóminus: jubiláte extréma terræ, resonáte montes laudatiónem, saltus et omne lignum ejus: quóniam redémit Dóminus Jacob, et Israël gloriábitur. Hæc dicit Dóminus redémptor tuus, et formátor tuus ex útero: Ego sum Dóminus, fáciens ómnia, exténdens cœlos solus, stabíliens terram, et nullus mecum. Irrita fáciens signa divinórum, et aríolos in furórem vertens. Convértens sapiéntes retrórsum: et sciéntiam eórum stultam fáciens. Súscitans verbum servi sui, et consílium nuntiórum suórum complens. Qui dico Jerúsalem: Habitáberis; et civitátibus Juda: Ædificabímini, et desérta ejus suscitábo. Qui dico profúndo: Desoláre, et flúmina tua arefáciam.

℟. Réddidit Dóminus Raymúndo mercédem labórum suórum, * Et dedúxit illum in via mirábili. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedúxit. Glória Patri. Et dedúxit.

In II. Nocturno.

Ant. Cum liber essem ex ómnibus, ómnium me servum feci, ut plures lucrifácerem.

Ant. In Evangélio labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum.

Ant. Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem: mihi enim vívere Christus est, et mori lucrum.

℣. Propter te mortificámur tota die. ℟. Æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

Lectiones ut in Breviario Romano, eadem die.

℟. iv. Ne tímeas, quia ego tecum sum: confortávi te, et auxiliátus sum tibi, * Et suscépit te déxtera justi mei. ℣. Ex quo honorábilis factus es in óculis meis, et gloriósus: ego diléxi te. Et suscépit.

℟. v. Omnia fácio propter Evangélium, ut párticeps ejus effíciar: * Cáritas enim Christi urget nos. ℣. Omnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cœlésti. Cáritas.

℟. vi. Si ímmolor supra sacrifícium, et obséquium fídei vestræ, gaúdeo, et congrátulor ómnibus vobis. * Id ipsum autem et vos gaudéte, et congratulámini mihi. ℣. Quotídie mórior per vestram glóriam, fratres, quam hábeo in Christo Jesu Dómino nostro. Id ipsum. Glória Patri. Id ipsum.

In III. Nocturno.

Ant. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum.

Ant. Desidérium cordis ejus tribuísti ei, Dómine: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Ant. Accépit benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo.

℣. Satiávit Dóminus ánimam inánem. ℟. Et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 10. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio lupórum. Et réliqua.

Homilía S. Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 34. in Matth. post init.

Id significátur, cum dícitur: Ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Nolíte ánimo esse dejécto: mitténti mihi crédite hac re præcípue invíctos vos esse futúros. Deínde, ut áliquid a se ipsis cónferant, nec ómnia videántur esse a grátia nec frustra, et aliéna solum virtúte coronári æstiméntur; adjécit: Efficiámini ergo prudéntes ut

serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. Sed quid póterit nostra prudéntia in tot tantísque perículis effícere? aut quáliter potérimus tantis agitáti flúctibus prudénter quíppiam providére? quid enim sibi prodésse póterit ovis, étiam si ómnium óvium sensum accumuláverit, cum in médio tam multórum versétur lupórum? aut quid emoluménti colúmba consequétur, étiam si fúerit simplicíssima, cum eam úndique truculentíssimi accípitres invádant? In his quidem, quæ carent ratióne, nihil; in vobis vero, plúrimum.

℟. Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum: * Quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei. ℣. In voce exsultatiónis, et confessiónis: sonus epulántis. Quando véniam.

Lectio viii.

Sed inspiciámus quam prudéntiam quærit: serpéntis certe prudéntiam imitári cohortátur. Nam quemádmodum serpens totum seípsum tradit, nec mínimum curat, si corpus incíditur, donec caput suum íntegrum servet: eódem tu quoque modo, præter fidem cétera pérdere non cures: profúndas univérsam tuam pecúniam, tradas corpus, vitæ ipsi, si opus est, mínime parcas, dúmmodo fidem serves, quæ caput et radix est: qua serváta, etiámsi ómnia perdas, ómnia tamen rursus majóre cum magnificéntia recuperábis. Idcírco nec símplices solum jussit esse, nec prudéntes solum; sed ambo hæc in unum commíscuit, ut in præcípuam virtútem simul vertántur. Et prudéntiam quidem serpéntis adhibére te jubet, ne velis vulnéribus atque perículis principalíssima membra objícere: simplicitátem vero colúmbæ, ne injuriátus ulciscáris, aut ad punitiónem insidiántes abdúcas. Nihil enim tibi prudéntia próderit, nisi hæc simplícitas adjiciátur.

℟. O Raymúndum mirábilem, qui próximus morti, ministério Angelórum pane cœli recreári meruísti! * Ora pro nobis Dómi-

num, allelúja. ℣. O sidus, o decus famíliæ Vírginis Matris! Ora pro. Glória Patri. Ora pro.

Lectio ix.

Perpénde quáliter exácte nos ádmonet, quia perféctos úndique esse opórtet, ut neque perículis ánimus dejiciátur, neque ab ira efferátur: idcírco dicébat: Cavéte ab homínibus, tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos, et ad reges, atque prǽsides ducémini propter me, in testimónium illis, et géntibus. Ita ubíque ad vigilándum eos ánimo prǽparat, afflictiónes quidem ipsis tribuéndo, affligere autem posse céteris permitténdo, ut tu ex hoc discas in afflictiónibus esse victóriam, et præclára hinc státui trophǽa. Non enim dixit, Luctámini cum illis, et concertáte, et contra insidiántes insúrgite; sed, Ad últimas afflictiónes atque perícula veniétis. O admirábilem dicéntis virtútem! o sublímem audiéntium philosophíam!

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Ego libentíssime * impéndam, et superimpéndar ipse pro animábus vestris.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Posuérunt * ori meo custódiam, et super lábia mea signáculum certum.

3. Dedit mihi * Dóminus linguam mercédem meam: et in ipsa laudábo eum.

4. Qui sponte * obtulístis de Israël ánimas vestras ad perículum, benedícite Dómino.

5. Cantáte Dómino: * laudáte Dóminum, liberávit ánimam paúperis de médio malórum.

Capitulum. Isai. 44.

Audi Jacob serve meus, et Israël quem elégi: hæc dicit Dóminus fáciens et formans te, ab útero auxiliátor tuus: noli timére serve meus Jacob, et rectíssime, quem elégi.

Hymnus.

O ter beáte, cui sacri
Divína dona córporis,
Quo nos Redémptor súscitat,
Chorus minístrat cœlitum.

Tardat sacérdos, última
Quæsítus hora, prǽbeat
Ut alma vitæ múnera
In mortis atræ prǽlio.

En veste amícti cándida,
Quam crux venústat cóncolor,
Scuto in rubénti déferunt
Cœléste munus Angeli.

O grata cœlo sýrmata,
Quæ non abhórrent príncipes
In gaudiórum régia
Astáre sueti Númini!

Vitæ reféctus pábulo,
Palmis onústus, lílio
Ornátus, arces síderum
Felix Raymúndus petit.

Porténta lites dírimunt,
Quas inter urbes plúrimas
Intamináti córporis
Vota excitárunt ánxia.

Uni supérno glória,
Trinóque persónis Deo,
Qui per Raymúndi preces
Nos a reátu líberet. Amen.

℣. Cor meum, et caro mea. ℟. Exsultavérunt in Deum vivum.

Ad Bened. Ant. Angelórum esca nutrivísti pópulum tuum, et parátum panem de cœlo præstitísti illis sine labóre, omne delectaméntum in se habéntem, et omnis sapóris suavitátem, allelúja.

Oratio.

Deus, qui in liberándis fidélibus tuis ab impiórum captivitáte beátum Raymúndum Confessórem tuum mirábilem effecísti: ejus nobis intercessióne concéde; ut a peccatórum vínculis absolúti, quæ tibi sunt plácita, líberis méntibus exsequámur. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam.

Capitulum ut supra. 62*

℟. br. In te confirmátus sum * Ex útero. In te. ℣. De ventre matris meæ tu es protéctor meus. Ex útero. Glória Patri. In te.

℣. Propter te mortificámur tota die. ℟. Æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

Ad Sextam.

Capitulum. Cor. 24.

In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur: aporiámur, sed non destitúimur: persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur: dejícimur, sed non perímus: semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumfe-

réntes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris.

℟. br. Propter te mortificámur * Tota die. Propter. ℣. Æstimáti sumus sicut oves occisiónis. Tota die. Glória. Propter te.

℣. Satiávit Dóminus ánimam inánem. ℟. Et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 15.

Cibávit illum pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum: et firmábitur in illo, et non flectétur: et continébit illum, et non confundétur: et exaltábit illum apud próximos suos.

℟. br. Satiávit Dóminus ánimam inánem. * Satiávit. ℣. Et ánimam esuriéntem satiávit bonis. Animam. Glória Patri. Satiávit.

℣. Cor meum, et caro mea. ℟. Exsultavérunt in Deum vivum.

In II. Vesperis.

Omnia ut in primis, præter sequ.

℣. Cor meum et caro mea. ℟. Exsultavérunt in Deum vivum.

Ad Magnif. Ant. O beátum Raymúndum, qui totis viscéribus diléxit Christum, et in suæ caritátis exémplum se ipsum pro captívis dare non dubitávit! O beáta ánima, quam etsi gládius persecutórum non ábstulit, méritum tamen martýrii non amísit!

FESTA SEPTEMBRIS.

Die 1. Septembris.

In diœcesi Ilerdensi.

S. Licerii Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. 2. loco, præter sequ. (m. t. v.)

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In III. Noct. Homilia in Evang. Sint lumbi. de Com. Conf. non Pont. 1. loco, cum ℟℟. de Comm. Conf. Pont.

Lect. ix. S. Ægidii Abbat. cum commem. ejusdem atque Ss. duodecim Mart.

APPROBATIO.

Revisione hujus codicis Tarraconensis rite peracta, ille
originalibus ad amussim concordare repertus est, salvo
um Ordinariorum jure.

In fidem etc.

Tarracone, die 11. Aprilis 1896.

(L. S.) ✠ Thomas,
Archiepiscopus Tarraconensis.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 27. Aprilis 1896.

Dr. Fr. X. Leitner, Vic. in Spir. Gen.

Index alphabeticus.

Ratisbonæ 1896. Typis Fr. Pustet.



PROPRIUM SANCTORUM
PROVINCIÆ ECCLESIASTICÆ
TARRACONENSIS.

PARS AUTUMNALIS.

Die 28. Augusti.
In cathedr. Cœlson.
S. Augustini Episc. Conf.
et Eccles. Doct.
Duplex 1. class. cum Oct.
Omnia ut in Breviar. Rom. eadem die, omissa commem. S. Hermetis Mart.

Die 31. Augusti.
In diœcesi Cœlsonen.
S. Raymundi Nonnati
Conf. Patron.
Duplex 1. class. cum Oct.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. 7* Ps. ut in I. Vesp. de Com. Apost.

Hymnus.

Dive, qui matris látere ex apérto
Raptus exstínctæ, sólita abfuísti
Lege nascéndi, insólitæ datúrus
Lúmina vitæ.

Jure Nonnátus pópulo vocáris;
Namque cœléstes habitáre visus
Móribus sedes, mérito negáris
Incola terræ.

Sed Raymúndi tulit ille nomen,
Quippe virtútum rádios per orbem
Sparsit, et mundus fuit, atque sanctis
Móribus insons.

Qualis in vitæ stádio futúrus,
Edidit primis puer usque ab annis:

Semper indúlgens précibus, sacrásque
Fusus ad aras.

Ut sibi Virgo Génitrix, magístra,
Callis, exémplar, clýpeus, patróna
Esse dignétur, gémitu perénni
Sídera pulsat.

Hæc redemptórum jubet aggregári
Cœtui, nuper cui Virgo mirum,
Semper humános miseráta questus,
Præbuit ortum.

Semper ætérno sit honor Parénti,
Fílio ætérnum decus, ex utróque
Quique procédit celebrétur omni
Spíritus ævo.
Amen.

℣. Tu possedísti renes meos. ℟. Suscepísti me de útero matris meæ.

Ad Magnif. Ant. De ventre matris meæ tu es protéctor meus: in te cantátio mea semper: tamquam prodígium factus sum multis: et tu adjútor fortis.

Oratio ut ad Laud. 8*

Ad Matutinum.

Invit. Laudémus Deum nostrum * In caritáte sancti Raymúndi.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Pennis amóris éxcitus,
Quas nulla frænant æquora,
Ad barbarórum líttora
Servus Maríæ návigat.

Captíva solvit ágmina,
Quæ pressa vinclis íngemunt:
Dum déficit pecúnia,
Se líbere dat pígnori.

Ut éximat discrímine
Salútis almæ próximos,
Sui libénter pródigus
Fit caritátis víctima.

Legis nefándæ plúrimos
A servitúte líberat,
Pendéntis e ligno crucis
Divinitátem prædicans.

Torménta ridet hórrida,
Longáque morte júbilat,
Dum lábia claudit ímpium
Seræ ligámen férreæ.

Gliscénte fama, Póntifex
Virtúte tam clara virum
Inter duces Ecclésiæ
Ostro niténtes ággregat.

Uni supérno glória,
Trinóque persónis Deo,
Qui per Raymúndi preces
Nos a reátu líberet. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. In lege Dómini meditabátur die ac nocte, ut fructum suum daret in témpore suo.

Ps. trium Noct. de Comm. Conf. non Pont.

Ant. Da mihi sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis.

Ant. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam.

℣. In te confirmátus sum ex útero. ℟. De ventre matris meæ tu es protéctor meus.

De Isaía Prophéta.

Lectio i. Cap. 43.

Hæc dicit Dóminus creans te Jacob, et formans te Israël: Noli timére, quia redémi te, et vocávi te nómine tuo: meus es tu. Cum transíeris per aquas, tecum ero, et flúmina non opérient te: cum ambuláveris in igne, non combuléris, et flamma non ardébit in te: quia ego Dóminus Deus tuus sanctus Israël Salvátor tuus, dedi propitiatiónem tuam Ægýptum, Æthiópiam, et Saba pro te. Ex quo honorábilis factus es in óculis meis, et gloriósus: ego diléxi te, et dabo hómines pro te, et pópulos pro ánima tua. Noli timére, quia ego tecum sum: ab Oriénte abdúcam semen tuum, et ab Occidénte congregábo te. Dicam Aquilóni: Da; et Austro: Noli prohibére: affer fílios meos de longínquo, et fílias meas ab extrémis terræ. Et omnem, qui ínvocat nomen meum, in glóriam meam creávi eum, formávi eum, et feci eum. Educ foras pópulum cæcum, et óculos habéntem; surdum, et aures ei sunt.

℟. Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es: * Mirabília ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis. ℣. Quia tu possedísti renes meos: suscepísti me de útero matris meæ. Mirabília.

Lectio ii. Cap. 44.

Et nunc audi Jacob serve meus, et Israël quem elégi: hæc dicit Dóminus fáciens et formans te, ab útero auxiliátor tuus: noli timére serve meus Jacob,

et rectíssime, quem elégi. Effúndam enim aquas super sitiéntem, et fluénta super áridam: effúndam spíritum meum super semen tuum, et benedictiónem meam super stirpem tuam. Et germinábunt inter herbas, quasi sálices juxta præterfluéntes aquas. Iste dicet: Dómini ego sum: et ille vocábit in nómine Jacob: et hic scribet manu sua: Dómino: et in nómine Israël assimilábitur. Hæc dicit Dóminus rex Israël, et redémptor ejus Dóminus exercítuum: Ego primus, et ego novíssimus, et absque me non est Deus. Quis símilis mei? vocet, et annúntiet: et órdinem expónat mihi, ex quo constítui pópulum antíquum: ventúra et quæ futúra sunt annúntient eis. Nolíte timére, neque conturbémini: ex tunc audíre te feci, et annuntiávi: vos estis testes mei. Numquid est Deus absque me, et formátor, quem ego non nóverim?

℟. Emítte Dómine sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret, * Ut sciam quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Da mihi Dñe sédium tuárum assistrícem sapiéntiam. Ut.

Lectio iii.

Meménto horum Jacob, et Israël, quóniam servus meus es tu. Formávi te, servus meus es tu Israël, ne obliviscáris mei. Delévi ut nubem iniquitátes tuas, et quasi nébulam peccáta tua: revértere ad me, quóniam redémi te. Laudáte cœli, quóniam misericórdiam fecit Dóminus: jubiláte extréma terræ, resonáte montes laudatiónem, saltus et omne lignum ejus: quóniam redémit Dóminus Jacob, et Israël gloriábitur. Hæc dicit Dóminus redémptor tuus, et formátor tuus ex útero: Ego sum Dóminus, fáciens ómnia, exténdens cœlos solus, stabíliens terram, et nullus mecum. Irrita fáciens signa divinórum, et aríolos in furórem vertens. Convértens sapiéntes retrórsum: et sciéntiam eórum stultam fáciens. Súscitans verbum servi sui, et consílium nuntiórum suórum complens. Qui dico Jerú-

salem: Habitáberis; et civitátibus Juda: Ædificabímini, et desérta ejus suscitábo. Qui dico profúndo: Desoláre, et flúmina tua arefáciam.

℟. Réddidit Dóminus Raymúndo mercédem labórum suórum, * Et dedúxit illum in via mirábili. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et. Glória Patri. Et.

In II. Nocturno.

Ant. Cum liber essem ex ómnibus, ómnium me servum feci, ut plures lucrifácerem.

Ant. In Evangélio labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum.

Ant. Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem: mihi enim vívere Christus est, et mori lucrum.

℣. Propter te mortificámur tota die. ℟. Æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

Lectiones ut in Breviario Romano, eadem die.

℟. iv. Ne tímeas, quia ego tecum sum: confortávi te, et auxiliátus sum tibi, * Et suscépit te déxtera justi mei. ℣. Ex quo honorábilis factus es in óculis meis, et gloriósus: ego diléxi te. Et suscépit.

℟. v. Omnia fácio propter Evangélium, ut párticeps ejus effíciar: * Cáritas enim Christi urget nos. ℣. Omnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cœlésti. Cáritas.

℟. vi. Si ímmolor supra sacrifícium, et obséquium fídei vestræ, gaúdeo, et congrátulor ómnibus vobis. * Id ipsum autem et vos gaudéte, et congratulámini mihi. ℣. Quotídie mórior per vestram glóriam, fratres, quam hábeo in Christo Jesu Dómino nostro. Id ipsum. Glória Patri. Id ipsum.

In III. Nocturno.

Ant. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum.

Ant. Desidérium cordis ejus tribuísti ei, Dómine: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Ant. Accépit benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo.

℣. Satiávit Dñs ánimam inánem. ℟. Et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 10. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio lupórum. Et réliqua.

Homilía S. Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 34. in Matth. post init.

Id significátur, cum dícitur: Ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Nolíte ánimo esse dejécto: mitténti mihi crédite hac re præcípue invíctos vos esse futúros. Deínde, ut áliquid a se ipsis cónferant, nec ómnia videántur esse a grátia nec frustra, et aliéna solum virtúte coronári æstiméntur; adjécit: Efficiámini ergo prudéntes ut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. Sed quid póterit nostra prudéntia in tot tantísque perículis effícere? aut quáliter potérimus tantis agitáti flúctibus prudénter quíppiam providére? quid enim sibi prodésse póterit ovis, étiam si ómnium óvium sensum accumuláverit, cum in médio tam multórum versétur lupórum? aut quid emoluménti colúmba consequétur, étiam si fúerit simplicíssima, cum eam úndique truculentíssimi accípitres invádant? In his quidem, quæ carent ratióne, nihil; in vobis vero, plúrimum.

℟. Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum: * Quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei. ℣. In voce exsultatiónis, et confessiónis: sonus epulántis. Quando véniam.

Lectio viii.

Sed inspiciámus quam prudéntiam quærit: serpéntis certe prudéntiam imitári cohortátur. Nam quemádmodum serpens totum seípsum tradit, nec mínimum curat, si corpus incíditur, donec caput suum íntegrum servet: eódem tu quoque modo, præter fidem cétera pérdere non cures: profúndas univérsam tuam pecúniam,

tradas corpus, vitæ ipsi, si opus est, mínime parcas, dúmmodo fidem serves, quæ caput et radix est: qua serváta, etiámsi ómnia perdas, ómnia tamen rursus majóre cum magnificéntia recuperábis. Idcírco nec símplices solum jussit esse, nec prudéntes solum; sed ambo hæc in unum commíscuit, ut in præcípuam virtútem simul vertántur. Et prudéntiam quidem serpéntis adhibére te jubet, ne velis vulnéribus atque perículis principalíssima membra objícere: simplicitátem vero colúmbæ, ne injuriátus ulciscáris, aut ad punitiónem insidiántes abdúcas. Nihil enim tibi prudéntia próderit, nisi hæc simplícitas adjiciátur.

℟. O Raymúndum mirábilem, qui próximus morti, ministério Angelórum pane cœli recreári meruísti! * Ora pro nobis Dóminum, allelúja. ℣. O sidus, o decus famíliæ Vírginis Matris! Ora. Glória. Ora.

Lectio ix.

Perpénde quáliter exácte nos ádmonet, quia perféctos úndique esse opórtet, ut neque perículis ánimus dejiciátur, neque ab ira efferátur: idcírco dicébat: Cavéte ab homínibus, tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos, et ad reges, atque prǽsides ducémini propter me, in testimónium illis, et géntibus. Ita ubíque ad vigilándum eos ánimo prǽparat, afflictiónes quidem ipsis tribuéndo, afflígere autem posse céteris permitténdo, ut tu ex hoc discas in afflictiónibus esse victóriam, et præclára hinc státui trophǽa. Non enim dixit, Luctámini cum illis, et concertáte, et contra insidiántes insúrgite; sed, Ad últimas afflictiónes atque perícula veniétis. O admirábilem dicéntis virtútem! o sublímem audiéntium philosophíam!

Te Deum laudámus.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Ego libentíssime * impéndam, et superimpéndar ipse pro animábus vestris.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Posuérunt * ori meo custódiam, et super lábia mea signáculum certum.

3. Dedit mihi * Dóminus linguam mercédem meam: et in ipsa laudábo eum.

4. Qui sponte * obtulístis de Israël ánimas vestras ad perículum, benedícite Dómino.

5. Cantáte Dómino: * laudáte Dóminum, liberávit ánimam paúperis de médio malórum.

Capitulum. Isai. 44.

Audi Jacob serve meus, et Israël quem elégi: hæc dicit Dóminus fáciens et formans te, ab útero auxiliátor tuus: noli timére serve meus Jacob, et rectíssime, quem elégi.

Hymnus.

O ter beáte, cui sacri
Divína dona córporis,
Quo nos Redémptor súscitat,
Chorus minístrat cœ́litum.

Tardat sacérdos, última
Quæsítus hora, prǽbeat
Ut alma vitæ múnera
In mortis atræ prǽlio.

En veste amícti cándida,
Quam crux venústat cóncolor,
Scuto in rubénti déferunt
Cœléste munus Angeli.

O grata cœlo sýrmata,
Quæ non abhórrent príncipes
In gaudiórum régia
Astáre sueti Númini!

Vitæ reféctus pábulo,
Palmis onústus, lílio
Ornátus, arces síderum
Felix Raymúndus petit.

Porténta lites dírimunt,
Quas inter urbes plúrimas
Intamináti córporis
Vota excitárunt ánxia.

Uni supérno glória,
Trinóque persónis Deo,
Qui per Raymúndi preces
Nos a reátu líberet. Amen.

℣. Cor meum, et caro mea. ℟. Exsultavérunt in Deum vivum.

Ad Bened. Ant. Angelórum esca nutrivísti pópulum tuum, et parátum panem de cœlo præstitísti illis sine labóre, omne delectaméntum in se habéntem, et omnis sapóris suavitátem, allelúja.

Oratio.

Deus, qui in liberándis fidélibus tuis ab impiórum captivitáte beátum Raymúndum Confessórem tuum mirábilem effecísti:

ejus nobis intercessióne concéde; ut a peccatórum vínculis absolúti, quæ tibi sunt plácita, líberis méntibus exsequámur. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam.

Capit. Audi Jacob. 8*

℟. br. In te confirmátus sum * Ex útero. In te. ℣. De ventre matris meæ tu es protéctor meus. Ex útero. Glória Patri. In te.

℣. Propter te mortificámur tota die. ℟. Æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

Ad Sextam.

Capitulum. 2. Cor. 4.

In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur: aporiámur, sed non destitúimur: persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur: dejícimur, sed non perímus: semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris.

℟. br. Propter te mortificámur * Tota die. Propter. ℣. Æstimáti sumus sicut oves occisiónis. Tota die. Glória. Propter te.

℣. Satiávit Dóminus ánimam inánem. ℟. Et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 15.

Cibávit illum pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum: et firmábitur in illo, et non flectétur: et continébit illum, et non confundétur: et exaltábit illum apud próximos suos.

℟. br. Satiávit Dóminus * Animam inánem. Satiávit. ℣. Et ánimam esuriéntem satiávit bonis. Animam. Glória Patri. Satiávit.

℣. Cor meum, et caro mea. ℟. Exsultavérunt in Deum vivum.

In II. Vesperis.

Omnia ut in primis, præter sequ.

℣. Cor meum. 8*

Ad Magnif. Ant. O beátum Raymúndum, qui totis viscéribus diléxit Christum, et in suæ caritátis exémplum se ipsum pro captívis dare non dubitávit! O beáta ánima, quam etsi gládius persecutórum non ábstulit, méritum tamen martýrii non amísit!

FESTA SEPTEMBRIS.

Domin. I. Septembris.

In diœcesi Dertusen.

B. M. V. de Cingulo.

Duplex 1. classis.

Omnia ut in Festis B. M. V., præter sequ.

Oratio.

Omnípotens ætérne Deus, qui gloriósæ Vírginis Matris Maríæ corpus et ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu sancto cooperánte præparásti: da, ut cíngulo puritátis ejus præcíncti, cor nostrum esse habitáculum tuum perpétuo mereátur. Per eúmdem Dóminum ... in unitáte ejúsdem.

Et fit comm. Dom. occurr.

In II. Nocturno.

Sermo S. Thomæ Epíscopi.

Conc. 1. de Assumpt. Virg.

Lectio iv.

O felix múlier! o beatíssima múlier super omnes mulíeres, mulíerum coróna, múlier admirábilis, múlier stupénda, múlier, de qua Joánnes in Apocalýpsi admirátus expávit, dicens: Signum magnum appáruit in cœlo: Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. Laténtem enim sub hómine Deum quis cognósceret? Deum, inquam, in hómine quis aúdeat suspicári? Sola ista prudentíssima múlier, sola cognóvit, sola recépit, sola adorávit, vestívit, unxit, pavit, et ut Martha fidelíssima ministrávit. Excépit illum in domum suam, in úterum suum, intra víscera sua, et in virgíneo thálamo peregrinántem in terris Regem glóriæ hospitávit, et velut áltera Sunamítis sumo Prophétæ, Prophetárum Dómino mensam, candelábrum lectulúmque parávit: léctulum in útero, mensam in péctore, candelábrum in intelléctu. In útero illíus quiévit, in péctore pastus est, et ab intelléctu illíus créditus est.

℟. Sicut cedrus.

Lectio v.

Hunc ígitur cœléstem peregrínum beatíssima hæc múlier excépit, et stricta veste indumentóque

paúpere atque levíssimo vestívit, ne vidélicet vestis longitúdine a mortális vitæ cursu præpedirétur, ad quem curréndum exsultávit ut gigas usque ad lignum crucis. Veste paúpere vestívit eum, sed munda atque puríssima: de qua Sálomon in Provérbiis: Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananǽo. Síndonem, hoc est, mundíssimam téxuit telam, nitidíssimam purissimámque, sacrosánctam illam carnem, quam sapientíssimus ártifex Spíritus sanctus ex virgíneis sanguínibus, véluti ex stamínibus, in viscéribus illíus, ut in textório, sine viríli ópere contéxuit. Illam telam quasi própriam et ex carne ejus contéxtam sápiens múlier véndidit Deo Patri, ut inde talárem túnicam, et polymítam fílio suo fáciat. Et quo prétio véndidit, o bone Deus, quo prétio véndidit telam istam? quid pro illa túnica datum est ei? quis numeráre valébit? quis audébit enarráre? quis cogitáre sufficiet? Omnium gratiárum plenitúdo, ómnium virtútum et bonórum plena posséssio, cœlestiúmque gemmárum et margaritárum inæstimábilis thesaúrus datus est ei.

℟. Quæ est ista.

Lectio vi.

Vestíta est ab eo glória et decóre, cœlórum terrarúmque Regína constitúta est, et in ministérium data est illi omnis creatúra, quæ sub Deo est. Ecce síndonis prétium, ecce quanti tela véndita est. Sed ad quid? Ut vidélicet inde fíeret cíngulum Chananǽo. O pulchérrimum Chananǽum divíno splendóre indútum et virgíneo cíngulo cinctum, qui immutábilis manens, forma Dei non amíssa, in hóminis formam véluti mutátus appáruit! Habébat ab inítio Chananǽus hic amplíssimas vestes a Patre: solo cíngulo indigébat, quo imménsos illos exuberantésque sinus amplissimórum vestimentórum collígeret ad curréndam viam, sicut scriptum est: Dóminus regnávit, decórem indútus est: índuit Dóminus

178

fortitúdinem, et præcínxit se. Ecce vestes, ecce cíngulum: vestes a Patre, cíngulum a Matre: vestes ab ætérno, cíngulum ex témpore. O quales vestes, decor, et fortitúdo! Sicut et álibi scriptum est: Fortitúdo et decor induméntum ejus.

℟. Ornátam monílibus.

Lect. ix. Homil. et comm. Domin.

Die 1. Septembris.

In diœcesi Ilerdensi.

S. Licerii Episc. et Conf. Duplex. (m. t. v.)

Omnia de Communi Conf. Pont. 2. loco, præter sequ.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In III. Noct. Homilia in Evang. Sint lumbi. de Com. Conf. non Pont. 1. loco, cum ℟℟. de Comm. Conf. Pont.

Lect. ix. S. Ægidii Abbat. cum commem. ejusdem atque Ss. XII Fratr. Mart., ut in Brev. Roman. ead. die. Pro com. S. Ægidii in I. Vesp. ℣. Os justi. et in Laud. ℣. Amávit.

Die 4. Septembris.

In cathedr. Cœlsonen.

Octava **S. Augustini** Ep. Conf. et Eccles. Doct. Duplex.

Omnia ut in Festo, præt. seq.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Ex Epist. 132. t. 2.

Lectio iv.

Sollicitíssime cavéndum est in docéndo supérbiæ vítium, quod in discéndo non ita est. Unde sancta Scriptúra nos ádmonet, dicens: Sit omnis homo velox ad audiéndum; tardus autem ad loquéndum. Et ille in Psalmo ait: Audítui meo dabis gaúdium et lætítiam; continuóque subjécit: Et exsultábunt ossa humiliáta: vidit enim in audiéndo facíllime servári humilitátem, quæ diffícilis est in docéndo; quóniam necésse est ut doctor hábeat superiórem locum, ubi laboriósum est obtinére ne subrépat elátio.

℟. Invéni David.

Lectio v.

In Psalm. 139.

Ecce enim, fratres mei, dico caritáti vestræ, lóquimur nos modo ad vos, ut áliquid doceámus vos: quanto mélius, si omnes

sciremus, et nemo docéret álterum, ut non esset álius loquens, álius aúdiens; sed omnes audiéntes unum illum, cui dícitur: Audítui meo dabis gaúdium et lætítiam? Unde et ille Joáñes non tam gaudébat quia prædicábat, et quia loquebátur; sed gaudébat quia audiébat: ait enim: Amícus autem sponsi stat, et audit eum, et gaúdio gaudet propter vocem sponsi. Itaque ibi unusquísque probet se, non ut loquátur, sed ut de álio locutiónis offícium éxigat. Gaúdium autem taciturnitátis intus in voluntáte hábeat, vocem doctrínæ in necessitáte.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

De Baptismo contra Donatistas, lib. 2. cap. 5.

Et plerúmque doctóribus minus áliquid revelátur, ut eórum pátiens et húmilis cáritas, in qua fructus major est, comprobétur; vel quómodo téneant unitátem, cum in rebus obscurióribus divérsa séntiunt; vel quómodo accípiant veritátem, cum contra id, quod sentiébant, declarátam esse cognóscunt. Quorum duórum manifèstum tenémus unum in beáto Cypriáno, id est, quómodo tenúerit unitátem cum eis, a quibus divérsum sentiébat. Hómines enim sumus: unde áliquid áliter sápere quam se res habet, humána tentátio est. Nimis autem amándo senténtiam suam, vel invidéndo melióribus usque ad sacrilégium perveníre, diabólica præsúmptio est: in nullo autem áliter sápere quam res se habet, angélica perféctio est.

℟. Iste est.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 5. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Homilia 15. in Matth.

Lúceat lux vestra: hoc est, plúrima in vobis sit virtus, ac máxime

ingens illíus accendátur ignis, et ineffábile omníno lumen effúlgeat. Quando autem tam magna virtus fúerit et clara, latére non póterit, etiámsi mille illam contégere velit modis ille, qui póssidet. Bene autem ait, Lumen: nihil est, quod sic hóminem fáciat insígnem atque conspícuum, etiámsi magno ámbitu optet latére, ut splendor iste virtútis. Sicut enim ipso sole circúmdatus, ita útique clarus effúlget; nec in terram solúmmodo rutilátus próprіæ virtútis emíttit, sed supra ipsum étiam cœlum próprio fulgóre radiábit.

℟. Amávit eum.

Lectio viii.

Hinc ítaque illos ubérius consolátur. Etsi, inquit, maledícta in vos audiéntes dolétis, habétis tamen plúrimos, quos ad amórem atque admiratiónem Dei vestro adducátis exémplo: tunc enim multi erunt omníno mirántes, non útique vos tantum, sed per vos étiam Patrem vestrum. Nec dixit, Deum, sed Patrem; conferéndæ illis nobilitátis prærogatívam hoc jam nómine largiéndo. Consídera, quantum istiúsmodi sit cómmodum, quantum étiam discrímen. Si enim vítiis sordeámus, etiámsi nobis nullus obtréctet, érimus ómnibus miserióres: si vero virtútibus splendére curémus, vel si totus mundus contra nos maledíctis volúerit personáre, érimus ómnium beatíssimi, atque ad nos trahémus omnes, qui veníre elégerint ad salútem. Omni quidem tuba documénta sunt óperum clarióra, vítaque munda ipsa est luce fulgéntior.

℟. In médio.

Lectio ix.

Ex Homil. 16. in Matth. post init.

Non veni sólvere legem, sed implére. Legem vero non uno tantum, sed áltero et tértio implévit modo. Uno quidem, quia nihil ex legítimis ipse transgréssus est; álio vero, quia per nos quoque idípsum facit, quod Paulus significándo dicébat: Quóniam finis legis, Christus, ad justítiam omni credénti. Quod enim illa per lítteram non pótuit, hoc per fidem ipse

confécit. Si vero áliquis diligénter exáminet, álium quoque tértium modum implétæ ab eo legis invéniet. Quem vero istum? Ipsa útique præcépta, quæ erat datúrus: non enim intéritus priórum, sed augméntum pótius et compleméntum erant ea quæ dicebántur a Christo. Illíus quippe senténtiæ, qua dícitur, Non occídes, non interémptio, sed adimplétio magis atque munítio est, dícere, Non irascáris: omniúmque simíliter ceterórum.

Te Deum laudámus.

Die 6. Septembris.

In diœcesi Vicensi.

Beatæ Joannæ de Aza Viduæ.

Duplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart., præter sequ.

In utrisque Vesperis.

℣. Ora pro nobis beáta Joánna. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

Deus, qui beátæ Joánnæ fámulæ tuæ grátiam supérnæ vocatiónis fílii sui Domínici mirabíliter ostendísti: quæsumus; ut ipsam præmonstratúmque fílium imitántes, pio utriúsque intervéntu ætérna prǽmia consequámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Azæ, in regno Castéllæ véteris Hispaniárum, Joáña primam cœli lucem circa dimídium sǽculi duodécimi aspéxit. Claríssimum a progenitóribus accéptum decus virtúte ac sanctitáte mirabíliter auxit, ac illustrávit. Córporis venustáte muliebribúsque offíciis ornátam, sǽculi oblectaménta allícere nullo modo valuérunt: quinímo natúræ dona seque ipsam Deo a primórdiis mancipávit. Felíci de Guzman, viro summa probitáte, liberalitáte æque ac nobilitáte prǽdito, in matrimónium data, nihil in se prǽtulit, quod mulíeris fortis imáginem non exprésserit. Licet illíus ditiónis dómina et feminárum prima, céteras nihilóminus humilitáte præ-

íre stúduit, illísque honestáte, pudicítia, prudéntia ac boni nóminis fama præfúlsit. Doméstícis curis absolútis, réliquum témporis pietáti ac religióni tribuébat: hinc est quod sacra límina adíre, infírmos visitáre, afflictósque solári gratíssimum illi fúerit. In paúperum indigéntiis sublevándis miríﬁce se exércuit, cujus caritátem Deus étiam aliquándo miráculo confirmásse légitur, cum dólium vini illis distribútum mox plenum invénerit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Oratióni addícta, divínas in se proméruit benedictiónes. Nam duos fílios hábuit, quos adhortatiónibus, incitaméntis ac præcípue exémplo ad virtútes excitábat, ac ad eam perfectiónem illos evéxit, ut utérque ad mortem usque ecclesiásticis exémplum, pópulis vero morum norma exstíterint. Tértium inde fílium obtínuit sanctum Domínicum, órdinis Prædicatórum, unde totíus sanctitátis et doctrínæ exémpla in Ecclésiam promanárunt, institutórem ac paréntem: ipsúmque fructum fuísse precum, quas Joánna fervénter Deo effúderat, sanctus Domínicus abbas Silénsis ei apéruit, et vísio in sómnis hábita haud dúbie osténdit. Etenim hujus grávida per quiétem cátulum in alvo continére sibi visa est, qui facem ore gestans, orbem univérsum illumináret: quo sómnio significabátur fílium contra inférni lupos latratúrum, ac pópulos inflammatúrum ad Dei ac próximi amórem. Hinc haud mirum, si nulli álii quam sibi, tantæ prolis curam Joánna reserváverit, ut una cum lacte próprias virtútes in illum tradúceret. Tandem tot tantísque a Deo aucta munéribus et cumuláta virtútibus, sanctitáte percélebris, mundo amábilis et Deo grata Calarógæ placidíssime spíritum Deo réddidit.

℟. Dilexísti.

Lectio vi.

Post ejus mortem miraculórum fama longe latéque perfúsa, íncolæ in patrónam sibi eam asci-

vérunt, ac ejus opem in grátiis obtinéndis, et in advérsis amovéndis præséntem sunt expérti. Hinc ad ecclésiam sacrum ejus corpus delátum, in ipsíus cœmetério cónditum fuit, ibíque sacéllum sub invocatióne sanctæ Joánnæ de Aza eréctum: ad quod etiámnum persevérans, frequens est populórum concúrsus, religiónis et voti causa. Inde ad Gumiliénsem ecclésiam translátum, juxta sponsi ejus Felícis exúvias fuit repósitum. Póstea sereníssimus Hispaniárum infans Joánnes Emánuel sancti regis Ferdinándi nepos, in paréntem pio flagrans amóre, ad cœnóbium Rupisfidélis fratrum Prædicatórum, quod ipse própriis súmptibus e fundaméntis eréxerat, transmitténdum curávit; atque ípsemet regális princeps, univérso plaudénte pópulo et gratulánte, sacrum pignus suis húmeris déferens, in sepúlchro régia munificéntia exornáto, juxta aram máximam collocávit: ubi illíus regiónis pópuli conveniéntes, sacros cíneres cólere et venerári gloriántur. Quem cultum Azæ Calarógæ aliísque pópulis ad hæc nostra témpora propagátum, ac numquam intermíssum, instánte rege cathólico Ferdinándo séptimo et optimátibus Hispániæ princípibus, Leo duodécimus Póntifex Máximus approbávit, ac de beáta Joánna festum cum Offício et Missa ab univérso Prædicatórum órdine celebrándum concéssit.

℟. Fallax grátia.

In III. Nocturno Homil. in Evangel. Símile est regnum cœlórum thesaúro. de Comm. nec Virg. nec Mart.

Die 7. Septembris.

In diœcesi Cœlsonensi.

Octava S. Raymundi Nonnati Conf.

Duplex.

Omnia ut in Festo, præt. seq.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. de S. Victore.

Lectio iv.

Gaudéte in Dómino, dilectíssimi, qui inter contínua suæ

pietátis benefícia indúlsit hóminem mundo, cujus multi salvaréntur exémplo. Iterum dico: Gaudéte, quod factus de médio appropiávit Deo, ut multo plures ejus intercessióne salvéntur. In terris visus est, ut esset exémplo: in cœlum levátus est, ut sit patrocínio: hic infórmat ad vitam, illic invítat ad glóriam: factus est mediátor ad regnum, qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor, qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat, et supplicántis affectum, et supplicatiónis fructum: quid enim quærat sibi, qui nullíus eget?

℟. Ne tímeas.

Lectio v.

Hæc dies gloriósæ migratiónis ejus, dies lætítiæ cordis ejus, exsultémus et lætémur in ea: introívit in poténtias Dómini, gaudeámus, quia nunc poténtior est ad salvándum. Hódie Raymúndus pósito córpore, tanto alácrior quanto expedítior penetrávit in Sancta, símilis factus in glória sanctórum. Hódie, despécto mundo, et mundi príncipe triumpháto, supra mundum vere victor ascéndit, accípiens de manu Dómini corónam victóriæ: ascéndit autem cum imménsa suppelléctili meritórum, clarus triúmphis, miráculis gloriósus: sedet veteránus miles, débita jam suavitáte et securitáte quiétus; secúrus quidem sibi, sed nostri sollícitus. O venerándam étiam ipsis Angelis sanctitátem! quam pari stúdio etsi díspari voluntáte et mali fúgitant, et frequéntant boni! Nec fácile díxerim, quid virum ástruat sanctiórem, horum favor, aut pavor illórum.

℟. Omnia fácio.

Lectio vi.

O miles emérite, qui christiánæ milítiæ duris labóribus angélicæ felicitátis réquiem commutásti! réspice ad imbélles et imbecílles commilitónes tuos, qui inter hostíles gládios et spiritáles nequítias tuis laúdibus occupámur. Quam pium, quam dulce, quam suáve, o Raymúnde, in hoc loco afflictiónis et in hoc córpore mortis te cánere,

te cólere, te precári! Nomen tuum et memoriále tuum favus distíllans in lábiis captivórum; mel et lac sub lingua eórum, qui tui memória delectántur. Eja ergo, fortis athléta, dulcis patróne, advocáte fidélis, exsúrge in adjutórium nobis; ut et nos de nostra ereptióne gaudeámus, et tu de plena victória gloriéris.

℟. Si ímmolor.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 10. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

De Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 34. in Matth. post init.

Diligénter consídera, qui sunt qui hæc árdua et laboriósa ádeunt, formidolósi vidélicet, et indócti, illiteráti et rudes, obscúri quidam hómines et ignóti, qui numquam philosophórum percepérunt institúta, vixque umquam in forum descendérunt, piscatóres, et publicáni, multis repléti rebus, quæ jure ánimos eórum possent dejícere. Nam si magnos et claros viros tanta difficúltas rerum potuísset commovére, quómodo non potuísset imperítos hómines, quibus nullíus rei magnæ áliquid venit in mentem? Sed non dejécit, neque turbávit. Nec id injúria, dicet quíspiam, cum se intellígerent posse leprósos mundáre, dæmónia ejícere.

℟. Sitívit ánima mea.

Lectio viii.

Ego autem dícere non dubitárim, quia vidélicet idípsum jure debébat ipsos conturbáre: quóniam qui tantam potestátem habérent, ut defúnctos étiam a morte possent excitáre, hi tanta perícula essent subitúri, tanta bella gestúri, ad júdices vincti deducéndi, commúnis dénique totíus orbis admonítio futúri.

℟. O Raymúndum.

Lectio ix.

Quæ ígitur in ómnibus his erat consolátio? Sola mitténtis virtus: quocírca ita signánter incépit:

Ecce ego mitto vos. Suffíciat hoc vobis ad omnem consolatiónem, satis sit ad confidéntiam. Vides quanta ejus est auctóritas? intélligis quóniam máxima sit potéstas? pércipis inexpugnábilem ejus esse virtútem? Te Deum.

Die 8. Septembris.

In diœces. Cœlson., Dertusen. et Tarracon.

Nativitatis B. Mariæ V. Patronæ.

Duplex 1. class. cum Oct.

Omnia ut in Brev. Romano, omissa Lect. ix. et commem. S. Adriani Mart. Lect. viii. desinit in verbis sedem tuam, et ix. incipit a verbis Judas autem.

In II. Vesp. non fit comm. S. Gorgonii Mart.

Die 9. Septembris.

In nonnullis diœcesibus.

S. Petri Claver Confess. Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis, eadem die.

Die 10. Septembris.

In diœcesi Dertusensi.

Beati Hyacinthi Orfanell Martyris. Duplex.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui ut omnes hómines salvi fíeri possint, et ad agnitiónem veritátis veníre, novos in Ecclésia Evangélii præcónes et nóminis tui testes suscitáre non désinis: sic nos beáti Hyacínthi Mártyris tui précibus et exémplo in fide et caritáte confírma; ut et ipsi ad salútem perveníre, et álios ad salútis viam perdúcere valeámus. Per Dóminum.

Et fit commem. Octav. in utrisque Vesp. et Laud.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Hyacínthus, dictus ántea Petrus, ex honésta Orfanellórum família, Janæ in diœcési Dertusénsi, anno Dómini millésimo quingentésimo septuagésimo octávo natus est. Religióni, cui cum primum per ætátem lícuit, nomen dedit, jam a primis annis prolúdens, innocéntia morúmque simplicitáte ómnibus carus erat, et æquálibus acceptíssimus. His ad omnem frugem bo-

nam vel puer exémplum et incitaméntum prǽbuit, observántia præsértim in majóres, caritáte erga egénos, sacrórum frequéntia, et in beátam Vírginem ténera ánimi affectióne. Humanióribus lítteris in pátria excúltus, Deo vocánte, álacri ánimo in órdinem Prædicatórum récipi postulávit, et voti compos factus, sacri ejus institúti insígnia Barcinóne in convéntu sanctæ Catharínæ índuit. Ibi exácto rite tyrocínio, vota solémnia nuncupávit, uti sanctus jam tum hábitus, cum tamen vix décimum sextum ætátis annum excéderet.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Dertúsam studiórum causa proficísci jussus, ea in civitáte philosophíæ ita sédulam óperam dedit, ut sanctórum sciéntiam non prætermíserit, neque colúerit ségnior. Ad percurréndam viam Dómini alácrior efféctus, atque miras in suo corde ascensiónes dispónens, céteris, in quibus profícere semper satégit, virtútibus, duriòris pœniténtiæ stúdium adjécit. Quare ex eo témpore lecto abstinébat intérdum, et juveníles artus ita castigábat, ut effúso cruóre vestes étiam rubéscerent. Cum autem ingénio præ céteris valéret, ad Vallisoletánum convéntum egrégia tunc témporis sacrárum disciplinárum laude floréntem, missus fuit, quo theologíæ óperam daret, et edocéndis póstea frátribus magíster idóneus eváderet: verum ipse, Deo sic inspiránte, divíni nóminis glóriæ propagándæ stúdio, atque infidélium últimas Oriéntis oras incoléntium salútis promovéndæ zelo accénsus, ut in Japóniam mitterétur summis précibus consecútus est.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Séxdecim annos in ea nascénte ecclésia, extrémis jam tum afflícta malis, fovénda consúmpsit: quotídie inter persecutórum et proditórum insídias, inter labóres, angústias versátus, núllibi secúrus subsístere permíssus, atque iis étiam destitútus ali-

quándo auxíliis, quibus spíritus únice recreátur. Verúmtamen impéndens et superimpéndens seípsum júgiter pro animábus Japonénsium, dum regiónis províncias persecutióne æstuántes percúrreret, fortes in fide confírmans, nutántes susténtans, lapsos étiam próvocans ad pœniténtiam, omnibúsque ómnia factus, ut omnes Christo lucrifáceret, captus tandem et ipse fuit. Post longos cárceris squalóres aliásque gravíssimas ærúmnas patientíssime imo et cum gaúdio tolerátas, cœlo jam matúrus, igne probátus est, et vivus Nangasáquii combústus, die décima Septémbris, anno millésimo sexcentésimo vigésimo secúndo, cum ætátis suæ annum quadragésimum quartum nondum explevísset. Eum cum plúrimis áliis Martýrii sóciis Pius nonus Póntifex Máximus anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo, die séptima Júlii, astántibus permúltis ex toto orbe sacrórum antistítibus, qui Romam ad centenária beatórum Apostolórum Petri et Pauli solémnia convénerant, ritu solémni beatórum fastis adscrípsit.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Noct. Homil. Supra díxerat. in Evangel. Nolíte arbitrári. ut in fine Proprii Ss. Hispan.

Die 11. Septembris.

In diœcesi Urgellensi.

S. Pulcheriæ Imperatric. Virginis.

Duplex majus.

Omnia de Communi Virg., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátam Pulchériam Vírginem tuam singulári castitátis prærogatíva decorásti, quique illi ad defendéndam Ecclésiam tuam summum fídei amórem tribúere voluísti: concéde; ut ejus intercessióne, tibi puris méntibus inhæréntes, ab ómnium hóstium insídiis misericórditer liberémur. Per Dñm.

In utrísque Vesp. et Laud. fit comm. Oct. Nativ. B. M. V., addita in I. Vesp. et in Laud. comm. Ss. Proti et Hyacinthi Mart., ut in Brev. Rom. eadem die.

In I. Noct. Lect. De virgínibus. de Comm. 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Aelia Pulchéria Augústa, patre, avo, fratre atque viro Romanórum imperatóribus máxime nóbilis, profligátis sua præsértim ópera hæreticórum erróribus, et cathólico dógmate circa Incarnatiónis mystérium et divínam Maternitátem constitúto multo nobílior, ab ipsa puerítia tanta sapiéntia divínitus prǽdita fuit, ut ii quibus post Arcádii patris óbitum impérii procurátio, dum Theodósius adolésceret, commíssa fúerat, ejus arbitrátu ómnia fácerent, essétque constans opínio, uníus puéllulæ virtúte ac sapiéntia, quæ instáre atque ingrúere videbántur, perícula discússa, et felicitátem império constitútam. Domi assídua disciplínæ exáctrix, eam vivéndi formam indúxit, ut illa jam non aula imperatórum, sed ascetérium vulgo dicerétur. Theodósium fratrem, Eudóxiam, quam illi matrimónio conjungéndam curávit, Flaccíllam, Arcádiam, Marínam soróres ita imbuébat bonis móribus, exercebátque ad virtútem, ut quibus ætáte non multum præstábat, eórum moderátrix ac propémodum mater esse viderétur. Qua institutióne soróres quantum profécerint, vel ex hoc uno intélligi potest, quod Pulchériam imitátæ, se suámque virginitátem Deo devovérunt: utque Augústa virgo ea quæ decréverat ámplius confirmáret, omnésque voluntátis suæ testes habéret, ex auro et pretiósis lapídibus sacram mensam in ecclésia Constantinopolitána pro virginitáte sua et fratris império dedicávit, et in fronte ipsíus mensæ hæc éadem inscrípsit.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Pótior autem ejus in Theodósio instituéndo elúxit cura, eúmque, ubi opus esset, mira quadam dexteritáte corrigébat; qui quidem talis est efféctus, ut absolutíssimum óptimi veréque christiáni príncipis exémplar fúerit, dum

Pulchériæ consíliis est obsecútus. Post diutúrnam cum fratre concórdiam, turbis malevolórum fraude atque obtrectatióne in aula excitátis, tempus nacta, quo sibi jam uni, Deóque vacáre posset, secéssit in Hébdomum, locum Byzántio suburbánum, ibíque vitam agens pene monásticam, aliquámdiu se contínuit. Cum vero felícitas impérii una cum ea exsuláret, a fratre accersíta, ubi deésse vidit qui prǽlia Dómini pugnáret, Débboram imitáta, fide ac religióne armáta procéssit, et missis in omnem partem epístolis hortándo, monéndo, minitándo, non pecúniæ, non labóribus parcens, digna effécta est quam Patres concílii Chalcedonénsis una ómnium voce atque præcónio custódem fídei, pacis conciliatrícem, expultrícem hæreticórum, piam, orthodóxam, novam Hélenam (sicut Marciánum tunc imperatórem novum Constantínum) consalutárent; cuíque sanctus Leo totíus Románæ Ecclésiæ nómine plúrimum gratularétur, ejúsque causa exsultáre se díceret, ac digna Deo vota persólvere, quod de Nestoriána primum impietáte, mox et nefário Eutychétis erróre perémpto, dúplicem illi et palmam contúlerat, et corónam.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Atque hæ tantæ curárum moles, quas præsértim in Ephesíno ac Chalcedonénsi concíliis Romanórum Pontíficum auctoritáte convocátis, necessário suscéperat, níhilo illam ad cétera christiánæ pietátis offícia obeúnda fecére segniórem. Assídue cœléstium rerum contemplatióne, sacrórum librórum lectióne, córporis afflictatiónibus sponte suscéptis se exercébat; Psalmos de nocte surgens una cum régiæ famíliæ princípibus decantábat; Dei ac sanctórum (quorum et collóquio non semel dignáta est) cultrix exímia, quæ étiam summópere semper conténdit, ut erga eórum relíquias cultus augerétur. Deíparam in primis cóluit, cui hanc ipsam Deíparæ appellatiónem contra Nestorianórum blasphémias

asséruit: vóluit namque summa sapiéntiæ suæ dispositióne divína providéntia, ut per vírginem summa Vírginis dígnitas inofﬀénsa pénitus servarétur: quam étiam est imitáta servándo perpétuam in ipso conjúgio virginitátem: cujus dénique cúltui amplificándo complúra templa regáli plane magnificéntia excitávit, donáriis auxit, redítibus locupletávit. In placánda divína justítia mira pietáte enítuit. Fuit erga paúperes misericórdia plane singulári: quos et matérna quadam caritáte compléxa est quoad vixit, et móriens eórum quæ assídua effusissímaque liberálitas réliqua fécerat, scripsit hærédes. Quod cautum ab ipsa testaménto fuit, diligénter curávit Marciánus: quem pari religiónis stúdio, rebúsque ómnibus império digníssimum, ipsa evéxerat ad impérium, sibíque hanc ipsam ob causam, salva quam Deo vóverat virginitáte, cónjugem delégerat. Obiit anno quadringentésimo quinquagésimo tértio, magno ómnium luctu, maximísque sanctórum Patrum, ceterorúmque ejus ævi scriptórum laúdibus celebráta. ℟. Afferéntur.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 17.

In illo témpore: Dixit Jesus: Hæc est autem vita ætérna: ut cognóscant te, solum Deum verum, et quem misísti Jesum Christum. Et réliqua.

Homilía S. Cyrílli Epíscopi Alexandríni.

De fide ad Pulcheriam et sorores reginas.

Sane vos sacras castissimásque Christi ómnium nostrum Salvatóris sponsas, religiosíssimæ ac Deo dilectíssimæ imperatríces, orbis terrárum ornaméntum, sanctissimarúmque ecclesiárum decus óptimo jure quisquis appelláverit, in quibus nimírum omne virtútum genus, omnísque ornátus divínæ majestátis óculis gratus acceptúsque miríﬁce splendet. Neque his ópibus conténtæ omnem quoque curam ómneque stúdium

185

adhibétis, quo fide recta, nullámque in partem vacillánte, excellátis. Neque Christi regnum capéssere, et ea quæ illi grata sunt fácere et sentíre omíttitis, partim quidem præcláris actiónibus, partim rursum cum vestras, tum príncipum quoque vestrórum aulas virginitátis glória condecorántes, partim dénique sumptuosíssima templa Christo Dómino excitántes: nam et hoc quoque pietátis stúdium inter cétera ille sanctis vestris ánimis impertítus est.

℟. Hæc est Virgo.

Lectio viii.

Igitur ex sacris Lítteris vobis vere sanctis Christi sponsis (quamquam ad quodvis opus bonum abúnde instrúctæ videámini) áliquid deprómam. Hinc étenim et Emmanuélem verum ac naturálem Deum, et Vírginem Matrem, quæ eum péperit, veram per ipsum Deíparam esse planum fiet. Ait Christus: Hæc est vita ætérna, ut cognóscant te, solum Deum verum, et quem misísti Jesum Christum. Si cum solíus veríque Dei cognitióne Jesu Christi cognitiónem necessáriam consociatámque esse opórtet, et hoc ipsum ætérnam vitam concíliat: cui obscúrum esse potest Christum verum esse Deum? Verbum sane caro factum est, sed mansit ínterim Verbum.

℟. Média nocte.

Lectio ix.

Et ego claritátem quam dedísti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Qualem ítaque glóriam Fílius a Patre accepísse se narrat, quam nobis deínde commúnem fécerit? Sane ipse ab hac quæstióne nos líberat, dum ait: Ut unum sint, sicut et nos unum sumus. Nam etsi Dei Patris Verbum secúndum própriam hypóstasim álius a Patre esse dignoscátur, naturáli tamen identitáte unum plane et idem est cum illo. At quo pacto Verbum illud unum quoque nobíscum factum est? Ad eúmdem omníno modum, puta, secúndum essentiálem et naturálem identitátem. At cum divína natúra tanto a creatúra distet

intervállo, ut secúndum esséntiam cum ea coíre nequáquam váleat; ecquo, inquis, modo secúndum natúram unum ille factus est nobíscum, qui omnem omníno creatúram excéllit? Verbum factus est homo, ut quemádmodum in Deitáte unum et idem est cum Patre, ita secúndum natúræ humánæ habitúdinem sit unum quoque nobíscum.

Te Deum laudámus.

Die 14. Septembris.

In diœcesi Barcinonensi.

In Exaltatione S. Crucis

Titul. eccles. cathedr.

Dupl. 1. class. cum Octav.

Omnia ut in Breviar. Rom. eadem die, sine comm. Octav. Nativ. B. M. V. in I. Vesp. nec in Laud.

Die 23. Septembris.

In tota eccl. prov. Tarracon.

S. Theclæ Virg. et feminar. Protomart.

Dupl. 1. class. cum Octav.

In diœc. Barcin., Dertusen. et Vicen. sine Oct.

Omnia de Comm. Virginum et Martyr., præter sequ.

In I. Vesperis.

Ant. et Cap. de Laud. 30*
Psalmi ut in Comm. Virg.
Hymn. et ℣. de Comm.
In utrisque Vesp. ad Magnif.

Ant. In perpétuum coronáta triúmphat Christi Martyr beatíssima Thecla, incoinquinatórum certáminum prǽmium vincens.

Orat. ut infra ad Laud. 31*

Ad Matutinum.

Invitat. Regem Vírginum Dñm, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymn. de Comm. Virg. et Mart.

In I. Nocturno.

Ant. Eleváta est magnificéntia tua Dómine, dum leónum rábiem sub pédibus Theclæ subjecísti.

Ps. trium Noct. de Comm. Virginum.

Ant. Tamquam sponsa procédens de thálamo suo, Thecla e médiis flammis exívit illǽsa.

Ant. Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prǽlio, qui tot triúmphis nóbilem coronávit Theclam.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Lectiones Confitébor tibi. de Comm. Virg. 2. loco, cum ℟℟. sequ.

℟. i. Cum primum vocem Pauli prædicántis audívit

beáta Thecla, in Christum crédidit: * Et amóre virginitátis inflammáta, nullum álium sponsum habére vóluit. ℣. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam: quia concupívit Rex spéciem tuam. Et.

℟. ii. Ingréssus sum pactum tecum, ait Dóminus Deus, et facta es mihi: ámodo voca me: * Pater meus, dux virginitátis meæ tu es. ℣. Ecce ego lactábo eam, et loquar ad cor ejus; et erit in die illa: vocábit me, Vir meus. Pater meus.

℟. iii. Quid mihi est in cœlo, et a te quid vólui super terram? * Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum. ℣. Cor meum, et caro mea exsultavérunt in Deum vivum. Deus. Glória Patri. Deus.

In II. Nocturno.

Ant. Invéni quem díligit ánima mea, speciósum forma præ fíliis hóminum.

Ant. Adjútor factus est Dóminus Theclæ in tribulatiónibus, quæ invenérunt eam nimis.

Ant. Deus, Deus noster in ætérnum, et in sǽculum sǽculi: ipse reget nos in sǽcula.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Lectio iv.

Thecla virgo, ex illústribus paréntibus Icónii in Lycaónia nata, a Paulo Apóstolo fídei præcéptis instítúta fuit. Cum enim idem Apóstolus Icónium ad Christi Evangélium prædicándum accessísset, eúmque mystéria fídei et castitátis laudes exponéntem Thecla audivísset, sic ad fidem et virginitátis propósitum ánimum inténdit, ut Thamýridem júvenem nobilitáte ac forma præstantíssimum, cui illam paréntes despónderant, invícto ánimo desérere, ac cœléstis sponsi Jesu Christi núptias ampléctì omníno decréverit. Vitam ítaque, quam ex Apóstoli præscrípto ad evangélicæ perfectiónis normam institúerat, aggréssa, quamplúrimas exínde adolescéntulas exémplo suo ad fidem et castitátem coléndam addúxit. Ex quibus

sanctæ potíssimum mulíeres *Tryphǽna* et Tryphósa in christiána disciplína sub ea póstmodum miríﬁce profecérunt.

℟. Virgo Christi, noli timére: si transíeris per ignem, flamma non nocébit tibi: * Et odor ignis non erit in te. ℣. Liberásti me a pressúra flammæ quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta. Et odor ignis.

Lectio v.

Quod cum iníquo ánimo ferrent sponsus et paréntes Theclæ, illam apud júdicem, quod christiána esset, accusárunt. Cujus jussu in ardéntem rogum, qui nisi Christum renuntiáret, ei parátus erat, prius signo crucis armáta, se ipsam injécit. Sed igne plúvia quæ repénte exórta est, exstíncto, Antiochíam venit: ubi feris objécta, et tauris in divérsa incitátis alligáta, mox conjécta in fossam plenam serpéntibus, ex ómnibus Jesu Christi grátia, liberátur. Cujus ardóre fídei, et vitæ sanctitáte multi ad Christum convérsi sunt.

℟. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: * Quia fortis est ut mors diléctio. ℣. Deus præcínxit me virtúte, et pósuit immaculátam viam meam. Quia fortis.

Lectio vi.

Tantis Christi Dómini virtúte perículis erépta Thecla, in pátriam rédiens, in montem sola secéssit: ac præcípua vitæ sanctitáte et miráculis insígnis, nonagenária migrávit ad Dóminum. Sacrum ejus corpus Seleucíæ sepúltum, celebérrima totíus Oriéntis veneratióne et frequénti Christianórum concúrsu illuc adeúntium honoríﬁce hábitum fuit, ac sanctus Gregórius Nazianzénus ad illud venerándum Seleucíam se contulísse testátur. Eam summis laúdibus tum ipse tum omnes fere sancti Patres suis scriptis extulérunt: ádeo ut si quando præcelléntem áliquam sanctitáte féminam celebráre vellent, non álio quam Protomártyris Theclæ nómine exornárent.

℟. Misit Dóminus Angelum suum, * Et conclúsit ora leónum, et non nocuérunt mihi. ℣. Si exsúrgat advérsum me prǽlium, in hoc ego sperábo. Et conclúsit ora. Glória Patri. Et conclúsit ora.

In III. Nocturno.

Ant. Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Ant. Annuntiavérunt cœli justítiam ejus: et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Ant. Eo quod castitátem amáveris, manus Dómini confortávit te: et ídeo eris benedícta in ætérnum.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Lectiones de Homilia in Evangel. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus. de Comm. Virg.

℟. vii. Dóminus qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Dóminus misericórdiam suam, ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Ipse me.

℟. viii. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum: * Pro cujus amóre feminárum prima torménta passa fuísti, et cum Angelis in paradísum introísti. ℣. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam. Pro. Glória Patri. Pro.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. O quam pulchra * est casta generátio cum claritáte!

Psalmi de Dominica.

2. Fíliæ Jerúsalem, * nuntiáte dilécto quia amóre lángueo.

3. Quasi sponsam ornátam * monílibus suis, índuit me Dóminus vestiméntis salútis.

4. Gaudeámus, * et exsultémus, et demus glóriam Deo: quia venérunt núptiæ Agni.

5. Júvenes et vírgines * laudent nomen Dómini: quia exaltátum est nomen Mártyris Theclæ.

Capitulum. Eccli. 51.

Confitébor tibi, Dómine Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Hymn. et ℣. de Comm.

Ad Bened. Ant. Sicut lílium inter spinas, sic Thecla amíca mea inter fílias.

Oratio.

Deus, pro cujus nóminis glória magnum certámen passiónum beáta Thecla Virgo et Martyr tua feminárum prima invícta fide sustínuit: da nobis ejúsdem fídei imitatióne próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

Ad Tertiam.

Capit. Confitébor tibi.

℟. br. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et. Glória Patri. Spécie.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 51.

Liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de multis tribulatiónibus quæ circumdedérunt me.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 51.

Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiæ, Dómine Deus noster.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea

benedíxit te Deus in ætérnum.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesp., præter ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Die 24. Septembris.

In tota eccl. prov. Tarracon.

In Descensione B. M. V. de Mercede.

Duplex 2. classis.

In diœc. Barcin. dupl. 1. cl. cum Oct.

Offic. ut in Proprio Ss. Hispan., eadem die.

Die 25. Septembris (vel 26. in diœces. Gerund.)

In tota eccles. provinc. Tarraconen.

S. Mariæ de Cervellione Virginis.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis die 22. Sept., cum propr. Ant. ad Magnif. et Bened. In diœces. Cœlson., Gerund., Ilerden., Tarracon. et Urgellen. fit commem. Oct. S. Theclæ, cujus loco in diœces. Barcinon. erit commem. Oct. Descension. B. M. V.

Eadem die.

In diœcesi Gerundensi.

Beati Dalmatii Monerii Confessoris.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequ. (m. t. v.)

Oratio.

Deus, qui húmilem fámulum tuum Dalmátium multis signis atque virtútibus decorásti, ac mirabíliter in tuo amóre spretis temporálibus inflammásti: tríbue nobis, quǽsumus; ut ejus intercessióne a terrénis afféctibus expedíti et a cunctis adversitátibus liberáti, sola cœléstia appetámus. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Dalmátius Monérius, natióne Hispánus, in Catalaúniæ principátu, villa sanctæ Colúmbæ de Farnésiis, diœcésis Gerundénsis, honéstis piísque paréntibus ortus, ab ineúnte ætáte morum candóre ac innocéntia futúræ sanctitátis indícia præbuit. Adoléscens liberálibus di-

sciplínis Gerúndæ instrúctus, ad altiórem doctrínæ ac virtútis palmam aspírans, montem Pessulánum ádiit: ubi mentem lítteris bonísque móribus éxcolens, et cuncta malórum incitaménta sédulo devítans, illibátum a quólibet inquinaménto corpus et ánimum studióse custodívit. Cumque in sciéntiis et virtútibus plúrimum profecísset, in pátriam revérsus est. Hinc a Deo vocátus, mundo, cui corde numquam adhǽserat, núntium remíttens, Gerúndæ hábitum órdinis Prædicatórum suscépit. In ipso religiónis exórdio mores suos ad legum præscrípta exactíssime compósuit; eamdémque vivéndi ratiónem, quam sibi primo constítuit, perseveránter usque in finem servávit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Terréna cuncta despíciens ac sola cœléstia concupíscens, ut libérius Deo posset inservíre, docéndi offício, quod per plures annos summa cum laude perégerat, humíliter se abdicávit. Duríssimæ austeritátis ac mirábilis abstinéntiæ fuit. Legumínibus herbarúmque radícibus vix igni expósitis ut plúrimum vescebátur; carnes vero nónnisi cogénte infirmitáte sumébat; vino vel numquam vel raríssime utebátur; sǽpius étiam per vigínti dies, vel æstívo témpore, ab omni potu pénitus abstinébat. In oratióne et meditatióne diu noctúque assíduus, vigíliis ac jejúniis fatigátus, super nudam humum paúlulum quiescébat. Virgíneam quoque carnem áspero cilício et crebris flagéllis ad sánguinis usque effusiónem affligébat. Spíritu prophético multa futúra prædíxit, secréta córdium plúries penetrávit, ac inter orándum sǽpius in sublíme tolli visus est. Propter familiárem cum Angelo consuetúdinem frater cum Angelo loquens dicebátur, et qui áliqua adversitáte premebántur, quandóque cœ́litus móniti ad ipsum velut ad ómnium consolatórem confluébant.

℟. Amávit eum.

189

Lectio vi.

Temporális vitæ subsídia secum dum iter ágeret nulla deferébat; imo et ab áliis obláta modéste recusábat, omnem spem suam in solo Dómino repónens, a quo plúries juxta indigéntiam sibi per Angelos missa sunt. Sanctæ Maríæ Magdalénæ, quam peculiáriter venerabátur, pœniténtiam quadámtenus imitatúrus, secrétum sibi atque hórridum habitáculum infra septa monastérii vivo saxo incídit, ubi per annos quátuor usque ad mortem latitávit. Hoc in ergástulo rigidióris pœniténtiæ opéribus corpus in servitútem rédigens, talem ac tantam integritátem retínuit, ut nec carnis nec mentis umquam sénserit corruptélam. Tandem virtútibus et méritis plenus, die vigésima quarta Septémbris, anno salútis millésimo trecentésimo quadragésimo primo, ætátis vero suæ quinquagésimo, Gerúndæ obdormívit in Dómino: quem vivéntem et vita functum plúribus ferunt miráculis coruscásse. Ejus porro cultum Innocéntius Papa décimus tértius approbávit. Ut autem festum ejus cum Officio et Missa, tam in univérso Prædicatórum órdine quam in civitáte Gerundénsi, quæ singulári ejus protectióne lætátur, atque innúmeris a Deo benefíciis ejus patrocínio in dies augétur, ac tota respectíve diœcési ab omni ejus clero celebrarétur, Benedíctus décimus tértius benígne concéssit.

℟. Iste homo.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Sint lumbi vestri, de Comm. 1. loco.

Et fit comm. Oct. S. Theclæ in Laud. et II. Vesp.

Die 26. Septembris.

In diœcesi Dertusensi.

S. Crescentii Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. 1. loco, præter sequ.

Oratio. Præsta ... ut qui. de 3. loco. Et fit commemor. Ss. Cypriani et Justinæ Mart., ut in Brev. Rom. eadem die.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In III. Noct. Homil. Supra díxerat. in Evang. Nolíte arbitrári, ut in fine Propr. Ss. Hispan.

Lectio ix. (ex duabus fiat una) et commem. Ss. Mart.

Die 30. Septembris.

In diœces. Cœlson., Gerund., Ilerden., Tarracon. et Urgell.

Octava S. Theclæ Virg. et femin. Protomart.

Duplex.

Omnia ut in Festo 27* præter sequentia.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Sermo de S. Thecla.

Lectio iv.

Mihi vídeor hodiérna die beátam illam puéllam Theclam tamquam in imágine stantem memóriæ contemplári, et hac quidem manu de voluptátibus, illa vero de perículis reportátam corónam protendéntem; atque hac virginitátem, illa vero martýrium Dómino universórum offeréntem. Erat ígitur in ipsa étiam virgínitas, quæ illis, qui rem accuráte perpéndunt, magnum quoddam martýrium ante martýrium vidétur. Sunt enim crudéles quidam carnífices córporis voluptátes; imo vero carnifícibus crudelióres: nam vínculis torquent non manufáctis: per óculos ánimam vúlnerant: per aures mentis rigóri atque constántiæ luxúriæ faces ádmovent: áspero flagéllo intelléctum flagéllant: novis subínde prǽliis nos lacéssunt. Quando quis óculis cæcitátem indíxerit, ne formas spectent, tum id, quod clausum est, réserant voluptátes, et lascívis per aures cantilénis resólvunt: quando in aures cántibus meretrícis occlúsas incíderint, tum libidinóse cogitatiónibus ornátæ illúdunt: quando illas per ómnia, ut paucis compléctar, vigilántes superavérimus, dormiéntes umbrátili pugna divéxant. Ita nos perpétuis et in orbem redeúntibus prǽliis urgent, quæ neque cum sole excitántur, neque cum nocte sopiúntur.

℟. Virgo Christi.

Lectio v.

Porro si juventútem étiam aggréssæ fúerint, tum ignis cum igne miscébitur, stípula cum fornáce jungétur. Fácile namque voluptátibus juvéntus incénditur, quippe quæ pínguior

ólei in morem et áptior sit ad inflammatiónem, ut ad temperántiæ labóres delicátior. Quæ nimírum ómnia beátæ vírgini Theclæ longum martýrium virginitátem reddébant: quæ cum voluptátibus, ut cum béstiis martyr, pugnábat: cum cogitatiónibus, ut ille cum cruciátibus, luctabátur: cum libídinum imaginatiónibus, quasi cum torméntis carníficum, congrediebátur. Sed ab illo tam multíplici ac doméstico bello victóriam reportábat: síquidem igne naturáli ardéntior illi erat ignis ánimi, et sanctus. Enimvéro puéllæ natúra cedébat, et quæ apud álios dominátur et ad cóitum furit, apud Theclam virginitátem exercébat. Paréntes vero, cum fíliæ ínita cum virginitáte pacta non nossent, neque fœderis nuptiárum cum illa jungéndi causa Christum Dóminum de cœlo déxteram dedísse, multis eam verbosísque commonitiónibus ad conjúgium incitábant. At enim jam aures puéllæ Pauli cármine personábant: Quæ non est nupta, cógitat quæ Dómini sunt; ut sit sancta córpore, et spíritu. ℟. Pone me.

Lectio vi.

O beátas núptias, quarum torus est virgínitas! harum causa beátæ Mártyri Theclæ tot discrímina fuére subeúnda. Víderat quippe sponsi pulchritúdinem, et ab ejus contúitu non avellebátur. Instábat mater, quæ ad núptias impellébat; at illa sponsum cœléstem his vócibus compellábat: Ad te levávi óculos meos, qui hábitas in cœlis. Accedébat procus nuptiáli eam collóquio titíllans; at illa se cum Christo tácite conjungébat, dicens: Adhǽsit ánima mea post te. Confluébant adulatiónibus captántes propínqui; at illíus menti Paulus contéstans observabátur: Despóndi te uni viro vírginem castam exhibére Christo. Supplicábant servi cum lácrimis; at illa sponso amatórie concinébat: Quis nos separábit a caritáte Christi? Terrebánt júdices pœnis; at omnes illa magno ánimo proculcábat. ℟. Misit Dóminus.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 23. de verb. Domin. cap. 8.

Inténdat ítaque cáritas vestra. Sapiéntium lámpades ardébant de óleo ætérno, de consciéntiæ securitáte, de interióre glória, de íntima caritáte. Ardébant tamen et illárum fatuárum. Quare tunc ardébant? Quia non déerant laudes hóminum. Póstea vero quam surrexérunt, id est in resurrectióne a mórtuis, cœpérunt aptáre lámpades suas, id est, paráre, Deo óperum suórum réddere ratiónem. Et quia tunc nemo est qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat: non erant qui óleum vénderent, cœpérunt defícere lámpades.

℟. Dóminus, qui.

Lectio viii.

Circa fin., cap. 10.

Clausum est óstium. Et quid illis dictum est? Non novi vos. Non illas novit, qui ómnia novit? Quid ergo est, Non novi vos? Improbo vos, réprobo vos: in arte mea non vos agnósco: ars mea nescit vítia. Hoc est autem magnum, et nescit vítia, et júdicat vítia: nescit faciéndo, júdicat arguéndo. Sic ergo non novi vos. Iérunt, intravérunt quinque prudéntes. Sint in vobis quinque prudéntes, ad istam prudéntiam quinárii númeri pertinéntes. Véniet enim hora, et quando nescímus, véniet. Sic clausit Evangélium: Vigiláte, quia nescítis diem neque horam.

℟. Veni sponsa.

Lectio ix.

Corde vígila, fide vígila, spe vígila, caritáte vígila, opéribus vígila: et quando córpore dormíeris, véniet tempus ut surgas. Cum autem surréxeris, præ-

para lámpades. Tunc non exstinguántur; tunc in interióre consciéntiæ óleo vegeténtur; tunc sponsus ille incorpóreis néxibus amplectátur; tunc te introdúcat in domum, ubi numquam dórmias, ubi numquam possit tua lampas exstíngui. Hódie vero laborámus, et lámpades nostræ inter ventos sæculi hujus tentationésque flúctuant: sed árdeat in rubóre flamma nostra, ut ventus tentatiónis aúgeat ignem pótius, quam exstínguat. Te Deum.

FESTA OCTOBRIS.

Dominica II. Octobris.

In nonnullis diœcesibus.

Maternitatis B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis, eadem Domin.

Dominica III. Octobris.

In nonnullis diœcesibus.

Puritatis B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis, eadem Domin.

Die 21. Octobris.

In cathedral. Barcinon. et in civitat. Gerunden.

Ss. Ursulæ et Sociar.

Virg. et Mart.

Duplex.

Omnia de Comm. Virg. et Mart. 1. loco, cum Orat. Da nobis. plurim. Virg. et Mart., atque cum Lect. I. Noct. de Script. occurr.

Lectio ix. (ex duabus) et comm. S. Hilarionis Abbat., ut in Brev. Rom. eadem die.

Die 22. Octobris.

In civitate Dertusensi.

Ss. Cordulæ et Candidæ

Virg. et Mart.

Duplex majus.

Omnia de Communi Virg. Mart., præter sequentia.

In utrisque Vesperis.

Hymnus.

Festa virtútis cólere ut queámus
Vírginum cuncti mérito duárum,
Mitte de cœlis Deus alme nobis
Spíritus auram.
Cruda dum sacros rápide tyránnis
Vírginum cultris laceráret artus,

In cavas magno látebras timóre
Córdula fugit.
Post metu gaudens réd-iit relícto,
Et pati magnos cúpiens dolóres,
Fortis Hunnórum rábiem supérno
Rupit amóre.
Sic novas divæ celebrémus omnes
Cándidæ laudes, venerémur atque
Semper hoc nobis súpere tribútum
Pignus honóre.
Non amor turpi ferit hanc sagítta,
Nec levat sedes honor in supérbas;
Sed Dei donum sítiit corúscum
Péctore anhélo.
Te Deus cœli paritérque Trine,
Spíritus cuncti venerétur ore,
Corde perfécto famuléntur atque
Tempus in omne.
Amen.

℣. Adducéntur Regi Vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Ad Magnif. Ant. Prudéntes Vírgines aptáte vestras lámpades: ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

Oratio.

Corda nostra, quǽsumus Dómine, fídei et caritátis tuæ nexu astrínge: ut qui beatárum Vírginum et Mártyrum tuárum Córdulæ et Cándidæ continuáta festivitáte lætámur, intercessiónis eárum auxílio, virtútis mérito, in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Ad Matutinum.

Hymnus.

Hac die gentes húmiles per orbem
Géstiant omnes, Dominóque laudes
Corde dent magnas: sedet ecce cœlo
Córdula sancta.
Quam Dei virtus animávit, atque
Prǽstitit magnas validásque vires,
Ut sequens fortes sócias, Olýmpum
Scánderet altum.
Mira sic omnes resonémus almæ
Cándidæ, cujus sine labe vita

Fulget, et sedes súperas merétur
Cérnere cœli.
Quóniam durum generósa virgo
Non recusávit móriens labórem,
Ut novos Christo mérita reférret
Laude triúmphos.
Glóriam Patri, simul atque Nato,
Pnéumati sancto páriter precámur,
Máchinam mundi quóniam gubérnat
Trinus, et unus. Amen.

In I. Noct. Lect. De virgínibus. ut in Comm. Virg.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Cum ferox Hunnórum rábies ferárum more in undéna vírginum míllia desæviret, eásque telis, gládiis et énsibus crudéliter trucidáret, virgo quædam, nómine Córdula, humánum áliquid puellári conditióne pátiens, timóre pertérrita, in navi nocte illa se abscóndit; sicque cum céteris virgínibus eádem die passa non fuit. Mane autem facto in se rédiens, et martýrii palmam, quam sodáles accéperant, amisísse se dolens, de navis latíbulo, quo se recéperat, libens exsíliit, et velut ovem a lupis trucidándam sese pro Christi nómine milítibus spontánee óbtulit: quam velut Christiánam et Christum constantíssime profiténtem, Hunni crudéliter occidérunt; sicque cum palma martýrii ad ceterárum vírginum pervénit societátem.
℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Cum autem de ea, sicut de céteris festum non fíeret, eo quod cum áliis passa non fuísset, cuídam reclúsæ appáruit, monens ut sequénti die post festum vírginum, speciále de ipsa fíeret festum. Diffúsa autem inter christifidéles erga sacras vírgines devotióne, multæ ecclésiæ per orbem de relíquiis eárum obtinére conátæ sunt; ut eárum venerátióne habére mereréntur suffrágia, quarum relíquiis piæ religiónis præstárent obséquia. Itaque sacrum Córdulæ caput a dómina Margaríta sereníssimi Martíni Aragónum

regis caríssima cónjuge, Dertusénsi ecclésiæ simul cum sacris aliórum sanctórum relíquiis célebri pompa, interessénte ipsa Margaríta, donátum fuit anno millésimo quadringentésimo vigésimo, décimo Kaléndas Júnii.

℟. Dilexísti justítiam.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. I. de Virg. circa init.

Lectio vi.

Quóniam hódie natális est Vírginis, invítat nunc integritátis amor, ut áliquid de virginitáte dicámus: ne véluti tránsitu quodam præstrícta videátur, quæ principális est virtus. Non enim ídeo laudábilis virgínitas, quia in Martýribus reperítur: sed quia ipsa Mártyres fáciat. Quis autem humáno eam possit ingénio comprehéndere, quam nec natúra suis inclúsit légibus? Aut quis naturáli voce compléctí, quod supra usum natúræ sit? E cœlo accersívit, quod imitarétur in terris. Nec immérito vivéndi sibi usum quæsívit e cœlo, quæ sponsum sibi invénit in cœlo.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evangel. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus. de Comm.

Ad Laudes.

Hymnus.

Jesu salus mortálium,
Salúbris spes credéntium,
Ut hanc celebrémus diem,
Tuum da nobis spíritum.

Fave tu nobis, Córdula,
Adsis secúnda, Cándida,
Manu vos larga cárpite
Ab urbe vota dédita.

Micatísque miráculis,
Vos sérvulis precántibus
Deum rogáte, ne ígnibus
Nos implicémur ínferi.

Vos quæ polórum sídera,
Micántes una túnditis,
Hos sérvulos tuémini
Ab omni labe críminum.

Tibi Pater sit glória,
Cum Nato, et sacro Pnéumate,
Qui trinus mundi máchinam
Regis per omne sæculum.
Amen.

℣. ℟. et Ant. ad Bened. et ad Magnif. in II. Vesp. ut supra in primis.

Die 23. Octobris.

In diœcesi Barcinonensi.

In Translatione I. S. Eulaliæ Virg. et Mart.

Duplex majus.

Omnia de Communi Virg. et Mart., præter sequ.

Oratio. Deus qui inter cétera, in qua pro Natalítia dicitur Translatiónem.

In I. Noct. Lect. De virgínibus. de eodem Comm.

In II. Nocturno.

Ex Breviariis et historiis antiquis.

Lectio iv.

Joánne octávo summo Pontífice, et Cárolo Calvo Gálliæ rege, et Guiffre Pilóso Barcinonénsium cómite, Sigebódus Narbonénsis antístes cum Barcinónem appulísset, Frondoíno tunc Barcinonénsi epíscopo quanto flagráret desidério córporis beátæ Euláliæ investigándi, declarávit; ut eo invénto, et parte ejúsdem áliqua sibi donáta, Narbónæ templum Deo, et beátæ Eulúliæ nómine dicáret, in cujus altári reliquiárum partem repóneret. Nesciebátur post tot sǽcula a die mortis beátæ Eulúliæ ubi sacrum ejus corpus requiésceret: ex hymno tamen quodam didícerant, extra civitátem, in campo ubi nunc exstat beátæ Vírginis Maríæ de Mari templum, cónditum esse. Re ígitur matúre consúlta, devóti prǽsules locum ádeunt, et súpplici oratióne fusa, corpus, non parvo hóminum laborántium terrámque fodiéntium adhíbito número, diligentíssime perquíri jubent. Tríduum in laborándo fossóres multi terram circumfodiéntes consúmunt; córporis autem vel sepúlchri ejus nec vestígium quidem ullum repériunt. Qua de re mœsti omnes, præcípue vero prǽsules, a cœpto ópere desístere constítuunt, atque Narbonénsis valedícens Barcinonénsi epíscopo, Narbónam regréditur.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

Post dies áliquot Frondoínus íterum ad sacras beátæ Eulúliæ inquiréndas relíquias ánimum suum convértit. Quando autem eas humána non

posse diligéntia inveníri agnóscit, divínum præcípue Numen adeúndum esse decérnit. Quare triduánum jejúnium cum eleemósyna, et públicas preces fidélibus indícit; ut pretiósum reliquiárum thesaúrum óculis hóminum abscónditum Deus, cui nuda et apérta sunt ómnia, dignétur reveláre. Tríduo compléto, epíscopus ad locum designátum pergit: Sacrum ibi facit: quo finíto, totum locum orans círcumit: pretiósum thesaúrum studiosíssime quærit: báculo síngulis pássibus terram pércutit: et dum tentat sollícite, si quid inveníre váleat, quemdam sónitum in forámine, juxta paríetem ex báculi percussióne resultántem, audit. Fossóribus ut ibi fódiant, præcipit: sepúlchrum réperit, repértum áperit: ex quo ádeo suávis efflabátur odor, ut omnis géneris arómatum fragrántiam longe superáret. Magnus íllico cunctórum cum lætítia excitátur clamor. Venerábiles sacrásque relíquias omnes vident atque adórant, et pro eis Deo grátias agunt. Epíscopus et presbýteri psalléntes, sacrum corpus de sepúlchro éxtrahunt, et in féretro pretiósis pannis circumornáto repónunt.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vi.

Igitur solémni pompa virgíneum corpus supra clericórum húmeros inde versus civitátem dedúcitur. Sed ecce, ubi ad portam urbis ventum est, et tantísper ibi sístitur, corpus ádeo grave sentítur, ut súbito de húmeris fúerit necessário deponéndum; adeóque immóbile rédditur, ut nulla vi seu arte e terra váleat dimovéri. O quantus tunc post tantam lætítiam ómnium ánimos invásit timor! Epíscopus rei novitáte percúlsus genufléctens, omnes in génua procúmbere, et júgiter Deum beatámque Euláliam obsecráre monet, ut quænam tanti miráculi causa sit, demónstret. Dum preces omnes fundébant, cléricus quidam suo scélere stimulátus, consciencitiáque própria térritus,

epíscopo dígitum, quem e vírginis córpore surripúerat, restítuit: epíscopus accéptum dígitum in loco, ubi erat corpus, repónit; et post preces ad Deum fusas constánti fide presbýteros ad feréndum féretrum, ubi corpus erat, hortátur. Mira res, sacra illa sarcínula ádeo levis réddita est, ut ab eísdem facíllime portarétur. In cujus rei memóriam lapis eréctus, et beátæ Euláliæ imágo supra illam urbis portam constitúta, in hodiérnum usque diem servátur. Itaque corpus in civitátem introdúctum, multis clarum miráculis, in sacrário ecclésiæ fuit repósitum. Hujus inventiónis atque translatiónis, quæ cóntigit die vigésima tértia Octóbris anni octingentésimi septuagésimi octávi, festum in diœcési Barcinonénsi annis síngulis et eódem ipso die religióse cólitur.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus. de Comm. 1. loco.

Die 24. Octobris vel alia die.
In diœc. Tarracon., Urgellen. et Vicens.

S. Bernardi Calvo Episc. et Confessoris.

Duplex.

In diœc. Vicensi Dupl. 2. cl.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequ. (m. t. v. si extra diem 24. celebretur.)

Oratio.

Deus, qui beátum Bernárdum Confessórem tuum atque Pontíficem fidélem in Evangélio Fílii tui minístrum in Ecclésia tua constituísti: dírige in caritáte tua, et confírma corda nostra; ut et in fide inveniámur stábiles, et in ópere efficáces. Per eúmdem Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Script. occurr. In diœc. Vicens. Fidélis sermo. de Com.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Bernárdus, cognominátus Calvónius, a Manso Calvo ejus natáli solo, Tarraconénsis diœcésis, in Catalaúnia sacris lítteris summópere déditus, in theólogum consummátum evásit, numquam ad libros, nisi ab

oratióne transíre sólitus. Cum jam insígni pietátis, doctrínæ virtutúmque ómnium splendóre prælucéret, a plúribus epíscopis optabátur, ut in suis ecclésiis canónicus eligerétur: ipse autem ad sacram solitúdinem tantum aspírans,in monastério de sanctis Crúcibus Cisterciénsem órdinem ingréssus est. Multis a professióne monástica in omni virtúte transáctis annis, abbas eídem cœnóbio est præféctus,ut céteris suæ doctrínæ et virtútis exémplo præíret. Ad viri Dei impérium creatúræ tum irrationáles tum étiam insensíbiles natúræ vim cohibébant: prophetíæ spíritu afflátus, plura humánæ cognitióni prorsus impérvia prædicébat. ℟. Invéni.

Lectio v.

Cum in ipsum aliquándo nonnúllæ mulíeres procáces óculos injecíssent, ejúsque pulchritúdinem dentiúmque candórem immódice commendássent, castitátis et pudicítiæ studiosíssimus, in se ipsum sǽviens et indignátus, divíno Spíritu impellénte, dentes sibi lápide confrégit, nullum detriméntum in esu et in conciónibus ex ea læsióne perpéssus. Virtútibus ítaque et signis Bernárdus in univérsa Hispánia et Gállia célebris, Ausetánæ seu Vicénsis ecclésiæ, invítus licet, et relúctans, et nónnisi auctoritáte apostólica compúlsus, consecrátur epíscopus, commúni cleri et pópuli acclamatióne. In hac quidem dignitáte emícuit Bernárdus uti vir vere apostólicus: qui boni pastóris partes fidelíssime adímplens, síngulis diébus Domínicis ad pópulum conciónem habébat, pupíllos et víduas tuebátur, ægris subveniébat, pecúnia paúperes, júvenes egénos scholis addíctos eleemósynis juvábat, et diœcésim própriam sæpe sǽpius per seípsum visitábat. A Gregório nono Pontífice Máximo contra hæréticos tunc témporis per Hispániam et Gálliam grassántes, beátus præsul una cum duóbus frátribus órdinis Prædicatórum inquisítor et judex institútus est.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Nec his conténtus, infidéles plúrimos verbo prædicatiónis ad christiánæ fídei cognitiónem addúxit, collectóque mílite, non paucas paganórum urbes expugnávit, in quibus, expúlsis Mahometánis, veram religiónem stabilívit. Acérrimus éxstitit próprii córporis castigátor, et aliquándo pro levi culpa suos artus cíngulo férreo tam stricte circumligávit, ut síbimet grave vulnus inflíxerit; quod cíngulum tamen nónnisi cœ́litus admónitus, depósuit. Cum ad própriam sedem sanctus epíscopus revertebátur, multóties urbis campánæ ultro pulsábant: quo signo cives pastóris sui advéntum agnoscébant. Inexplébili caritáte indúlgens, aliquándo tribus uvárum racémis ómnia domus suæ dólia vino replévit; quod cum síngulis diébus inter paúperes abundánter distribuerétur, divínitus augebátur: idémque de pánibus inter egénos dispensátis intérdum evénit. Méritis ítaque et virtútibus clarus, anno salútis millésimo ducentésimo quadragésimo tértio sanctíssimam vitam pari morte conclúsit, multis adhuc post óbitum corúscans miráculis, ita ut centum et ámplius authéntice comprobáta in ecclésia Vicénsi facta legántur, et ejus festum Offício ecclesiástico in ea diœcési celebrabátur.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12. e.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 76. in Cant.

In Evangélio Dóminus illos affírmat esse beátos, quos, cum vénerit, invénerit vigilántes. Boni namque sollicitíque pastóres impinguáre pecus non cessant bonis lætísque exémplis, et suis magis quam aliénis. Nam si aliénis, et non suis, ignomínia est illis, et pecus ita

non próficit. Si enim, verbi causa, ego, qui vídeor inter vos pastóris gérere curam, vobis opposúero Móysi mansuetúdinem, patiéntiam Job, misericórdiam Samuélis, Davídis sanctitátem, et si quæ sunt ejúsmodi exémpla bonórum; immítis ipse, et impátiens, atque immiséricors, et mínime sanctus: sermo, ut véreor, minus sápide evéniet, et vos minus ávide capiétis. Verum hoc supérnæ pietáti relínquo, ut quod minus vobis ex nobis est, ipsa súppleat: et quod pérperam, ipsa córrigat.

℟. Amávit eum.

Lectio viii.

Nunc vero bonus pastor hoc quoque curábit, ut secúndum Evangélium inveniátur habére sal in semetípso, sciens quod sermo sale condítus, quantum placúerit ad grátiam, tantum próderit ad salútem. Unde qui ávide nimis honóribus ínhiant, minus próvide grávibus se suppónunt onéribus, expónunt perículis, nec sciunt ad quid vénerint, sicut scriptum est: Amíce, ad quid venísti? Nisi fallor, ad solam civitátis custódiam, ut, quantum satis est, procurétur, opus est viro forti, spirituáli, fidéli: forti, ad propulsándas injúrias; spirituáli, ad deprehendéndas insídias; fidéli, qui non quæ sua sunt, quærat.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Porro autem ad mores honestándos, vel corrigéndos quis non líquido agnóscat, pernecessáriam fore cum multa quidem diligéntia disciplínæ censúram? Ea propter omnis, cui hoc opus incúmbit, opórtet férveat zelo illo, quo accénsus præcípuus ille æmulátor sponsæ Dómini ajébat: Æmulor vos Dei æmulatióne: despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo. Jam quómodo in páscua divinórum edúcet eloquiórum greges Domínicos pastor idióta? Sed et si doctus quidem fúerit, non sit autem bonus, veréndum ne non tam nútriat doctrína úberi, quam stérili vita nóceat. Témere ítaque, et in

19 L

hac parte hoc onus subítur, absque sciéntia páriter vitáque laudábili.

Te Deum laudámus.

Die 26. Octobris.

In diœc. Vicensi.

Ss. Luciani et Marciani

Mart. Patron.

Duplex 1. class. cum Oct.

Omnia de Comm. plurim. Mart., præter sequ.

In I. Vesperis.

Ant. de Laudibus; 52*; Ps. de Comm.

Hymnus.

Urbis o nostræ cólumen
 decúsque,
Súpplici, cives, tibi Luciáne,
Et tibi, fusa prece, Marciáne,
 Réddimus hymnos.

Artis innéxos láqueis nefándæ,
Vos pudor castus súperat puéllæ
Nésciæ vinci, révocans ab atri
 Faúcibus Orci.

Scílicet, scuto fídei pudícam
Múniens mentem, rétudit malígni
Impetus hostis, magicásque victrix
 Díspulit artes.

Laus, honor, virtus Tríadi beátæ,
Et Patri ætérno, parilíque Proli,
Et tibi compar utriúsque in omne
 Spíritus ævum. Amen.

℣. Lætámini.

Ad Magnif. Ant. Confíde, Vicénsis cívitas, sanctórum tuórum Mártyrum tuta præsídio, et contra fúlgura et tempestátes ceteráque ingruéntia mala eórum intercessióne muníta.

Oratio ut ad Laudes, 53*

Ad Matutinum.

Hymnus.

Tincti sacro baptísmate,
Et expiátis sórdibus,
Ad antra sese cónferunt,
Uni vacent ut Númini.

Divíno agénte Spíritu,
Rursus migrant in pátriam,
Ut veritáte impértiant
Quos fraúdibus decéperant.

Præsens piis hortátibus
Adest supérna grátia,
Quæ luce corda illúminet,
Et caritáte emólliat.

Sed cæca turba géntium
Advérsus insóntes furit:
Exclámat amens, pátrios
Ritus deósque póllui.

Sit sempitérna glória
Patri simul cum Fílio,
Tibíque, virtus Mártyrum,
Alme utriúsque Spíritus.
Amen.

In I. Nocturno.

Ex Daniéle Prophéta.

Lectio i. Cap. 3.

Congregáti sunt sátrapæ, magistrátus, et júdices, duces, et tyránni, et optimátes, qui erant in potestátibus constitúti, et univérsi príncipes regiónum, ut conveníerent ad dedicatiónem státuæ, quam eréxerat Nabuchodónosor rex. Et præco clamábat valénter: Vobis dícitur pópulis, tríbubus, et linguis: In hora, qua audiéritis sónitum tubæ, et fístulæ, et cítharæ, sambúcæ, et psaltérii, et symphóniæ, et univérsi géneris musicórum, cadéntes adoráte státuam aúream, quam constítuit Nabuchodónosor rex. Si quis autem non prostrátus adoráverit, eádem hora mittétur in fornácem ignis ardéntis.

℟. Abstérget Deus.

Lectio ii.

Statímque in ipso témpore accedéntes viri Chaldǽi accusavérunt Judǽos: dixerúntque Nabuchodónosor regi: Rex in ætérnum vive. Sunt viri Judǽi, quos constituísti super ópera regiónis Babylónis, Sidrach, Misach, et Abdénago: viri isti contempsérunt, rex, decrétum tuum. Nabuchodónosor rex ait eis: Veréne Sidrach, Misach, et Abdénago deos meos non cólitis, et státuam aúream, quam constítui, non adorátis? Respondéntes, dixérunt regi Nabuchodónosor: Non opórtet nos de hac re respondére tibi. Ecce enim Deus noster, quem cólimus, potest erípere nos de camíno ignis ardéntis, et de mánibus tuis, o rex, liberáre. Quod si nolúerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non cólimus, et státuam aúream, quam erexísti, non adorámus.

℟. Viri sancti.

Lectio iii.

Tunc Nabuchodónosor præcépit ut succenderétur fornax séptuplum quam succéndi consuéverat. Et viris fortíssimis de exércitu suo jussit, ut ligátis pédibus Sidrach, Misach, et Abdénago, mítterent eos in fornácem ignis ardéntis. Et conféstim viri illi vincti, cum braccis suis, et tiáris, et calceaméntis, et véstibus, missi sunt in médium fornácis ignis ardéntis: nam jússio regis urgébat: fornax autem succénsa erat nimis. Porro viros illos, qui míserant Sidrach, Misach, et Abdénago, interfécit flamma ignis. Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, et Abdénago, cecidérunt in médio camíno ignis ardéntis colligáti: et ambulábant in médio flammæ laudántes Deum, et benedicéntes Dómino.

℟. Tradidérunt córpora.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Luciánus et Marciánus, patróni civitátis Vicénsis, nóbili loco éditi, ad falsórum núminum cultum pravam magicárum ártium superstitiónem addidérunt, qua præcípue utebántur, ut ethnicárum mulíerum corda ad suam libídinem pertráherent. Vírginem christiánam, non minus elegántia formæ quam singulári modéstia prǽditam, cum illi afflíctim deperírent; ejus pudicítiam máchinis ómnibus expugnáre conáti sunt. Sed cum nihil cármina, nihil inférni præstígiæ advérsus castíssimum pectus profécerint, ípseque dæmon, iísdem interrogántibus fatéri coáctus sit, vim omnem suam, invocáto Jesu nómine, prorsus infríngi; Spíritus sancti grátia collustráti, auctoraméntum ejurárunt, quo dǽmoni constrícti erant; suavissimóque Christi jugo, cujus virtútem expérti fúerant, sese submíttere decrevérunt.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Prolátis íllico in médium, ac ultríci flamma consúmptis curiosárum ártium volumínibus, sacró-

que baptísmate contríto corde suscépto; ut dignam nova professióne vitam auspicaréntur, sese in solitúdinem recepérunt. Ibi divínæ legis meditatióne, jejúniis aliísque córporis afflictatiónibus, quanto ántea effúsius nequam ánimi affectiónibus fræna laxáverant, tanto eas ácrius coërcébant, donec id étiam commériti sunt, ut eis Deus, véluti fídei suæ præcónibus uterétur. Revérsis ígitur in pátriam, ibíque cives exémplo et consílio cohortántibus, multi, adjuvánte Spíritus sancti grátia, in Jesu Christi fidem convérsi sunt.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vi.

Præerat ea tempestáte, imperánte Décio, provínciæ procónsul Sabínus, ad quem deláti sunt sancti júvenes, tamquam violátæ públicæ religiónis rei, novorúmque sacrórum contra jus fasque præcónes. Cum eos procónsul a sancto propósito nec précibus nec minis deterrére posset, edíxit, ut, quóniam contémptis príncipum decrétis, diis immortálibus sacra fácere detrectábant, flammis públice addiceréntur. Exsultántes Luciánus et Marciánus, in Dei laudes actionésque gratiárum effúsi, eíque spíritum magna fidúcia et alacritáte commendántes, in ardéntem rogum conjécti, martýrii palma coronáti sunt.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite a ferménto pharisæórum, quod est hypócrisis. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 7. in Luc. Cap. 12.

Pulchérrimum locum tenéndæ simplicitátis, et æmulándæ fídei Salvátor intéxuit, ne Judáicæ perfídiæ more ália promámus affectu, ália voce simulémus: cum último témpore occúlta cogitatiónum accusántium, aut étiam defendéntium, secrétum nostræ mentis aper-

túra videántur. Quæ enim major est simplicitátis illécebra, quam ut unusquísque cognóscat, látebram fraudis esse non posse?

℟. Propter testaméntum.

Lectio viii.

Sed quóniam gémina est causa perfídiæ, quia aut ex inólita malítia, aut ex accidentáli metu náscitur: ne quis metu térritus potestátis, Deum, quem corde cognóscit, negáre cogátur, pulchre áddidit, ánimæ tantum formidábile esse supplícium, pœnam córporis non esse metuéndam. Mors enim natúræ finis, non pœnæ est: et ídeo mortem supplícii corporális esse deféctum, pœnam vero ánimæ esse perpétuam: eóque Deum solum esse metuéndum, cujus potestáti non natúra præscríbat, sed éadem natúra subjáceat; mortem vero non esse terríbilem, quam locupletióre fœnore sit im̃ortálitas redemptúra.

℟. Sancti mei.

Lectio ix.

Inspiráverat Dóminus simplicitátis afféctum, virtútem mentis eréxerat; fides sola nutábat, bene eam de vilióribus roborávit. Nam si Deus obliviónem pásserum non habet, hóminum habére qui potest? Quod si tanta est Dei et tam ætérna majéstas, ut unus ex passéribus, aut nostrórum númerus capillórum præter sciéntiam Dei non sit, quam indígnum est æstimáre, quod fidélium corda Dóminus aut ignóret, aut spernat, qui vilióra cognóscat? Te Deum laudámus.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Tamquam aurum * in fornáce probávit eléctos suos Luciánum et Marciánum Dóminus.

Ps. Dñs regnávit.

2. Quasi holocaústa * suscépit sanctos Mártyres Dóminus in odórem suavitátis.

3. Paráti sumus * torménta quæcúmque pati pótius quam in ignem inexstinguíbilem incídere, ait Marciánus ad tyránnum.

4. Igne me examinásti, Deus meus, et non invénta est ultérius in me iníquitas.

5. Examináti * tamquam argéntum, et purgáti séptuplum Luciánus et Marciánus in cœléstes thesaúros repósiti sunt.

Hymnus.

Jugo premébat ímpius
Satélles immánis Deci
Sabínus urbem, vínculis
In Christiános sæviens.

Exársit ira in Mártyres;
Edícit accéndi rogum;
Tergóque strictis bráchiis,
Ambos in ignem cónjicit.

Sic grata Christi víctima
Utérque flamma absúmitur:
Manet cinis, sed Mártyrum,
Argénto et auro cárior.

Tuque, Ausetána cívitas,
Dignáta sacro hoc pígnore,
Gaude, tuórum Mártyrum
Muníta propugnáculo.

Sit sempitérna glória
Patri simul cum Fílio,
Tibíque, virtus Mártyrum,
Alme utriúsque Spíritus.
Amen.

℣. Exsultábunt sancti.

Ad Bened. Ant. Sicut tres púeri in camíno ignis ardéntis, ita duo júvenes Luciánus et Marciánus in médio flammæ cantábant uno ore, benedicéntes Dóminum.

Oratio.

Deus, qui beátos Mártyres tuos Luciánum et Marciánum per ignem probátos et sine labe invéntos, in ætérna tabernácula transtulísti: da, ut nos quoque tuæ caritátis igne a vítiis expiáti, ipsórum patrocínio ad cœléstem pátriam perveníre mereámur. Per Dóminum.

In II. Vesperis.

Omnia ut in primis, et loco ultimi Ps. Crédidi.

℣. Exsultábunt.

Ad Magnif. Ant. Plúviam salutárem intercessióne sanctórum Luciáni et Marciáni dedit nobis Deus in témpore suo.

Oratio ut supra.

Die 29. Octobris.

In diœcesi Gerundensi.

S. Narcissi Episc. Mart.

Duplex 1. cl. cum Oct.

In I. Vesperis.

Ant. 1.

Narcíssus curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne.

Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

2. Ipse est diréctus divínitus in pœniténtiam gentis, et tulit abominatiónes impietátis.

3. Fuit máximus in salútem electórum Dei, expugnáre insurgéntes hostes.

4. Invocávit Dóminum omnipoténtem in oppugnándo hostes circumstántes úndique, in oblatióne Agni invioláti.

5. Consummatióne fungens in ara, libávit de sánguine uvæ: effúdit in fundaménto altáris odórem divínum excélso príncipi.

Capitulum. 2. Mach. 15.

Hic est fratrum amátor, et pópuli Israël: hic est, qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte.

Hymnus.

Festívis hódie laúdibus ínclytum
Narcíssum, púeri, concínite, ac senes:
Linguis ómnibus, urbs nostra, canéntibus
Patrónum célebra tuum.

Dum nostram prémerent carnífices fidem,
Ac strages fíeret christíadum, datus
Nobis hic fuit invíctus epíscopus,
Christi ut dúceret ágmina.

Zelo ardénte plagas raptus ad éxteras,
Afram cum Eunómia, Digna et Hilária,
Narcíssus Zósimum ac innúmeram fere
Sanctórum ségetem parat.

Ast ex indígenis lárgior est seges,
Nostrórum píetas ínclyta cívium;
Centéni, præeúnte agmen epíscopo,
Scandunt sídera Mártyres.

Laus ætérna tibi, altíssima Trínitas,
Quæ ætérno récreas lúmine Mártyres:
Narcíssi précibus da fámulis tuis
Cœli gaúdia cónsequi.
Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Sanctíssimum patrem ac epí-

scopum Narcíssum hujus civitátis et diœcésis patrónum recolámus ac celebrémus, qui suis méritis et précibus nos ab omni malo liberáre potens est.

Oratio ut ad Laudes. 63*

Ad Matutinum.

Invitat. Regem glóriæ Christum, qui Narcíssum coronávit, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

Iste, quem gaudens canit urbs Gerúndæ,
Quem diœcésis cólimus patrónum,
Hac die sertis redimítus arces
Scandit Olýmpi.

Exteras oras patriásque lustrat,
Núntiat Christum, pavet haud tyránnos,
Voce et exémplo superísque signis
Terret avérnum.

Ira Rufíni veheménter ardet,
Certa Narcíssus ruit in perícla,
Cáritas urget, periméndus instat
Pro grege pastor.

Dona dum libat sacra Trinitáti,
Guttur ac suras scapulásque cæsus,
Númini sacram próprio cruóre
Imbuit aram.

Laus tibi, simplex Deus atque trine,
Qui beas nostrum super astra patrem,
Ejus orátu bona sempitérna
Pórrige nobis. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. In lege Dómini fuit volúntas Narcíssi die ac nocte.

Ps. trium Nocturn. de Com̄. unius Mart.

Ant. Prædicans præcéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus ad regéndam Ecclésiam Dei.

Ant. Dóminus suscéptor ejus fuit, glória ejus, et exáltans caput ejus.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De libro Jósue.

Lectio i. Cap. 2.

Misit ígitur Jósue fílius Nun de Setim duos viros ex-

ploratóres in abscóndito, et dixit eis: Ite, et consideráte terram, urbémque Jéricho. Qui pergéntes ingréssi sunt domum mulíeris meretrícis nómine Rahab, et quievérunt apud eam. Nuntiatúmque est regi Jéricho, et dictum: Ecce viri ingréssi sunt huc per noctem de fíliis Israël, ut explorárent terram. Misítque rex Jéricho ad Rahab, dicens: Educ viros, qui venérunt ad te, et ingréssi sunt domum tuam: exploratóres quippe sunt, et omnem terram consideráre venérunt. Tolléns que múlier viros, abscóndit, et ait: Fáteor, venérunt ad me, sed nesciébam unde essent: cumque porta clauderétur in ténebris, et illi páriter exiérunt, néscio quo abiérunt: persequímini cito, et comprehendétis eos.

℟. Exploratóres evangélicos Narcíssum et Felícem Afra méretrix hospítio excépit, * Et Dei minístros a paganórum insídiis liberávit. ℣. Felix múlier, quæ bonum opus operáta est. Et Dei.

Lectio ii.

Ipsa autem fecit ascéndere viros in solárium domus suæ, operuítque eos stípula lini, quæ ibi erat. Hi autem qui missi fúerant, secúti sunt eos per viam quæ ducit ad vadum Jordánis: illísque egréssis, statim porta clausa est. Necdum obdormíerant qui latébant, et ecce múlier ascéndit ad eos, et ait: Novi quod Dóminus tradíderit vobis terram: étenim írruit in nos terror vester, et elanguérunt omnes habitatóres terræ. Audívimus quod siccáverit Dóminus aquas Maris rubri ad vestrum intróitum, quando egréssi estis ex Ægýpto: et quæ fecéritis duóbus Amorrhæórum régibus, qui erant trans Jordánem: Sehon et Og, quos interfecístis.

℟. Abjécta ad Narcíssi pedes Afra dixit: Obsecro te Dómine * Ut me fácias mundári a peccátis meis. ℣. Beáta est fides tua, o múlier: faciémus in te misericórdiam et veritátem. Ut.

Lectio iii.

Et hæc audiéntes pertimúimus, et elánguit cor nostrum, nec remánsit nobis spíritus ad intróitum vestrum: Dóminus enim Deus vester, ipse est Deus in cœlo sursum, et in terra deórsum. Nunc ergo juráte mihi per Dóminum, ut quómodo ego misericórdiam feci vobíscum, ita et vos faciátis cum domo patris mei: detísque mihi verum signum, ut salvétis patrem meum et matrem, fratres ac soróres meas, et ómnia quæ illórum sunt, et eruátis ánimas nostras a morte. Qui respondérunt ei: Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodíderis nos. Cumque tradíderit nobis Dóminus terram, faciémus in te misericórdiam et veritátem. Demísit ergo eos per funem de fenéstra: domus enim ejus hærébat muro.

℟. Circa noctis gallicínium, cum lumen candélæ exstínctum esset, oránte Narcísso * Lux e cœlo delápsa diversórium occupávit. ℣. Dóminus illuminávit vultum suum super Afram, et misértus est illíus. Lux. Glória Patri. Lux.

In II. Nocturno.

Ant. Mirificávit Dóminus sanctum suum Narcíssum: et exaudívit eum, cum clamáret in oratióne.

Ant. In multitúdine misericórdiæ tuæ Dómine introívit in domum tuam: adorávit ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Ant. Mínuit eum Dóminus paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronávit eum.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Lectio iv.

Ex Breviar. Gerunden., Augustano et aliis monumentis.

Sanctíssimus pater et epíscopus noster Narcíssus, quo témpore fervébat Diocletiáni persecútio in Rhætiam províciam, divíno mónitu cum Felíce diácono suo proféctus, Augústam Vindelicórum áppulit. Quocum pervenísset, ad Afræ domicílium divértit. Afra

vero, etsi méretrix, compérto tamen eum esse Christianórum epíscopum, Dei spíritu commóta, resípuit, et ad illíus pedes se abjécit. Bono autem ánimo esse jussa, cum Narcísso et Felíce in oratióne pernoctávit. Circa autem noctis gallicínium, cum lumen candélæ exstínctum esset,oránte Narcísso lux e cœlo delápsa diversórium occupávit. Orto jam sole, Narcíssum et Felícem occultávit Afra, et indagatóres ab infidélibus missos elúsit. Pulso póstea inde dæmone, qui semel iterúmque se vidéndum præbúerat, multa patráta sunt a Narcísso mirácula, quibus Afram et ejus ancíllas Dignam, Eunómiam et Eutrópiam Hilariámque ejus matrem ad fidem convértit, et salutári aqua perfúdit.

℟. Narcíssus Afram et ejus ancíllas Dignam, Eunómiam et Eutrópiam Hilariámque ejus matrem ad fidem convértit, * Et salutári aqua perfúdit. ℣. Secúndum misericórdiam suam salvas fecit Deus ancíllas suas per lavácrum regeneratiónis. Et.

Lectio v.

In ea urbe aliquámdiu cum Felíce commorátus Narcíssus, multos ad christiánam religiónem alléxit, et consecráta in Dei cultum Hiláriæ domo, et Dionýsio ántea Zósimo Afræ avúnculo ad sacerdótium evécto, et epíscopo creáto, post novem menses in excoléndis íníbi ánimis consúmptos, revérsus est Gerúndam, atque ibi tamquam in legítimo solo íntegrum triénnium pósuit in amplificánda Christi fide: quo ex labóre collégit ubérrimos fructus. Sed cum adhuc eo témpore Diocletiáni crudélitas ubíque terrárum in Ecclésiam sævíret, sanctíssimus póntifex, dum sacris operarétur, gráviter in gútture, húmero ac sura vulnerátus, martýrii palmam obtínuit quarto Kaléndas Novémbris, anno círciter ducentésimo nonagésimo séptimo.

℟. Narcíssus Augústæ aliquámdiu cum Felíce commorátus, multos ad

christiánam religiónem alléxit, * Et Hiláriæ domum ecclésiam consecrávit. ℣. Hic est sacérdos magnus, qui in diébus suis corroborávit templum. Et.

Lectio vi.

Ejus corpus a Christiánis subdúctum, in eódem templo ubi passus ipse est, incorrúptum post tot annórum lustra manens, in magnífico marmóreo sacéllo últimis próximi elápsi sǽculi tempóribus magnis epíscopi tunc diœcésim regéntis súmptibus, nec non súbditi sibi gregis pio adjuvámine mirábili arte confécto, asservátur: íllaque perantíqua ecclésia olim sancta María extra muros dicebátur; póstea vero in honórem sancti Felícis Mártyris fuit dicáta. Cláruit multis miráculis, præsértim prodigiósa quadam integritáte ad hodiérnam usque diem, rubescénte étiam nunc circa talum eo cruóre, qui e vúlnere deflúxit. Fuit étiam illud celebérrimum, quando sub Petro Aragóniæ rege capta per Philíppum Gallórum regem Gerúnda, emíssa sunt divínitus ex Narcíssi túmulo ultrícium muscárum exámina, quæ, mortíferis acúleis édita ingénti strage, violáti per summum nefas templi ac sepúlchri víndices exstitére. Porro cum in decréto de reductióne festórum in Hispaniárum regnis, a Pio nono Pontífice Máximo édito, sancítum fúerit ut in quálibet diœcési unus tantum patrónus principális a sancta Sede designándus recolátur, ad pópuli devotiónem erga ínclytum Mártyrem magis ac magis fovéndam, et ad hujus cultum in dies augéndum, Gerundénsis antístes eníxe a sancta Sede postulávit ut is præcípuus apud Deum patrónus pro diœcési sibi concrédita constituerétur. Cujus précibus benígne ánnuens suprémus Póntifex, sanctum Narcíssum epíscopum et Mártyrem patrónum principálem diœcésis Gerundénsis elégit, ejúsque festum sub ritu dúplici primæ classis cum octáva, áddito fidélibus præcépto astándi Sacro et a servílibus opéri-

bus abstinéndi, quotánnis die vigésima nona Octóbris celebrári mandávit.

℟. Revérsus Gerúndam, in ea tamquam in legítimo solo íntegrum triénnium pósuit in amplificánda Christi fide: * Quo ex labóre collégit ubérrimos fructus. ℣. Dóminus elégit eum, et pósuit eum ut fructum afférret, et fructus ejus manéret. Quo. Glória Patri. Quo.

In III. Nocturno.

Ant. Ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pharetra, ut sagittárent in obscúro Narcíssum rectum corde.

Ant. Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: ipse autem timens Dóminum glorificátus est.

Ant. Glóriam et magnum decórem impósuit Dóminus super eum: quóniam dedit eum in benedictiónem in sǽculum sǽculi.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 12. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 65. in Joannem.

Quid signat granum fruménti, nisi cadens mórtuum fúerit? De cruce lóquitur, ne perturbaréntur. Cum Gentíles accessérunt, tunc mórtuum esse, hoc, inquit, máxime pópulos addúcet, et mei augébit præcónium. Inde cum non ita verbis persuadéret, rerum experiéntia id aggréditur, ínquiens hoc in fruménto contíngere, ut mórtuum majórem fructum ásserat: quod si hoc in semínibus évenit, multo magis in me. Sed non intellexérunt discípuli quid díceret: ídeo frequénter idem répetit Evangelísta, excúsans quod póstmodum fúgerint.

℟. Narcíssus epíscopus dum sacris operarétur, tribus vulnéribus felíciter occúbuit * In confessióne sanctíssimæ Trinitátis. ℣. Hic est bonus pastor, qui ánimam suam dedit pro óvibus suis. In.

Lectio viii.

Talem, de resurrectióne dísputans, ratiónem Paulus étiam áttulit. Quam ígitur habébunt excusatiónem qui resurrectiónem non credunt, cum in semínibus et in plantis quotídie hoc videámus, ac étiam in nostro génere? primum enim corrúmpi semen opórtet, inde fíeri generatiónem. Omníno autem, cum Deus áliquid facit, nulla opus est ratióne. Quómodo nos ex níhilo fecit? hoc ad Christiános dico, qui se dicunt crédere Scriptúris. Ego autem et áliud dicam ex humánis ratiónibus: álii malítiam, álii virtútem sectántur; sed malítiæ sectatórum multi felíciter in últimam pervenérunt senectútem, virtútis autem contra.

℟. O faustíssima cívitas et diœcésis Gerundénsis, Narcíssi epíscopi et Mártyris tui illustráta doctrínis, decoráta virtútibus, confirmáta miráculis, respérsa sánguine, dives sacris óssibus! *Sis tuta ejus patrocínio. ℣. Dóminus líberet te ab omni malo, et prótegat te propter Narcíssum servum suum. Sis. Glória Patri. Sis.

Lectio ix.

Quómodo ergo pro méritis unusquísque accípiet? quando? Certe, ínquiunt; sed córpora non resúrgent. Nonne aúdiunt Paulum dicéntem: Opórtet autem corruptíbile hoc indúere incorruptiónem? Neque ánimam intélligit, quippe quæ non corrúmpitur, et resurréctio de mórtuo dícitur: Cécidit autem corpus. Quare vero córporis resurrectiónem negas? An non possíbilis Deo est? quod dícere summæ améntiæ est. An non decet? cur non decet ut corruptíbile hoc, quod et labóris est et mortis párticeps, in præmiis étiam commúnicet?

Te Deum laudámus.

203

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Fide Narcíssus * hóstiam óbtulit Deo, per quam testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibénte munéribus ejus Deo.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Obedívit * in locum exíre, quem acceptúrus erat in hæreditátem: et éxiit, et demorátus est.

3. Obtulit Dómino * semetípsum cum tentarétur, árbitrans quia et a mórtuis suscitáre potens est Deus.

4. Elégit afflígi cum pópulo Dei, majóres divítias æstimans thesaúris ómnibus impropérium Christi.

5. Per patiéntiam * cucúrrit ad propósitum sibi certámen, aspíciens in auctórem fídei et consummatórem Jesum.

Capitulum. 2. Mach. 15.

Hic est fratrum amátor, et pópuli Israël: hic est, qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte.

Hymnus.

Præsulem sanctum mé
tis corúscum,
Mártyrem fortem, decu
hujus urbis,
Voce Narcíssum simul at-
que corde
Psállimus omnes.

Psállimus nostrum, red-
eúnte festo,
Quem pavent hostes, váli-
dum patrónum,
Qui propinquántes répulit
mináces
Sæpe phalánges.

Noster hic custos colu-
ménque nostrum,
Hic adest nobis pater atque
tutor,
Cujus et nostram sacra ci-
vitátem
Ossa tuéntur.

Ipse nos ergo tueátur
omnes,
Tuta sit semper per eum
Gerúnda:
Arva pinguéscant, relevén-
tur ægri,
Pax sit in ævum.

Laus tibi, simplex Deus
atque trine,
Qui beas nostrum super
astra patrem,
Ejus orátu bona sempitérna
Pórrige nobis. Amen.

us ut palma flo-
Sicut cedrus Lí-
iplicábitur.
ed. Ant. Venerá-
ıtifex Narcíssus
ábilem Afræ con-
ı ad Hispániam
, Gerúndam réd-
ıd martýrii pal-
citer pervénit.

Oratio.

ui beátum Nar-
m Mártyrem tu-
Pontíficem illú-
a decorásti, ejús-
us admirábili in-
claríficas: concé-
ius; ut ejus de-
e tuo muníti præ-
rrúpta gaúdia fe-
etérnæ consequá-
Dóminum.

l Tertiam.

Iic est fratrum.
Glória et honóre.
sti.

d Sextam.

um. Act. 20.

e vobis, et uni-
o gregi, in quo
itus sanctus pó-
copos régere Ec-
Dei, quam acqui-
guine suo.

℟. br. Posuísti. ℣. Magna est.

Ad Nonam.

Capitulum. Hebr. 5.

Omnis Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis.

℟. br. Magna est. ℣. Justus ut palma.

In II. Vesperis.

Omnia ut in primis 53* et loco ultimi Ps. Crédidi.

Capit. Hic est fratrum. ut in Laud. 62*

Hymnus.

Decus Gerúndæ ac patriæ,
Narcísse Martyr ínclyte,
Laudes tibi nos sólvimus,
Tu dona nobis ímpetra.

Sedens in arce síderum,
Hanc mitis urbem réspice,
Et deprecántes sérvulos
Audi benígne, et ádjuva.

Nostris procul de fínibus
Advérsa cuncta réjice,
Bellum famémque ac hórridam
Repélle pestiléntiam.

204

Compésce vires dǽmonis,
Dissólve víncla críminum,
Avérte noxas córporum,
Accénde lumen spíritus.

Ætérna, Jesu altíssime,
Laus sit tibi atque glória,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnif. Ant. Patrónum nostrum beatíssimum Narcíssum laudémus et superexaltémus, quem dígnitas pontificális exornávit, zelus apostólicus inflammávit, et gloriosíssimi martýrii laúrea Dóminus coronávit in ætérnum.

Die 31. Octobris.

In diœcesi Urgellensi.

Beatæ Margaritæ Mariæ Alacoque Virginis.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis, die 17. hujus.

Lectio ix. Homil. et comm. Vigiliæ.

FESTA NOVEMBRIS.

Die 2. Novembris.

In diœcesi Vicensi.

Octava

Ss. Luciani et Marciani Martyrum.

Duplex.

Omnia ut in Festo, præter sequentia.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo S. Gregórii Nysséni.

In S. M. Theodorum.

Lectio iv.

Quam præclárus et magníficus sit præsens sanctórum Mártyrum status et condítio, considerémus. Animus enim ad próprias revérsus sedes, et córpore vacans, cum suis simílibus vivit. Corpus autem castum et inviolátum ejus instruméntum, nullis própriis affectiónibus hóspitis quondam sui immortalitátem lædens, multo cum honóre observantiáque contéctum, præclárе jacet; et véluti thesaúrus quidam ádmodum pretiósus, in tempus regeneratiónis con-

servátur. Síquidem beáti Mártyres pro malórum expultríce omnipotentíque cruce Christi mortem oppeténtes, hanc sibi glóriam comparárunt.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Nam cum ímprobi júdices in idem, ut olim Heródes et Pilátus, conspirántes, consedíssent, ut Crucifíxi servos in hujúsmodi judícium, quo Dóminus quondam circumvéntus fúerat, arcessíssent: Dícite nobis, ínquiunt, unde vobis tantum audáciæ et confidéntiæ ingénitum sit, ut régias leges despiciátis? Posteáquam vero acerbitáte minárum, quibus mínime pepércerant, se nihil profícere animadvérterent, ad artes contrárias confúgere, et promíssis injústis hómines justos, rebúsque inglóriis glorиósos allícere conáti sunt. Cum autem in confessióne religióneque magis ipsi perstárent, senténtia in illos lata est, ut igne vitam finírent: atque ita præclárum beatúmque iter confecérunt.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vi.

Nobis autem sancti Mártyres memóriam certáminis tamquam magístram reliquérunt, qua quidem illi pópulos hic cóngregant, Ecclésiam instítuunt, dæmones fugant, concíliant Angelos pacis, orant a Deo quæ nobis utília sunt. Hunc enim locum, tamquam divérsis morbis medicínas suppeditántem officínam, procéllis tempestatibúsque periclitántium portum, festos dies celebrántium numquam desinéntem congréssum constítuunt: quamvis enim certum et solémnem hunc diem quotánnis celebrémus, numquam tamen déficit studióse adveniéntium multitúdo.

℟. Tamquam aurum.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite a ferménto pharisæórum, quod est hypócrisis. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 34. in Matth.

Si Deus ómnia, quæ fiunt, novit; si vult nos salvos fácere, et id potest: si quid patiámini, ne crédite vos derelíctos illa pati. Non enim vult vos a malis erípere, sed suadére ut mala contemnátis. Nam hæc vere liberátio est a malis. Nolíte ergo timére: multis passéribus melióres estis vos. Viden illos jam timóre corréptos fuísse? Sciébat enim secréta mentis, ídeo subjúnxit: Ne ergo timeátis eos. Etiámsi enim præváleant, in minórem partem prævalébunt, in corpus scílicet, quod etiámsi illi non occídant, natúra tamen ábsumet. Itaque ne in hoc quidem illi potestátem habent, a natúra quippe illud óbtinent. Quod si hoc tímeas, multo magis timéndum illud, quod majus ac metuéndus est ille, qui potest et ánimam, et corpus pérdere in gehénnam.

℞. Propter testaméntum.

Lectio viii.

Neque maniféste dixit, se illum esse qui possit et ánimam, et corpus pérdere; sed per ea, quæ supérius dixit, se júdicem esse monstrávit. At nunc contrárium évenit: nam eum qui potest ánimam pérdere, hoc est, supplício affícere, non timémus: illos autem, qui corpus interfíciunt, perhorréscimus. Quamquam ille una cum ánima corpus étiam ulcíscitur: illi vero non modo ánimam, sed ne corpus quidem possunt puníre; licet enim míllies supplício affíciant, splendídius illud omníno reddunt. Vidistísne quómodo certámina facília reddat? mors enim eórum ánimam ádmodum exagitábat, terribilísque adhuc erat, quod nondum expugnátu fácilis esset, nec adhuc Spíritus grátiam accepíssent ii, qui illam contemptúri erant.

℞. Sancti mei.

Lectio ix.

Postquam ergo timórem et metum, qui ipsórum ánimam exagitábat, amovísset, sequénti étiam ser-

móne illis fidúciam indit, timóre timórem pellens, nec timóre modo, sed magnórum spe præmiórum; insupérque cum magna potestáte comminátur: atque utrímque illos hortátur ad fidúciam pro veritáte suméndam, hæc adjíciens: Quicúmque confitébitur in me coram homínibus, confitébor et ego in eum coram Patre meo, qui est in cœlis: et quicúmque negáverit me coram homínibus, negábo et ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis. Non enim a bonórum spe tantum, sed étiam a malórum metu cóncitat, et in trístia désinit. Ejus autem accuratiónem perpénde. Non dixit, me; sed, in me; osténdens eum, qui confitétur, non própria virtúte, sed supérna grátia fultum confitéri. De negánte non dixit, in me; sed, me: nam cum dono grátiæ vácuus sit, ita negat. Cur ergo accusátur, ínquies, si is qui negat, ita derelínquitur? Quia qui derelínquitur, culpa sua derelínquitur.

Te Deum laudámus.

Et fit in Laud. comm. Oct. omnium Sanctorum. ℣. Lætámini.

Vesp. a Capit. de sequ. cum comm. præced. et Oct. ℣. Exsúltent.

Die 3. Novembris.

In diœcesi Urgellensi.

S. Hermengaudi Episc. et Conf. Patroni.

Duplex 1. cl. cum Oct.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Hermengaúdum Confessórem tuum atque Pontíficem próximi caritáte flagrántem, ad præmia ætérna evocáre dignátus es: da, quæsumus; ita nos ejus exémplo profícere, ut consórtio quoque pérfrui mereámur in cœlis. Per Dóminum.

In I. Noct. Lect. Laudémus viros. de eod. Comm. 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Hermengaúdus, Urgellénsis ecclésiæ præsul claríssimus, ad finem vergénte sǽculo décimo ex Bernárdo et Qui-

sla vicecomítibus de Confluénte, in antíquis Cataláuniæ fínibus natus est. Clericáli milítiæ post exáctam in litterárum stúdiis pueritiam adscríptus, atque archidiaconátus dignitáte in prælaudáta Urgelénsi ecclésia donátus, brevi se et doctrínæ præstántia, et vitæ sanctimónia ádeo conspícuum réddidit, ut mórtuo Salla civitátis antístite, prótinus unánimi ómnium acclamatióne in ejus locum fúerit suffectus. Hinc óptimus pastor concréditum sibi pópulum exémplo et mónitis pascens, ac divínum cultum augére peróptans, novam cathedrálem in honórem Deíparæ Vírginis exstrúxit, quam deínde plúribus quoque latifúndiis donávit.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Ecclesiásticæ disciplínæ factus instaurátor, suos canónicos ad vitæ communiónem capesséndam, præscrípta eis régula per summum Pontíficem approbáta, amplissimísque ex próprio património attribútis redítibus, indúxit: quam vivéndi ratiónem in coëpiscopórum sýnodo, cui ipse intérfuit, Gerundénses étiam canónici ampléxi sunt. Saracénis nonnúlla adhuc ea ætáte diœcésis óppida occupántibus, bellum indíxit, atque inter cétera Jesónam seu Guissónam ab eorúmdem erípuit potestáte. Sanctórum relíquias singulári veneratióne prosequebátur, unde peregrinatiónem ad divi Jacóbi Apóstoli sacras exúvias Compostéllæ asservátas, devóte óbiit. Corpus suum maceráre assuétus, rationábile obséquium Dómino offerébat, quo majóri humilitáte et puritáte altáris ministério fungerétur.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Exímia caritáte, qua erga gregem suum ferebátur, veheménter exæstuans, laboriósum opus aggréssus est. Cum namque ob Sícoris flumen, et propter magnas rupes árduus et perículis plenus Urgéllam foret accéssus, omnem

óperam cóntulit sanctus præsul, ut, dirúptis et æquátis rúpibus, exstructísque super Sícorim quátuor póntibus, fíerent áspera in vias planas, et ómnibus adveniéntibus tutum iter undequáque patéret. Dum vero ejúsdem caritátis fervóre ductus, in ædificatióne pontis loci de Bar operárium ágeret, fortúito in cautes décidens, spíritum creatóri suo réddidit tértio Nonas Novémbris, reparátæ salútis undécimo sǽculo decurrénte. Corpus ad ecclésiam cathedrálem solémni pompa tunc delátum, ibíque recónditum, summo honóre cólitur. Plura inter prodígia, quibus Hermengaúdi nomen celebrátur, insígne illud incolárum perénni traditióne habétur, quod beáti antístitis ope imploráta, plúviam salutárem, benígnam äëris tempériem, exundántis quandóque Sícoris repressiónem, cœléste demum auxílium in públicis quibuscúmque calamitátibus obtinére ipsi semper consuéverint.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 25. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Hom. 9. in Evang.

Servus, qui gemináta talénta rétulit, a Dómino laudátur, atque ad ætérnam remuneratiónem perdúcitur, cum ei voce Domínica dícitur: Euge serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gaúdium Dómini tui. Pauca quippe bona sunt ómnia præséntis vitæ, quámlibet multa esse videántur, comparatióne retributiónis ætérnæ. Sed tunc fidélis servus super multa constitúitur, quando, devícta omni corruptiónis moléstia, de ætérnis gaúdiis in illa cœlésti sede gloriátur: tunc ad Dómini sui gaúdium per-

fécte intromíttitur, quando in ætérna illa pátria assúmptus, atque Angelórum cœtibus admíxtus, sic intérius gaudet de múnere, ut non sit jam quod extérius dóleat de corruptióne.

℟. Amávit eum.

Lectio viii.

Opportúnum valde videbátur, ut cum a malo servo unum taléntum tóllitur, ei pótius qui duo quam qui quinque talénta accéperat, darétur. Illi enim magis dari débuit, qui minus, quam qui plus hábuit. Sed, sicut supérius díximus, per quinque talénta, quinque vidélicet sensus, id est, exteriórum sciéntia designátur: per duo autem, intelléctus et operátio exprímitur. Plus ergo hábuit qui duo, quam qui quinque talénta percéperat: quia qui per quinque talénta exteriórum administratiónem méruit, ab intelléctu interiórum adhuc vácuus fuit. Unum ergo taléntum, quod intelléctum significáre díximus, illi dari débuit, qui bene exterióra quæ accéperat, ministrávit. Quod quotídie in sancta Ecclésia cérnimus; quia pleríque dum bene minístrant exterióra quæ accípiunt, per adjúnctam grátiam ad intelléctum quoque mýsticum perducúntur; ut étiam de intérna intelligéntia pólleant, qui exterióra fidéliter adminístrant.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Generális étiam mox senténtia súbditur, qua dícitur: Omni enim habénti dábitur, et abundábit: ei autem qui non habet, et quod vidétur habére, auferétur ab eo. Habénti namque dábitur, et abundábit: quia quisquis caritátem habet, étiam dona ália pércipit: quisquis caritátem non habet, étiam dona quæ percepísse videbátur, amíttit. Unde necésse est, fratres mei, ut per omne quod ágitis, erga caritátis custódiam vigilétis. Cáritas autem vera est, amícum dilígere in Deum, et inimícum dilígere propter Deum. Quam quisquis non habet, omne bonum amíttit, quod habet; talénto,

quod accéperat, privátur, et, juxta Domínicam senténtiam, in exterióres ténebras míttitur. Per pœnam quippe in exterióres ténebras cadit, qui per culpam suam sponte in interióres ténebras cécidit: et illic coáctus pátitur ténebras ultiónis, qui hic libénter sustínuit ténebras voluptátis. Te Deum laudámus.

Die 5. Novembris.

In diœcesi Gerundensi.

Octava S. Narcissi Episc. et Mart.

Duplex.

Omnia ut in die Festi, præter sequ.

In utrisque Vesp. et Laud. fit comm. Oct. omnium Sanctorum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

De S. Cypriano, Homil. 2.

Lectio iv.

In martýrio beatíssimi Narcíssi, fratres caríssimi, univérsa nobíscum Christi exsúltat Ecclésia, quam in omne gaúdium et cœléstis eruditióne sermónis instrúxit, et múnere triumphális sánguinis decorávit. Fuit enim in eo, sicut compértum habémus, et contra erróres diáboli spiritális sapiéntiæ plenitúdo, et advérsum persecutiónes mundi, christiáni péctoris infatigáta constántia. Quis non hujúsmodi virum quantis valet præcóniis, prosequátur, cujus eloquéntia inspiráta divínitus, et ecclésias dócuit, et sǽculum confutávit.
℟. Narcíssus Afram.

Lectio v.

Vere hic mirábilis, atque ómnium ubíque stúdiis celebrándus, quem sánctitas sacerdótem, perítia doctórem, fides Mártyrem consecrávit. Pretiósa, inquit David, in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus. Vidéte, caríssimi, in quantum venerábilis Narcíssus, étiam prophéticam supergréssus est laudem, cujus in conspéctu Dómini non solum mors, sed et vita éxstitit pretiósa. Moriéndo namque próprium Christo sánguinem dedit, vivéndo nihilóminus cohortatióne fortíssima innúme-

ros cœlo Mártyres acquisívit.

℟. Narcíssus Augústæ.

Lectio vi.

Quid hoc clárius sacerdóte, qui inter hóminum turbas glória cœléstis conversatiónis emícuit, atque inter angélicos cœtus et sua factus est, et aliórum morte conspícuus? Justíssime hic cum patriárcha David cantávit Dómino Deo suo dicens: Cor meum, et caro mea exsultavérunt in Deo vivo. Exsultávit ítaque cor ejus in Deo vivo, cum, moriéntis ac moritúri sǽculi vanitáte despécta, totum se divínis mancipávit obséquiis. Exsultávit et caro ejus in Deo, quæ de hoc mundo, non míseri corruptióne languóris, sed piis pro religióne supplíciis consecráta migrávit.

℟. Revérsus.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 12. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit; ipsum solum manet. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 37. lib. 50. Hom.

Discámus ergo, fratres, amáre ánimas nostras. Omnis volúptas sǽculi transitória est. Est amor útilis, est amor nóxius: amor amóre impedítur: amor nóxius recédat, et amor útilis succédat. Sed quia hómines nolunt illinc recédere, ídeo in illos non potest áliud introíre. Ut non cápiant, pleni sunt: fundant, ut cápiant. Vis ut intret mel, unde acétum nondum fudísti? funde quod habes, ut cápias quod non habes. Ideo prima renuntiátio est huic sǽculo, et deínde convérsio ad Deum. Qui renúntiat, fundit; qui convértitur, implétur; sed si id non fiat córpore solo, sed et corde.

℟. Narcíssus.

Lectio viii.

Quǽritur autem, quómodo crescat iste amor: habet enim inítia sua, habet augménta sua, habet

perfectiónem suam. Primo illud atténdat cáritas vestra, amóres omnes et dilectiónes prius sunt in homínibus de se, et sic de ália re quam díligunt. Si díligis aurum, prius te díligis, et sic aurum; quia si tu mórtuus fúeris, nullus erit qui aurum possídeat. Ergo diléctio unicuíque a se íncipit, et non potest nisi a se incípere, et nemo monétur ut se díligat. Primum ergo dílige Deum, deínde teípsum, post hæc dílige próximum tuum sicut teípsum. Prius tamen disce amáre teípsum, sic dílige próximum tuum sicut teípsum: nam si teípsum non nosti amáre, quómodo próximum póteris in veritáte dilígere?

℟. O faustíssima.

Lectio ix.

Si ergo vis vere caritátis órdinem custodíre, fac justítiam, dílige misericórdiam, fuge luxúriam, íncipe, secúndum præcéptum Dómini, non solum amícos, sed étiam inimícos dilígere. Et hæc cum fidéliter custodíre toto corde conténderis, istis virtútibus quasi quibúsdam grádibus póteris ascéndere, ut mereáris Deum toto ánimo et tota virtúte dilígere. Et cum ad istam felícem perfectiónem véneris, omnes concupiscéntias istíus mundi tamquam stércora computábis, et cum Prophéta póteris dícere: Mihi autem adhærére Deo bonum est.

Te Deum laudámus.

Die 6. Novembris.

In diœc. Barcinonen.

S. Severi Episc. et Mart.

Dupl. 1. cl. cum Octav.

Omnia de Communi unius Mart., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui hodiérna die beáti Sevéri Pontíficis et Mártyris tui vérticem effusióne sui sánguinis consecrásti: da nobis ejus suffragántibus méritis; ut tranquíllam in terris utriúsque hóminis pacem, et glóriam in cœlis, quam póssidet, consequámur. Per Dóminum.

In I. Noct. Lect. A Miléto. de Comm. unius Mart.

In II. Nocturno.
Ex Breviariis, Martyrologiis, historiis et aliis.
Lectio iv.

Sevérus, Barcinonénsis epíscopus, vir vitæ integritáte et doctrínæ præstántia illústris, magnam Barcinóne in christiána fide servánda atque augénda adhíbuit óperam. Elucébant enim in eo insígnis prudéntia et cástitas, humílitas cum magnanimitáte, mansuetúdo cum justítia, paupértas cum liberalitáte conjúncta, et rerum humanárum contémptus. Præ céteris autem ardens in Deum et próximum amor: qui eum ad bonum animárum pro suo múnere semper curándum ádeo reddébat sollícitum, ut quasi sui ímmemor, memor autem Dei, ómnia ómnibus fíeret, ut omnes lucrifáceret. Propter quod ab ómnibus, tamquam pater amantíssimus et pastor óptimus única diligebátur. Elucébat étiam et doctrína, qua fidéles in sancto tuebátur propósito; infidéles autem vel ad veram attrahébat fidem, vel certe ádeo convincébat, ut eum máxime formidárent.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

Hæc Sevéri lux, cum ómnium ad se óculos allícere sua pulchritúdine debuísset, infidélium ánimos malítia excæcátos gráviter offéndit. Quaprópter infidéles privátim ac públice præsulem insectári, verbis lacéssere, injúriis affícere ac pérsequi aggréssi sunt, ut ejus, si quo modo possent, vel ánimum frángerent, vel zelum reprímerent. Nihil tamen hæc invíctum Sevéri movébant vel deterrébant ánimum, quóminus ácriter illos et privátis convínceret collóquiis, et públicis coargúeret conciónibus. Post multas ergo fídei hóstium superátas calúmnias et persecutiónes, dum Sevérus suo fúngitur múnere, ecce infidéles Barcinónem advéntant, eúmque omníno occídere machinántur. Hoc ubi deprehéndit epíscopus, consíderans persecutiónem contra se potíssimum fuísse excitátam, nec ullum de fuga vel abséntia sua óvi-

bus inférri seu imminére perículum; recordátus verbi Dómini Jesu, qui dixit: Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam: próvide in castrum Octaviánum (quod nunc óppidum est sancti Cucupbátis) una cum quátuor sóciis presbýteris, clam decrévit se recípere.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vi.

Verúmtamen non pótuit ejus fuga inimícos latére. Ubi ergo id malígni hostes intélligunt, mox armáta manu illuc própeprant, castrum circúmdant, domos ingrediúntur, ómnia diligentíssime perscrutántur. Sevérum prǽsulem cum quátuor sóciis sacerdótibus, et cum colóno christiáno dicto Hemethério, eísdem adjúncto, repériunt: vínculis eos omnes constríngunt: multis pollicitatiónibus et terróribus a vera fide abdúcere conántur. Ubi vero se nihil profícere vident, flagéllis et plumbátis eos atrocíssime cædunt: quo in torménto cum eórum constántia, et in fide Christi gloriósa conféssio magis crésceret, quátuor presbýteri una cum Hemethério juguláti gládio, palmam martýrii consequúntur. Sevérus autem, ut major illi accrésceret patiéndi ac meréndi occásio, præmiíque retribútio, íterum crudelíssime verberátur. Ac demum clavo cápite confósso, octávo Idus Novémbris, quo die ejus festum celebrátur, gloriosíssimam martýrii corónam adipíscitur. Ejus corpus ibídem prius sepúltum, póstea Barcinónem translátum, et in cathedráli ecclésia collocátum, magna totíus Barcinonénsis pópuli devotióne cólitur.

℟. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno Homil. in Evang. Si quis vult post me veníre. de Comm. 2. loco.

Die 10. Novembris.

In diœcesi Urgellen.

Octava S. Hermengaudi Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia ut in Festo, præter sequentia.

Fit comm. Ss. Tryphonis et Socior. Mart., ut in Breviar. Rom. eadem die.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Noct. Lect. Ad sancti ac beatíssimi, ut in Communi Conf. Pont. 1. loco.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 25. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Regulæ pastoralis part. 2. Cap. 1. et 3.

Tantum debet actiónem pópuli áctio transcéndere prǽsulis, quantum distáre solet a grege vita pastóris. Opórtet namque, ut metíri se sollícite stúdeat, quanta tenéndæ rectitúdinis necessitáte constríngitur, sub cujus æstimatióne pópulus grex vocátur. Sit ergo necésse est cogitatióne mundus, actióne præcípuus, discrétus in siléntio, útilis in verbo, síngulis compassióne próximus, præ cunctis contemplatióne suspénsus, bene agéntibus per humilitátem sócius, contra delinquéntium vítia per zelum justítiæ eréctus, internórum curam in exteriórum occupatióne non mínuens, exteriórum providéntiam in internórum sollicitúdine non relínquens.

℟. Amávit eum.

Lectio viii.

Sit operatióne præcípuus, ut vitæ viam súbditis vivéndo denúntiet, et grex, qui pastóris vocem morésque séquitur, per exémpla mélius quam per verba gradiátur: qui enim loci sui necessitáte exígitur summa dícere, hac eádem necessitáte compéllitur sum̃a monstráre. Illa namque vox libéntius auditórum corda pénetrat, quam dicéntis vita comméndat: quia quod loquéndo ímperat, ostendéndo ádjuvat ut fiat. Hinc enim per Prophétam dícitur: Super montem excélsum ascénde tu, qui evangelízas Sion. Ut vidélicet, qui cœlésti prædicatióne útitur, ima jam

terrenórum óperum déserens, in rerum cúlmine stare videátur: tantóque facílius súbditos ad melióra pértrahat, quanto per vitæ méritum de supérnis clamat.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix. et com. Ss. Mart.

Die 13. Novembris vel alia die.

In nonnullis diœcesibus.

S. Stanislai Kostkæ Conf.

Duplex.

Omnia ut inter festa pro aliqu. locis, eadem die.

Eadem die.

In diœcesi Barcinon.

Octava

S. Severi Episc. et Mart.

Duplex.

Omnia ut in Festo, præter sequentia.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno Lect. Príncipes persecúti sunt me gratis. de Comm. 2. loco.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 16. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homil. 32. in Evang.

Tunc ergo nosmetípsos relínquimus, tunc nos ipsos abnegámus, cum vitámus quod per vetustátem fúimus, et ad hoc nítimur, ad quod per novitátem vocámur. Pensémus quómodo se Paulus abnegáverat, qui dicébat: Vivo autem, jam non ego. Exstínctus quippe fúerat sævus ille persecútor, et vívere cœperat pius prædicátor. Si enim ipse esset, qui prius, pius profécto non esset. Sed qui se vívere dénegat, dicat: Vivo autem, jam non ego. Unde et post sancta verba quæ per doctrínam Veritátis clamat, prótinus subdit: Vivit vero in me Christus. Ac si apérte dicat: Ego quidem a meípso exstínctus sum, quia carnáliter non vivo; sed tamen essentiáliter mórtuus non sum, quia in Christo spirituáliter vivo.

℟. Coróna aúrea.

Lectio viii.

Dicat ergo Véritas, dicat: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum: quia nisi quis a semetípso defíciat, ad eum, qui super ipsum est, non appropínquat: nec valet apprehéndere quod ultra ipsum est, si nescíerit mactáre quod est. Sic ólerum plantæ transponúntur, ut profíciant; ítaque, ut ita díxerim, eradicántur, ut crescant: sic rerum sémina in terræ admixtióne defíciunt, ut in reparatióne sui géneris ubérius assúrgant. Unde enim vidéntur perdidísse, quod erant, inde accípiunt hoc apparére, quod non erant.

℟. Hic est vere Martyr.

Lectio ix.

Sed qui jam se a vítiis ábnegat, exquiréndæ ei virtútes sunt, in quibus crescat. Nam cum dictum est: Qui vult post me veníre, ábneget semetípsum, prótinus ádditur: Et tollat crucem suam quotídie, et sequátur me. Duóbus étenim modis crux tóllitur: cum aut per abstinéntiam afflígitur corpus, aut per compassiónem próximi afflígitur ánimus.

Te Deum laudámus.

Die 14. Novembris.

In diœcesi Dertusen.

S. Rufi Primi Dertusensis Episc. et Conf.

Duplex 2. classis.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequ.

In utrisque Vesperis.

Hymnus.

Prosper ætérnus véniat supérne
Spíritus nobis, celebrémus almum
Dum diem Rufi, resonémus atque
Magna trophǽa.

Hic Dei ignárus fídei poténtis,
Et viam veram cúpidus sequéndi,
A sacro Paulo méruit sacráto
Fonte lavári.

Cujus eléctus fuit hic alúmnus:
Ambo miráclis sacra prædicántes
Verba, venérunt súpero hanc ad urbem
Númine freti.

Est ubi primum cólumen creátus
Prǽsulum, cujus sine labe vita
Críminis fulsit, modo regnat altis
Inditus astris.

Sit Deo nostro decus, et potéstas,
Sit salus perpes, sit honor perénnis,
Qui potens vastos moderátur orbes
Trinus, et unus. Amen.

Oratio.

Deus, qui beátum Rufum Pontíficem sanctórum tuórum méritis coæquásti: concéde propítius; ut qui comemoratiónis ejus festa percólimus, vitæ quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

Ad Matutinum Hymnus ut in Vesperis.

In I. et II. Noct. Lect. de Comm. 1. loco.

In III. Nocturno Homil. in Evang. Vigiláte. de Com̃. 2. lc.

Die 15. vel 16. vel 17. Novembris.

In tota eccles. prov. Tarracon.

S. Gertrudis Virginis.

Duplex 2. classis.

Omnia de Communi Virg., præter sequ.

In I. Vesperis.

Antiph. 1.

In corde Gertrúdis inveniétis me, dicit Dóminus: complácuit sibi in illa ánima mea.

Psalmi de Comm. Virg.

2. Sanctíssima Christi sponsa diléctо suo júgiter adhærébat, et unus cum illo spíritus erat.

3. Quam pulchra es, Gertrúdis, et quam decóra in delíciis, in qua jucúndam sibi Deus habitatiónem præparávit!

4. Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus: ego enim stígmata Dómini Jesu in corde meo porto.

5. Ardentíssimo animárum zelo æstuábat, et omnes in viscéribus Jesu Christi cupiébat.

Capit. Invéni quem díligit. ut ad Laudes. 87*

Hymnus.

Gertrúdis arca Núminis,
Sponsóque juncta Vírginum,
Da nuptiáles pángere
Castos amóres fœ́deris.

Quadríma Christo núbilis
In claustra prompte cónvolans,

Spretóque nutrícis sinu
Sponsi requíris óscula.
Candéntis instar lílii
Odóre mulces sídera,
Et virgináli cœ́litum
Regem decóre pértrahis.
Qui vivit in sinu Patris,
Cinctus perénni glória,
Amánter, ut sponsus, tua
Recúmbit inter úbera.
Amóre Christum vúlneras:
Hic te vicíssim vúlnerat,
Tuóque cordi própria
Inúrit alte stígmata.
O singuláris cáritas,
Et mira commutátio!
Hic corde respírat tuo,
Tu vivis hujus spíritu.
Te sponse Jesu Vírginum
Beáta laudent ágmina,
Patri, simul Paráclito,
Par sit per ævum glória.
Amen.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. Egredímini, et vidéte fíliæ Sion Gertrúdem in diadémate, quo coronávit illam Christus in die desponsatiónis illíus, et in die lætítiæ cordis ejus.

Oratio ut ad Laud. 87*

Ad Matutinum.

Invitat. de Comm. Virg.

Hymnus.

Mire noctúrnis modulánte lingua
Gesta Gertrúdis celebrémus horis,
Quæ sacris instans précibus perégit
Témpora noctis.
Illíus votis Deus obsecúndans,
Mox repentínas plúvias profúndit,
Moxque suspénsos grávidis coércet
Núbibus imbres.
Arva jamdúdum glácie rigébant,
Corde cum mœsto míserans colónos,
Férvidis virgo lácrimis resólvit
Frígora brumæ.
Ne seges largo vitiétur imbre,
Sédulis cœlum précibus serénat,
Et graves læsi gemebúnda placat
Núminis iras.
Igneis mentes pénetrat sagíttis,
Lánguidis confert ánimis medélam,

Atque succéndit sceleráta castis
Péctora flammis.

Vírginum sponsum, Superúmque Regem
Vírginum sanctæ célebrent choréæ:
Et sacram supplex Tríadem per ævum
Orbis adóret. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Gertrúdis virgo, quinquénnis in sacræ religiónis horto velut candens lílium plantáta, ómnium virtútum splendóre refúlsit.

Psalmi trium Nocturnorum de Communi Virg.

Ant. Ad sacrum beáti Benedícti órdinem divínitus vocáta est, ut quæ Spíritus sancti donis replénda erat, patriárcham ómnium justórum spíritu plenum sibi imitándum propóneret.

Ant. Factum est cor ejus tamquam cera igne mollíta, cui Christus divinitátis suæ sigíllum impréssit.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde próspere procéde, et regna.

De Cánticis canticórum.

Lectio i. Cap. 2.

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi: et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis: quia amóre lángueo.

℟. In caritáte perpétua diléxit Gertrúdem Dóminus; ídeo attráxit eam ab infántia, et duxit in solitúdinem: * Et locútus est ad cor ejus. ℣. Sponsávit eam sibi in sempitérnum in fide, et in misericórdia. Et.

Lectio ii. Cap. 8.

Quis mihi det te fratrem meum sugéntem úbera matris meæ, ut invéniam te foris, et deósculer te, et jam me nemo despíciat? Apprehéndam te, et ducam in domum matris meæ: ibi me docébis, et dabo tibi póculum ex vino condíto, et mustum malórum granató-

rum meórum. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos fíliæ Jerúsalem, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit. Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, inníxa super diléctum suum?

℟. Gertrúdis convérsa ad sponsum suum, dicébat: * Mihi adhærére tibi soli, dilécte mi, bonum est. ℣. Tunc Dóminus inclinátus circumplectebátur eam, dicens: Et mihi adhærére tibi semper suáve est, diléota mea. Mihi.

Lectio iii.

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam: si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

℟. Sapiéntiam Dei loquebátur inter perféctas vírgines a Christo Jesu edócta: * Quem ab ipsa infántia in sponsum elégit. ℣. Spíritum hujus mundi non accépit, sed spíritum qui ex Deo est. Quem. Glória Patri. Quem.

In II. Nocturno.

Ant. Gloriósa virgo Gertrúdis postquam migrávit ad sponsum, appáruit in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

Ant. Ancíllæ suæ secréta cœléstia revelávit Deus per spíritum suum.

Ant. Semper mortificatiónem Christi in córpore suo circumferébat, cujus stígmata cordi suo impréssa portábat.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Lectio iv.

Gertrúdis virgo, Islébii in comitátu Mansfeldiénsi nobilíssimis paréntibus nata, quinquénnis Christo, cui jam núbilis erat et matúra, in monastério urbis Rodárdæ, órdinis sancti Benedícti, virginitátem suam consecrávit. Ab ipso in religió-

nem ingréssu angélicæ vitæ ratiónem íniit, et lítteris humanióribus ac divínis apríme excúlta, ad eam doctrínæ perfectiónem pervénit, quam eruditíssimi quique mérito suspícerent. Exímia fuit ejus contemplátio, in qua multis revelatiónibus ac visis cœléstibus a Deo illustráta, eódem inspiránte, libros divínæ sapiéntiæ plenos conscrípsit. Quamvis autem tantis natúræ et grátiæ dótibus eniteret, divínis fruerétur collóquiis, prophetíæ dono et plúrimis esset insigníta miráculis, ádeo tamen sibi ipsa vilescébat, ut inter præcípua divínæ virtútis mirácula hoc unum singuláre créderet, quod se indigníssimam, ut dictitábat, terræ peccatrícem sustinéret.

℟. Christo confíxa sum cruci: * Ego enim stígmata Dómini Jesu in corde meo porto. ℣. Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus. Ego.

Lectio v.

Cum annum ágeret trigésimum, in abbatíssam ejus primum monastérii, in quo hábitum recéperat, deínde Elpediáni, sive, ut vocant, Elphiáni elécta est: quo in múnere per quadragínta annos ea caritáte, prudéntia et reguláris disciplínæ integritáte se gessit, ut cœnóbium domus Dei esse viderétur, in qua corporáti Angeli víverent sub Gertrúde magístra: quæ quamvis esset ómnium mater, ómnium tamen se minístram exhibébat. Cœléstis sponsus in ejus nítido corde delícias suas collocávit, cui suórum étiam vúlnerum stígmata ígneo amóris stylo divínus cælátor inússit. Hinc illa nihil nisi Christum loquebátur, quem in corde gestábat, qui nusquam se conveniéntius quam in sacraménto altáris, ac deínde in hujus suæ diléctæ corde et ánima inveniéndum pronuntiávit. Ejúsdem caríssimæ sponsæ sanctitátem divíni sui oris confirmávit oráculo, cum testátus est nullam tunc témpore ánimam in terris vívere, quæ ut illi conjúnctior, ita grátior esset, et accéptior.

℟. Indica nobis, quem díligit ánima nostra, * Ubi

pascas, ubi cubes in merídie. ℣. In corde Gertrúdis inveniétis me. Ubi.

Lectio vi.

Deíparam Vírginem peculiári benefício in matrem et procuratrícem sibi a Christo datam, quam cum áliis cœli cívibus frequénter habébat spectábilem, singulári pietáte prosequebátur. Erga sanctíssimum Eucharístiæ sacraméntum et Christi passiónem tanto amóris et gratitúdinis sensu afficiebátur, ut tota lácrimis liquésceret: animas piaculáribus flammis addíctas, quotidiánis suffrágiis et assíduis précibus sublevábat: zelo divíni honóris promovéndi et procurándæ salútis próximi júgiter ardébat. Cum ígitur ferventíssimo Dei amóre pótius quam morbo languéret, huic Christus, sanctíssima Matre dilectóque discípulo et candidíssimo vírginum choro comitátus, ádfuit, et ejus ánimam córporis solútam compágibus ac mirábili péctoris explicatióne intra cordis sui penetrália recéptam, ad cœléstem thálamum tradúxit.

℟. Quæ per revelatiónem Jesu Christi dídicit Gertrúdis, eódem inspiránte conscrípsit: * Qui abscóndit hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revélat ea párvulis. ℣. Lingua ejus cálamus scribæ velóciter scribéntis. Qui abscóndit. Glória Patri. Qui abscóndit.

In III. Nocturno.

Ant. Induit me Dóminus vestiménto salútis, et induménto lætítiæ circúmdedit me, quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Ant. Spíritu intelligéntiæ replévit Gertrúdem Dóminus: dedit illi sciéntiam sanctórum, et pósuit super eam spíritum suum.

Ant. Ingruéntem plúviam verbo contínuit, obediénte Dómino sponsæ suæ précibus.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis pará-

bolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 23. de verb. Domini, c. 2.

Intelligámus, caríssimi, ad omnes nos, id est, ad univérsam omníno Ecclésiam, istam pertinére parábolam, non ad solos præpósitos, nec ad solas plebes, sed prorsus ad omnes. Quinque istæ, et quinque vírgines illæ, omnes omníno sunt ánimæ Christianórum. Sed ut dicámus vobis quod, Deo inspiránte, sentímus, non qualescúmque ánimæ, sed tales ánimæ, quæ habent cathólicam fidem, et habére vidéntur bona ópera in Ecclésia Dei: et tamen ex ipsis quinque sunt prudéntes, et quinque fátuæ. Quare ergo appellátæ sunt quinque, et quare vírgines, prius videámus. Omnis ánima in córpore ídeo quinário número censétur, quia quinque sénsibus útitur.

℟. Apparuérunt cœléstes spíritus, qui Gertrúdem ad Agni núptias invitábant, dicéntes: * Veni dómina, quia te exspéctant cœli delíciæ. ℣. Veni de Líbano, sponsa, veni, coronáberis. Veni.

Lectio viii.

Qui ergo se ábstinet ab illícito visu, ab illícito audítu, ab illícito odorátu, ab illícito gustátu, ab illícito tactu, propter ipsam integritátem vírginis nomen áccipit. Sed si bonum est abstinére ab illícitis sentiéndi mótibus, et ídeo unaquǽque ánima christiána vírginis nomen áccipit; quare quinque admittúntur, quinque autem repellúntur? Et vírgines sunt, et repellúntur. Parum est quia vírgines sunt: et lámpades habent. Vírgines propter abstinéntiam ab illícitis sénsibus, lámpades habent propter ópera bona: de quibus opéribus Dóminus dicit: Lúceant ópera vestra coram homínibus. Item discípulis dicit: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. In lumbis accínctis virgínitas, in lucér-

nis ardéntibus ópera bona. Si ergo ab illícitis abstinéntia bona est, unde virgínitas nomen accépit; et ópera bona laudabília sunt, quæ significántur lampádibus: quare quinque admittúntur, et quinque repellúntur?

℟. Cum beáta Gertrúdis Dei amóre languéret, appáruit ei sponsus, quem diligébat: * Qui eam in cordis sui sacrárium admíssam, ad cœléstem thálamum tradúxit. ℣. Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, inníxa super diléctum suum? Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix.

Alias dixit prudéntes, álias stultas. Unde intuémur? unde discérnimus? De óleo. Aliquid magnum signíficat óleum, et valde magnum. Putas non cáritas est? Quæréndo dícimus, non senténtiam præcipitámus. Unde mihi videátur per óleum cáritas significári, dicam vobis. Apóstolus dicit: Adhuc supereminentiórem vobis viam demónstro. Si linguis hóminum loquar, et Angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum æraméntum sonans, aut cýmbalum tíñiens. Ipsa est superéminens via, id est, cáritas, quæ mérito óleo significátur: ómnibus enim humóribus óleum superéminet.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Lauda, et lætáre * fília Sion: quia ecce ego vénio, et habitábo in médio tui, dicit Dóminus.

Ps. Dóminus regnávit. cum reliquis.

2. O beáta ánima, * quæ méruit esse sedes sapiéntiæ, cujus delíciæ sunt esse cum fíliis hóminum!

3. Annulis septem * subarrhávit me Dóminus meus Jesus Christus, et tamquam sponsam decorávit me coróna.

4. Hábuit Gertrúdis potestátem claúdere cœlum núbibus, et aperíre portas ejus: quia lingua ejus clavis cœli facta est.

5. Ancílla fidélis * et sponsa elécta intrávit in cor et gaúdium Dómini sui, cujus amóre languébat.

Capitulum. Cant. 3.

Invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meæ, et in cubículum genitrícis meæ.

Hymnus.

Ad sacros virgo thálamos anhélans,
Núptias cœlo celebráre gestit,
Et piis votis nímium morántem
Próvocat horam.

Ægra cum languet, maniféstus astat,
Cœ́litum turma comitánte, Christus,
Atque divíni récreat jacéntem
Lúmine vultus.

Surge, conclámat, soror atque sponsa,
En tibi pando penetrále cordis,
Ut triumpháli reseráta scandas
Sídera curru.

Ista vox omnes pénetrat medúllas,
Atque compáges ánimi resólvit:
Spíritus liber volat in reclúsa
Víscera Christi.

Régios Agni thálamos peténtem
Júbilans stipat Súperum coróna,
Atque compléxus et amíca cantat
Oscula sponsi.

Vírginum sponsum Superúmque Regem
Vírginum sanctæ célebrent choréæ:
Et sacram supplex Tríadem per ævum
Orbis adóret. Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. O digníssima Christi sponsa, quam lux prophetíæ illustrávit, zelus apostólicus inflammávit, laúrea Vírginum coronávit, divíni amóris incéndium consummávit!

Oratio.

Deus, qui in corde beátæ Gertrúdis Vírginis tuæ jucúndam tibi habitatiónem præparásti: ejus méritis et intercessióne cordis nostri máculas cleménter abstérge; ut digna divínæ majestátis tuæ habitátio éffici mereátur. Per Dóminum.

Ad Tertiam.

Capit. Invéni quem. ut supra. 87*

℟. br. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et. Glória Patri. Spécie tua.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam.

Capitulum. Cant. 8.

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam.

Capitulum. Cant. 2.

Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in aúribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In II. Vesperis.

Ant. 1. Casta colúmba nidíficans in cavérna macériæ sacri láteris Jesu Christi, mel suavíssimum de petra sugébat.

Psalmi de Communi Virg.

2. Loquebátur Christus ad diléctam Gertrúdem fácie ad fáciem, sicut solet loqui homo ad amícum suum.

3. Beátæ Gertrúdis verba divíni erant amóris jácula: lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum.

4. Diléctæ ánimam e cárcere córporis exeúntem accépit Christus in ulnas suas, et cor suum illi amánter apéruit.

5. Lábia Gertrúdis custodiébant sciéntiam: et qui in pressúra erant, solátium requirébant ex ore ejus.

pitulum et Hymnus ut in
speris.

Diffúsa est grátia in
s tuis. ℟. Proptérea
díxit te Deus in ætér-
.

d Magnif. Ant. Appa-
unt cœléstes spíritus
cœlo descendéntes in
am, qui Gertrúdem ad
dísi gaúdia modulátis
bus invitábant: Veni,
dómina, quia te ex-
tant cœli delíciæ, al-
a.

Die 26. Novembris.

ota ecclesiastica provin-
cia Tarracon.

esponsatione B.M.V. cum S. Joseph.

Duplex majus.

nnia ut in Propr. Ss. Hi-
., eadem die.

In utrisque Vesp. et Laud. fit com̃. S. Joseph, addita in I. Vesp. et Laud. com̃. S. Petri Episc. Alexandr. et Mart., cum Lect. ix. historica, ut in Breviar. Rom. eadem die.

Die in unaquaque diœcesi assignata.

Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis.

Duplex 1. classis

(cum Octava in civitate, et in tota diœcesi Vicensi.)

Officium ut in Comm. Dedicat. Ecclesiæ.

In die Octava omnia, etiam Lect. I. Noct., ut in Festo.

In II. Noct. Lect. Tabernáculum Móysen. de die Oct.

In III. Noct. Lect. diei infra Octav., quæ fuerunt primo omissæ.

Approbatio.

Revisione hujus codicis Tarraconensis rite pera[...] ille cum originalibus ad amussim concordare repertus [...] salvo aliorum Ordinariorum jure.

In fidem etc.

Tarracone, 11. Aprilis 1896.

(L. S.) Jacobus Dachs, Vic. Gen[...]

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 15. Maii 1896.

Dr. Fr. X. Leitner,
Vicar. in Spirit. General[...]

Ratisbonæ 1896. Typis Friderici Pustet.

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS TUTELENSIS

A S. R. CONGREGATIONE APPROBATA

AC DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DD. DOMINICI HENRICI DENÉCHAU

EPISCOPI TUTELENSIS

DENUO EDITA

PARS HIEMALIS



PARISIIS

APUD CAR. POUSSIELGUE, EDITOREM

VIA DICTA CASSETTE, 15

M. D. CCC. XCVI

Ratisbonæ 1896. Typis Friderici Pustet.

SUFFRAGIA SANCTORUM

PRO ECCLESIASTICA

PROVINCIA TARRACONENSI.

Commem. de Cruce
in feriali tantum Officio.

Ad Vesperas et Laudes.

Ant. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos Deus noster.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo Dómine.

Orémus.

Perpétua nos, quǽsumus Dómine, pace custódi: quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es.

Temp. Pasch., a Feria II. post Domin. in Albis usque ad Ascens., tam in Offic. de Temp. quam de Sanctis, nisi sit Dupl. aut infra Octav., fit sequ.

Ad Laud. Ant. Crucifíxus surréxit a mórtuis, et redémit nos, allelúja, allelúja.

℣. Dícite in natiónibus, allelúja. ℟. Quia Dóminus regnávit a ligno, allelúja.

Ad Vesp. Ant. Crucem sanctam súbiit qui inférnum confrégit, accínctus est poténtia, surréxit die tértia, allelúja.

℣. Dícite in natiónibus, allelúja. ℟. Quia Dóminus regnávit a ligno, allelúja.

Orémus

Deus, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem: concéde nobis fámulis tuis; ut resurrectiónis grátiam consequámur. Per eúmdem Dñm.

In ecclesiis S. Cruci dicatis sufficiunt præcedentes comemorationes, omissa propria temp. Pasch. quandocumque fiat Officium votivum de Ss. Sacramento vel de Passione.

Litt. Dom.	Dies mensis.	
c	24	S. Timothei Episc. et Mart. *dupl.*
d	25	*Conversio S. Pauli Apost.* dupl. maj. Commem. S. Petri Apost. et * S. Præjecti Episc. et Mart.
e	26	S. Polycarpi Episc. et Mart. *dupl.* * Commem. S. Paulæ Viduæ.
f	27	S. Joannis Chrysostomi Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
g	28	S. Agnetis secundo, *simpl.*
A	29	S. Francisci Salesii Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
b	30	S. Martinæ Virg. et Mart. *semid.*
c	31	S. Petri Nolasci Conf. *dupl.*

FESTA MOBILIA

Dom. II. post Epiphaniam, SS. Nominis Jesu, *dupl.* 2. *cl.*
* Dom. III. post Epiphaniam, *S. Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph,* dupl. maj.
* Dominica ante Septuagesimam, *Purissimi Cordis B. M. V.* dupl. maj.

FEBRUARIUS

d	1	S. Ignatii Episc. et Mart. *dupl.* * Commem. S. Sori Conf.
e	2	Purificatio B. M. V. *dupl.* 2. *cl.*
f	3	S. Blasii Episc. et Mart. *simpl.*
g	4	* B. Joannæ Valesiæ Viduæ, *dupl.*
A	5	S. Agathæ Virg. et Mart. *dupl.*
b	6	* S. Hyacinthæ de Mariscottis Virg. *dupl.* Commem. S. Dorotheæ Virg. et Mart.
c	7	S. Romualdi Abbatis et Conf. *dupl.*
d	8	S. Joannis de Matha Conf. *dupl.*
e	9	S. Cyrilli Alexandrini Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. S. Apolloniæ Virg. et Mart.
		* — In civitate Tutelensi fit OFFICIUM SANCTISSIMI SACRAMENTI sub ritu *dupl.* 1. *cl.*
f	10	S. Scholasticæ Virg. *dupl.*
g	11	* *Apparitio B. M. V. Immaculatæ,* dupl. maj.
A	12	— S. Andreæ Corsini Episc. et Conf. *dupl.* (dies fixa e 4 huj.)
b	13	* S. Catharinæ de Ricciis Virg. *dupl.*
c	14	* SS. Viginti sex Martyrum Japonensium, *dupl.* (dies fixa e 5 hujus). Commem. S. Valentini Presbyt. et Mart.
d	15	— S. Raymundi de Pennafort Conf. *semid.* (dies fixa e 23 Jan.) Commem. SS. Faustini et Jovitæ Mm.
e	16	* S. Stephani de Mureto Conf. *semid. ad libitum.*
f	17	— SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. Conf. *dupl.* (dies fixa e 11 hujus). — In civitate Tutel. S. Cyrilli Alexandrini Episc. Conf. et Doct. *dupl.* (dies fixa e 9 hujus).
g	18	— S. Titi Episc. et Conf. *dupl.* (dies fixa e 6 hujus). Commem. S. Simeonis Episc. et Mart.
		— In civitate Tutel. SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. *dupl.* (dies fixa e 11 hujus).
A	19	* S. Bathildis Reginæ, *semid. ad libitum.*
b	20	— In civitate Tutel. S. Titi Episc. et Conf. *dupl.* (dies fixa e 6 hujus).
c	21	

Litt. Dom.	Dies mensis.	
d	22	*Cathedra S. Petri Antiochiæ,* dupl. maj. Commem. S. Pauli Apost.
e	23	S. Petri Damiani Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. Vigiliæ.
f	24	S. MATHIÆ APOSTOLI, *dupl.* 2. *cl.*
g	25	* S. Avertani Conf. *semid. ad libitum.*
A	26	* — S. Margaritæ de Cortona Pœnit. *semid.* (dies fixa e 23 hujus).
b	27	
c	28	

Quando Februarius habet dies 29, tunc de S. Mathia fit die 25, de S. Avertano die 26, et de S. Margarita die 27.

FESTA MOBILIA

* Feria III. post Dom. Septuagesimæ, *Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti,* dupl. maj.
* Feria III. post Dom. Sexagesimæ, *Commem. Passionis D. N. J. C.* dupl. maj.
* Feria VI. post Cineres, *SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C.* dupl. maj.
* Feria VI. post Dom. I. Quadragesimæ, *SS. Clavorum et Lanceæ D. N. J. C.* dupl. maj.

MARTIUS

d	1	
e	2	
f	3	
g	4	S. Casimiri Regis Conf. *semid.* Commem. S. Lucii Papæ et Mart.
A	5	
b	6	
c	7	S. Thomæ de Aquino Conf. et Doct. *dupl.* Commem. SS. Perpetuæ et Felicitatis Mm.
d	8	* S. Stephani Obazinensis Abbat. et Conf. *dupl.*
e	9	S. Franciscæ Romanæ Viduæ, *dupl.*
f	10	SS. Quadraginta Martyrum, *semid.*
g	11	— S. Joannis de Deo Conf. *dupl.* (dies fixa e 8 hujus).
A	12	S. Gregorii I. Papæ, Conf. et Doct. *dupl.*
b	13	
c	14	
d	15	* S. Sacerdotis Episc. et Conf. *dupl.* * Commem. S. Mundanæ Viduæ.
e	16	
f	17	S. Patritii Episc. et Conf. *dupl.*
g	18	* *S. Gabrielis Archangeli,* dupl. maj.
A	19	S. JOSEPH SPONSI B. M. V. *dupl.* 1. *cl.*
b	20	— S. Cyrilli Hierosolymitani Episc. Conf. et Doct. *dupl.* (dies fixa e 18 hujus).
c	21	*S. Benedicti Abbatis,* dupl. maj.
d	22	
e	23	* S. Cessatoris Episc. et Conf. *dupl.*
f	24	
g	25	ANNUNTIATIO B. M. V. *dupl.* 1. *cl.*
A	26	

quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus. ℟. Et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Orémus.

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ sponsum elígere dignátus es: præsta, quǽsumus; ut quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis.

De Apostolis.

Ad Laud. Ant. Gloriósi príncipes terræ, quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Vesp. Ant. Petrus Apóstolus, et Paulus Doctor Géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam Dómine.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

Orémus.

Deus, cujus déxtera beátum Petrum ambulántem in flúctibus, ne mergerétur, eréxit, et coapóstolum ejus Paulum tértio naufragántem de profúndo pélagi liberávit: exaúdi nos propítius, et concéde; ut ambórum méritis, æternitátis glóriam consequámur.

De S. Jacobo Apost.

Ad Laud. Ant. Visitávit nos per sanctum suum Apóstolum, et fecit salútem de inimícis nostris Dóminus Deus noster.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Vesp. Ant. O beátum Apóstolum, qui inter primos eléctus, primus ómnium Apostolórum Dómini cálicem bíbere méruit! O gloriósum Hispániæ regnum tali pígnore ac patróno munítum, per quem fecit illi magna qui potens est! allelúja.

MAIUS

Dies mensis.	
1	SS. PHILIPPI ET JACOBI APOST. *dupl. 2. cl.*
2	S. Athanasii Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
3	INVENTIO S. CRUCIS, *dupl. 2. cl.* Commem. SS. Alexandri Papæ ac Soc. Mm.
4	S. Monicæ Viduæ, *dupl.*
5	S. Pii V. Papæ et Conf. *dupl.*
6	*S. Joannis ante Portam Latinam,* dupl. maj.
7	S. Stanislai Episc. et Mart. *dupl.*
8	*Apparitio S. Machaëlis Archangeli,* dupl. maj.
9	S. Gregorii Nazianzeni Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
10	S. Aureliani Episc. et Conf. *dupl.* Commem. SS. Gordiani et Epimachi Mm.
11	— S. Antonini Episc. et Conf. *dupl.* (dies fixa ex heri). * Commem. S. Mamerti Episc. et Conf.
12	SS. Nerei, Achillei et Soc. Mm. *semid.*
13	* S. Gualterii Stirpensis Abbat. et Conf. *semid. ad libitum.*
14	— SS. Cleti et Marcellini Pont. et Mm. *semid.* (dies fixa e 26 Aprilis). Commem. S. Bonifacii Mart.
15	* S. Isidori Agricolæ Conf. *dupl.*
16	* S. Joannis Nepomuceni Mart. *dupl.*
17	S. Paschalis Baylon Conf. *dupl.*
18	S. Venantii Mart. *dupl.*
19	S. Petri Cælestini Papæ et Conf. *dupl.* Commem. S. Pudentianæ Virg.
20	S. Bernardini Senensis Conf. *semid.*
21	* S. Felicis a Cantalicio Conf. *semid.*
22	* S. Lupi Episc. et Conf. *dupl.*
23	— S. Ubaldi Episc. et Conf. *semid.* (dies fixa e 16 hujus).
24	* *B. M. V. sub titulo auxilium Christianorum,* dupl. maj. * Commem. S. Yvonis Conf.
25	S. Gregorii VII. Papæ et Conf. *dupl.* Commem. S. Urbani Papæ et Mart.
26	S. Philippi Nerii Conf. *dupl.* Commem. S. Eleutherii Papæ et Mart.
27	S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. *dupl.* * Commem. S. Joannis Papæ et Mart.
28	S. Augustini Cantuariensis Episc. et Conf. *dupl.*
29	— * B. Joannis Baptistæ de la Salle Conf. *dupl.* (dies fixa e 4 hujus).
30	* S. Ferdinandi Regis Conf. *semid. ad libitum.* Commem. S. Felicis Papæ et Mart.
31	S. Angelæ Mericiæ Virg. *dupl.* Commem. S. Petronillæ Virg.
	FESTUM MOBILE
	* Feria VI. post Oct. Sanctissimi Corporis Christi, SACRATISSIMI CORDIS JESU, *dupl. 1. cl.*

zelus apostólicus inflammávit, et gloriosíssimi martýrii laúrea Dóminus coronávit in ætérnum.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Orémus.

Deus, qui beátum Narcíssum Mártyrem tuum atque Pontíficem illústri laúrea decorásti, ejúsque corpus admirábili integritáte claríficas: concéde propítius; ut ejus deprecatióne tuo muníti præsídio, incorrúpta gaúdia felicitátis ætérnæ consequámur.

De S. Thecla Virg. Mart.

In civit. Tarracon.

Ad Laud. Ant. Sicut lílium inter spinas, sic Thecla amíca mea inter fílias.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Vesp. Ant. In perpétuum coronáta triúmphat Christi Martyr beatíssima Thecla, incoinquinatórum certáminum prǽmium vincens.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Orémus.

Deus, pro cujus nóminis glória magnum certámen passiónum beáta Thecla Virgo et Martyr tua feminárum prima invícta fide sustínuit: da nobis ejúsdem fídei imitatióne próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre.

De Ss. Hermengaudo et Odone Episc. et Conf.

In cathedr. et civit. Urgellen., atque etiam in parœciis diœc., si vigeat consuetudo.

Ad Laud. et Vesp. Ant. Sacerdótes Dei benedícite Dóminum: servi Dómini hymnum dícite Deo, allelúja.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent.

Orémus.

Ecclésiam tuam Dómine benígnus illústra: ut beatórum Hermengaúdi et Odónis Confessórum tuórum atque Pontíficum præ-

Litt. Dom.	Dies mensis.	
c	4	* Ordinatio et Translatio S. Martini, *dupl.* Commem. Oct.
d	5	— * S. Irenæi Episc. et Mart. *dupl.* (dies fixa e 3 hujus). Commem. Oct.
e	6	Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli, *dupl.* * Commem. Oct. S. Martialis.
f	7	* Octava S. Martialis, *dupl.*
g	8	S. Elisabeth Reginæ Portug. Viduæ, *semid.*
A	9	* *Festum Prodigiorum B. M. V.* dupl. maj.
b	10	SS. Septem Fratrum et Soc. Mm. *semid.*
c	11	— * S. Veronicæ de Julianis Virg. *dupl.* (dies fixa ex 9 huj.). Commem. S. Pii I. Papæ et Mart.
d	12	S. Joannis Gualberti Abbatis, *dupl.* Commem. SS. Naboris et Felicis Mm.
e	13	S. Anacleti Papæ et Mart. *semid.*
f	14	S. Bonaventuræ Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
g	15	S. Henrici Imperat. Conf. *semid.*
A	16	*B. M. V. de Monte Carmelo,* dupl. maj.
b	17	S. Alexii Conf. * *dupl.*
c	18	S. Camilli de Lellis Conf. *dupl.* Commem. SS. Symphorosæ cum septem Filiis Mm.
d	19	*S. Vincentii a Paulo Conf.* * dupl. maj.
e	20	S. Hieronymi Æmiliani Conf. *dupl.* Commem. S. Margaritæ Virg. et Mart..
f	21	* S. Roricii Episc. et Conf. *dupl.* Commem. S. Praxedis Virg.
g	22	*S. Mariæ Magdalenæ Pœnitent.* * dupl. maj.
A	23	S. Apollinaris Episc. et Mart. *dupl.* Commem. S. Liborii Episc. et Conf.
b	24	— SS. Cyrilli et Methodii Pont. et Conf. *dupl.* (dies fixa e 5 hujus). Commem. Vigil. et S. Christinæ Virg. et Mart.
c	25	S. Jacobi Apostoli, *dupl.* 2. *cl.* Commem. S. Christophori Mart.
d	26	S. Annæ Matris B. M. V. *dupl.* 2. *cl.*
e	27	S. Pantaleonis Mart. *simpl.*
f	28	SS. Nazarii, Celsi et Victoris I. Papæ, Mm., ac Innocentii I. Papæ et Conf. *semid.*
g	29	*S. Marthæ Virg.* * dupl. maj. Commem. SS. Felicis II. Papæ et Soc. Mm.
A	30	* S. Germani Antissiodorensis Episc. et Conf. *dupl.* Commem. SS. Abdon et Sennen Mm.
b	31	S. Ignatii de Loyola Conf. *dupl.*

FESTA MOBILIA

Dom. I. Julii, Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. *dupl.* 2. *cl.*

* Dom. I. non impedita post Octavam SS. Apost. Petri et Pauli, *Omnium Sanctorum Summorum S. R. E. Pontificum,* dupl. maj.

AUGUSTUS

Litt. Dom.	Dies mensis.	
c	1	*S. Petri Apostoli ad Vincula*, dupl. maj. Commem. S. Pauli Apost. et SS. Machabæorum Mm.
d	2	S. Alphonsi Mariæ de Ligorio Episc. Conf. et Doct. dupl. Commem. S. Stephani I. Papæ et Mart.
e	3	Inventio S. Stephani Protomart. *semid.*
f	4	*S. Dominici Conf.* dupl. maj.
g	5	*Dedicatio S. Mariæ ad Nives*, dupl. maj.
A	6	*Transfiguratio D. N. J. C.* dupl. maj. Comm. SS. Xysti II. Papæ et Soc. Mm.
b	7	S. Cajetani Thienæi Conf. *dupl.* Commem. S. Donati Episc. et Mart.
c	8	SS. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm. *semid.*
d	9	* S. Martini Brivensis Mart. *dupl.* Commem. Vigiliæ et S. Romani Mart.
e	10	S. LAURENTII MART. *dupl. 2. cl.* cum Octava.
f	11	* S. Philumenæ Virg. et Mart. *dupl.* Commem. Oct. et SS. Tiburtii et Susannæ Mm.
g	12	S. Claræ Virg. *dupl.* Commem. Oct.
A	13	* S. Radegundis Reginæ Viduæ, *dupl.* Commem. Oct. et SS. Hippolyti et Cassiani Mm.
b	14	De Octava, *semid.* Commem. Vigiliæ et S. Eusebii Conf.
c	15	ASSUMPTIO B. M. V. *dupl. 1. cl.* cum Octava.
d	16	* S. Rochi Conf. *dupl.* Commem. Octav.
e	17	Octava S. Laurentii Mart. *dupl.* Commem. Octavæ Assumpt.
f	18	— S. Hyacinthi Conf. *dupl.* (dies fixa e 16 hujus). Commem. Oct. et S. Agapiti Mart.
g	19	* S. Calminii Conf. *dupl.* Commem. Oct.
A	20	S. Bernardi Abbatis Conf. et Doct. *dupl.* Commem. Oct.
b	21	S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Viduæ, *dupl.* Commem. Oct.
c	22	Octava Assumptionis Deiparæ, *dupl.* * Commem. Voti Ludovici XIII. et SS. Timothei et Soc. Mm.
d	23	S. Philippi Benitii Conf. *dupl.* Commem. Vigiliæ.
e	24	S. BARTHOLOMÆI APOST. *dupl. 2. cl.*
f	25	S. Ludovici Regis Conf. * *dupl.*
g	26	* S. Aredii Abbat. et Conf. *dupl.* Commem. S. Zephyrini Papæ et Mart. * et S. Pelagiæ Viduæ.
A	27	S. Josephi Calasanctii Conf. *dupl.*
b	28	S. Augustini Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. S. Hermetis Mart.
c	29	*Decollatio S. Joannis Baptistæ*, dupl. maj. Commem. S Sabinæ Mart.
d	30	S. Rosæ Limanæ Virg. *dupl.* Commem. SS. Felicis et Adaucti Mm. * et S. Fiacrii Conf.
e	31	S. Raymundi Nonnati Conf. *dupl.*

FESTUM MOBILE

Dominica infra Oct. Assumpt. S. JOACHIM PATRIS B. M. V. CONF. *dupl. 2. cl.*

SEPTEMBER

	Dies mensis.	
	1	* S. Juliani Brivat. Mart. *dupl.* (dies fixa e 28 Augusti). Commem. S. Ægidii Abbat. et SS. duodecim Fratrum Mm.
	2	S. Stephani Hungariæ Regis Conf. *semid.*
[illegible]	3	* S. Amatoris Conf. *dupl.*
[illegible]	4	* S. Rosæ Viterbiensis Virg. *dupl.*
c	5	S. Laurentii Justiniani Episc. et Conf. *semid.*
d	6	
e	7	
f	8	NATIVITAS B. M. V. *dupl. 2. cl.* cum Octava. Comm. S. Hadriani Mart.
g	9	De Octava, *semid.* Commem. S. Gorgonii Mart.
A	10	S. Nicolai de Tolentino Conf. *dupl.* Commem. Oct.
b	11	De Octava, *semid.* Commem. SS. Proti et Soc. Mm.
c	12	De Octava, *semid.*
d	13	De Octava, *semid.*
e	14	*Exaltatio SS. Crucis D. N. J. C.* dupl. maj. Commem. Oct.
f	15	Octava Nativitatis Deiparæ, *dupl.* Commem. S. Nicomedis Mart.
g	16	SS. Cornelii Papæ et Cypriani Episc. Mm. *semid.* Commem. SS. Euphemiæ et Soc. Mm.
A	17	Impressio sacrorum Stigmatum in corpore S. Francisci, *dupl.*
b	18	S. Josephi a Cupertino Conf. *dupl.* * Commem. S. Ferreoli Mart., ac * S. Ferreolæ Virg. et Mart.
c	19	SS. Januarii Episc. et Soc. Mm. *dupl.*
d	20	SS. Eustachii et Soc. Mm. *dupl.* Commem. Vigiliæ.
e	21	S. MATTHÆI APOST. ET EVANG. *dupl. 2. cl.*
f	22	S. Thomæ a Villanova Episc. et Conf. *dupl.* Commem. SS. Mauritii et Soc. Mm.
g	23	S. Lini I. Papæ et Mart. *semid.* Commem. S. Theclæ Virg. et Mart.
A	24	*B. M. V. de Mercede,* dupl. maj.
b	25	* S. Laudi Episc. et Conf. *dupl.* * Commem. S. Baumadi Conf.
c	26	* S. Ferreoli Episc. et Conf. *dupl.* Commem. SS. Cypriani et Justinæ Mm.
d	27	SS. Cosmæ et Damiani Mm. *semid.*
e	28	S. Wenceslai Ducis Mart. *semid.*
f	29	DEDICATIO S. MICHAELIS ARCHANGELI, *dupl. 2. cl.*
g	30	S. Hieronymi Presbyteri Conf. et Doct. *dupl.*

FESTA MOBILIA

* Dom. Kalendis Septembris proxima, ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS OMNIUM DIŒCESIS TUTELENSIS ECCLES. *dupl. 1. cl.* cum Octava.

* Dom. sequenti, Dies Octava Dedicat. Omnium Diœcesis Tutelensis Ecclesiarum, *dupl.*

Dom. infra Oct. Nativitatis Deiparæ, SS. NOMINIS B. M. V. * *dupl. 2. cl.*

Dom. III. Sept. *Septem Dolorum B. M. V.* dupl. maj.

OCTOBER

Litt. Dom.	Dies mensis.	
A	1	S. Remigii Episc. et Conf. *dupl.* * Commem. S. Vedasti Episc. et Conf.
b	2	*SS. Angelorum Custodum*, dupl. maj. * Commem. S. Leodegarii Episc. et Mart.
c	3	
d	4	*S. Francisci Assisiensis Conf.* dupl. maj.
e	5	* S. Pardulphi Conf. *dupl.* Commem. SS. Placidi et Soc. Mm.
f	6	S. Brunonis Conf. *dupl.*
g	7	* SS. Primi et Feliciani Mm. *dupl.* Commem. S. Marci Papæ et Conf., et SS. Sergii et Soc. Mm.
A	8	S. Birgittæ Viduæ, *dupl.*
b	9	SS. Dionysii et Soc. Mm. * *dupl.*
c	10	* *Translatio et Relatio S. Martialis*, dupl. maj.
d	11	— S. Francisci de Borgia Conf. *semid.* (ex heri).
e	12	
f	13	* S. Geraldi Conf. *dupl.* * Commem. S. Leoboni Conf.
g	14	S. Callisti I. Papæ et Mart. *dupl.*
A	15	S. Teresiæ Virg. *dupl.* * Commem. S. Austricliniani Conf.
b	16	* SS. Juniani et Amandi Conf. *dupl.*
c	17	* B. Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. *dupl.*
d	18	S. LUCÆ EVANGELISTÆ, *dupl. 2. cl.*
e	19	S. Petri de Alcantara Conf. *dupl.*
f	20	S. Joannis Cantii Conf. *dupl.*
g	21	* SS. Ursulæ et Soc. Virg. et Mart. *dupl.* Commem. S. Hilarionis Abbatis.
A	22	— S. Eduardi Regis Conf. *semid.* (dies fixa e 13 hujus).
b	23	* *SS. Redemptoris*, dupl. maj.
c	24	* *S. Raphaëlis Archangeli*, dupl. maj.
d	25	* S. Frontonis Episc. et Conf. *semid. ad libitum.* Commem. SS. Chrysanthi et Dariæ Mm.
e	26	S. Hedwigis Reginæ Viduæ, *semid.* (dies fixa e 17 hujus). Commem. S. Evaristi Papæ et Mart.
f	27	Vigilia.
g	28	SS. SIMONIS ET JUDÆ APOST. *dupl. 2. cl.*
A	29	
b	30	
c	31	Vigilia.

FESTA MOBILIA

Dominica I. Octobr. SS. ROSARII B. M. V. *dupl. 2. cl.*
* Dominica II. Octobr. *Maternitatis B. M. V.* dupl. maj.
* Dominica III. Octobr. *Puritatis B. M. V.* dupl. maj.
* Dominica IV. vel V. Octobr. *Patrocinii B. M. V.*

NOVEMBER

d	1	SOLEMNITAS OMNIUM SANCTORUM, *dupl. 1. cl.* cum Oct.
e	2	De Octava, *semid.* Commemoratio omnium Fidelium defunctorum, *sub ritu duplici.*
f	3	De Octava, *semid.*

Litt. Dom.	Dies mensis.	
g	4	S. Caroli Episc. et Conf. *dupl.* Commem. Oct. et SS. Vitalis et Soc. Mm.
A	5	* S. Austremonii Episc. et Mart. *semid. ad libitum.* Commem. Oct. * et S. Gonsaldi Conf.
b	6	* S. Leonardi Conf. *dupl.* Commem. Oct.
c	7	De Octava, *semid.*
d	8	Octava omnium Sanctorum, *dupl.* Commem. SS. Quatuor Coronatorum Martyrum.
e	9	*Dedicatio Basilicæ SS. Salvatoris,* dupl. maj. Commem. S. Theodori Mart.
f	10	S. Andreæ Avellini Conf. *dupl.* Commem. SS. Tryphonis et Soc. Mm.
g	11	S. MARTINI EPISC. TURONENSIS CONF., TOTIUS DIŒCESIS PATRONI, *dupl.* 1. *cl.* cum Oct.
A	12	S. Martini I. Papæ et Mart. *semid.* * Commem. Oct.
b	13	* S. Duminii Conf. *dupl.* * Commem. Oct. * et S. Brictii Episc. et Conf.
c	14	* — S. Stanislai Kostka Conf. *dupl.* (ex heri). * Commem. Oct.
d	15	S. Gertrudis Virg. *dupl.* * Commem. Oct.
e	16	— S. Didaci Conf. *semid.* (e 13 hujus). * Commem. Oct.
f	17	S. Gregorii Thaumaturgi Episc. et Conf. *semid.* * Commem. Oct.
g	18	* Octava S. Martini Episc. et Conf. *dupl.*
A	19	S. Elisabeth Viduæ, *dupl.* Commem. S. Pontiani Papæ et Mart.
b	20	S. Felicis de Valois Conf. *dupl.*
c	21	*Præsentatio B. M. V.* dupl. maj. * Commem. S. Liberalis Episc. et Conf.
d	22	S. Cæciliæ Virg. et Mart. *dupl.*
e	23	S. Clementis I. Papæ et Mart. *dupl.* Commem. S. Felicitatis Mart.
f	24	S. Joannis a Cruce Conf. *dupl.* Commem. S. Chrysogoni Mart.
g	25	S. Catharinæ Virg. et Mart. *dupl.*
A	26	S. Silvestri Abbatis, *dupl.* Commem. S. Petri Alexandrini Episc. et Mart. * et S. Justi Conf.
b	27	* S. Odonis Abbat. et Conf. *dupl.*
c	28	— S. Josaphat Episc. et Mart. *dupl.* (dies fixa e 14 hujus).
d	29	* S. Saturnini Episc. et Mart. *semid. ad libitum.* Commem. Vigiliæ, et alterius S. Saturnini Mart.
e	30	S. ANDREÆ APOSTOLI, *dupl.* 2. *cl.*

FESTUM MOBILE

* Dom. infra Oct. Omnium Sanctorum, Festum SS. Reliquiarum in Ecclesiis Diœcesis Tutelen. asservatarum, *dupl.*

DECEMBER

Litt. Dom.	Dies mensis.	
f	1	* S. Eligii Episc. et Conf. *dupl.*
g	2	S. Bibianæ Virg. et Mart. *semid.*
A	3	S. Francisci Xaverii Conf. *dupl.*
b	4	S. Petri Chrysologi Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. S. Barbaræ Virg. et Mart.
c	5	— *Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli Apost.* dupl. maj. (dies fixa e 8 Nov.). Commem. S. Sabbæ Abbatis.
d	6	S. Nicolai Episc. et Conf. *dupl.*
e	7	Vigilia. S Ambrosii Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
f	8	IMMACULATA CONCEPTIO B. M. V. *dupl. 1. cl.* cum Octava.
g	9	De Octava, *semid.*
A	10	* *Translatio Almæ Domus Lauretanæ,* dupl. maj. Commem. S. Melchiadis Papæ et Mart.
b	11	S. Damasi I. Papæ et Conf. *semid.* Commem. Oct.
c	12	* S. Valeriæ Virg. et Mart. *dupl.* Commem. Oct.
d	13	S. Luciæ Virg. et Mart. *dupl.* Commem. Oct.
e	14	De Octava, *semid.*
f	15	Octava Immaculatæ Conceptionis B. M. V. *dupl.*
g	16	S. Eusebii Episc. et Mart. *semid.*
A	17	* S. Lazari resuscitati Episc. et Mart. *dupl.*
b	18	* *Exspectatio Partus B. M. V.* dupl. maj.
c	19	
d	20	* SS. Israëlis et Theobaldi Conf. *semid. ad libitum.* Commem. Vigiliæ.
e	21	S. THOMÆ APOST. *dupl. 2. cl.*
f	22	
g	23	* S. Asclepii Episc. et Conf. *dupl.*
A	24	Vigilia Nativitatis.
b	25	NATIVITAS D. N. J. C. *dupl. 1. cl.* cum Octava.
c	26	S. STEPHANI PROTOMART. *dupl. 2. cl.* cum Oct. Commem. Oct. Nativitatis et * Omnium Sanctorum Martyrum.
d	27	S. JOANNIS APOST. ET EVANG. *dupl. 2. cl.* cum Oct. Commem. Octavarum.
e	28	SS. INNOCENTIUM MM. *dupl. 2. cl.* cum Oct. Commem. Octavarum.
f	29	S. Thomæ Cantuariensis Episc. et Mart. *semid.* Commem. Octavarum.
g	30	Dom. infra Oct. Nativitatis, vel de Oct. Nativitatis, *semid.* Commem. Octavarum.
A	31	S. Silvestri Papæ et Conf. *dupl.* Commem. Octavarum.

OFFICIA VOTIVA

Qualibet Feria V non impedita Festo novem lectionum etiam translato, extra tamen Adventum, Quadragesimam, Octavas, Vigilias et Ferias privilegiatas, excepta etiam Feria in qua, secundum Rubricas, Officium Dominicæ aliquando erit appositum, fit Officium votivum SS. Sacramenti, sub ritu semiduplici.

Item quolibet sabbato, ut supra non impedito, sub iisdem limitationibus et ritu, fit Officium votivum Immaculatæ Conceptionis B. M. V.

(Ex concessione S. R. C., die 16 julii 1863).

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS TUTELENSIS
A SANCTA SEDE APPROBATA

PARS HIEMALIS

FESTA MOBILIA

DOM. ANTE SEPTUAG.

PURISSIMI CORDIS B. M. V.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS

Ant. et Capit. de Laud.; Pss. et Hymn. ut in Festis B. M. V.

℣. Exsúlta in omni corde fília Jerúsalem. ℟. Rex Israël, Dóminus in médio tui.

Ad Magnif. Ant. Exsultávit cor meum in Dómino, et exaltátum est cornu meum in Deo meo, quia lætáta sum in salutári tuo.

Orat. ut in Laud.

Fit Commem. Dom. occur.

AD MATUTINUM

Invit. Ave María, grátia plena : * Dóminus tecum.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymn. Quem terra.

IN I. NOCTURNO

Ant. Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui.

Pss. ut in Festis B. M. V.

Ant. Et ait María : Magníficat ánima mea Dóminum, et exsultávit spíritus meus, in Deo salutári meo.

Ant. Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ : ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

℣. Anima mea liquefácta est. ℟. Ut locútus est diléctus.

De Cánticis canticórum.

LECTIO I. *Cap.* 4.

QUAM pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut vitta coccínea, lábia tua, et elóquium tuum dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificáta est cum propugnáculis : mille clýpei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Vulnerásti cor meum, soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, et in uno crine colli tui. Favus distillans lábia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua. Hortus conclúsus, fons signátus.

℟. Deduc me Dómine in via tua, et ingrédiar in veri-

táte tua : lætétur cor meum, * Ut tímeat nomen tuum. ℣. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum. Ut tímeat.

LECTIO II. *Cap.* 5.

VENI in hortum meum, soror mea sponsa : méssui myrrham meam cum aromátibus meis : comédi favum cum melle meo. Vox dilécti mei pulsántis : Aperi mihi, soror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea : quia caput meum plenum est rore, et cincínni mei guttis nóctium. Surréxi, ut aperírem dilécto meo : manus meæ stillavérunt myrrham, et dígiti mei pleni myrrha probatíssima. Apérui dilécto meo : at ille declináverat, atque transíerat. Anima mea liquefácta est, ut locútus est.

℟. In Dómino gaudébo, et exsultábo in Deo Jesu meo : Deus Dóminus fortitúdo mea, * Super excélsa dedúcet me. ℣. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Super.

LECTIO III. *Cap.* 5. *et* 6.

QUALIS est diléctus tuus ex dilécto, o pulchérrima mulíerum? qualis est diléctus tuus ex dilécto, quia sic adjurásti nos? Diléctus meus cándidus et rubicúndus, eléctus ex míllibus, totus desiderábilis. Talis est diléctus meus, et ipse est amícus meus, fíliæ Jerúsalem. Quo ábiit diléctus tuus, o pulchérrima mulíerum, quo declinávit diléctus tuus? et quærémus eum tecum. Pulchra es, amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Una est colúmba mea, perfécta mea, una est matris suæ, elécta genitríci suæ. Vidérunt eam fíliæ, et beatíssimam prædicavérunt : regínæ laudavérunt eam.

℟. Invéni grátiam apud óculos tuos, Dómine mi, * Qui consolátus es me, et locútus es ad cor ancíllæ tuæ. ℣. In toto corde meo exquisívi te : ne repéllas me a mandátis tuis. Qui. Glória Patri. Qui.

IN II. NOCTURNO

Ant. Beáta quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi a Dómino.

Ant. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Ant. Fecit poténtiam in bráchio suo : dispérsit supérbos mente cordis sui.

℣. Fortis est ut mors diléctio. ℟. Dura sicut inférnus æmulátio.

Sermo sancti Bernardini Senénsis.

Ex Serm. 9. *de Visitatione.*

LECTIO IV

QUIS mortálium, nisi divíno fretus oráculo, de

vera Dei et hóminis Genitrice quidquam módicum, sive grande, præsúmat pollútis lábiis nomináre, quam Pater ante sæcula Deus perpétuam prædestinávit in Vírginem digníssimam : Filius elégit in matrem : Spíritus sanctus omnis grátiæ domicílium præparávit? Quibus verbis ego homúnculus sensus altíssimos virgínei Cordis, sanctíssimo ore prolátos, ófferam, quibus non súfficit lingua ómnium hóminum et étiam Angelórum? Dóminus enim ait : Bonus homo de bono thesáuro cordis sui profert bona. Quis áutem inter puros hómines mélior homo potest excogitári, quam illa, quæ méruit éffici Mater Dei, quæ in Corde et in útero suo ipsum Deum hospitáta est? Quis thesáurus mélior, quam ipse divínus amor, quo Cor Vírginis ardens erat?

℟. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vígilant ad me invénient me : mecum sunt divítiæ et glória, * Opes supérbæ et justítia. ℣. Ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam. Opes supérbæ.

LECTIO V

De hoc ígitur Corde quasi fornáce divíni ardóris Virgo beáta prótulit verba bona, id est verba ardentíssimæ caritátis. Sicut enim a vase óptimo vino pleno, non potest exíre nisi óptimum vinum, aut sicut a fornáce summi ardóris non egréditur nisi incéndium fervens; sic de Corde Matris Christi exíre non pótuit verbum, nisi summi summéque divíni amóris atque ardóris. Septem verba tantum miræ senténtiæ et virtútis a Christi benedictíssima Matre legúntur dicta. Cum Angelo bis tantum locúta est. Cum Elísabeth bis étiam. Cum Filio étiam bis. Cum minístris in núptiis semel. Hæc septem verba, secúndum septem amóris actus, sub miro gradu et órdine prolata, quasi sunt septem flammæ Cordis ejus.

℟. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei : in me grátia omnis viæ et veritátis : * In me omnis spes vitæ et virtútis. ℣. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléмini. In me.

LECTIO VI

Quæ verba consíderans mens devóta, cum ipso Prophéta ait : Quam dúlcia fáucibus meis, id est ómnibus affectiónibus elóquia tua! Porro dulcédo hæc, quam in verbis beátæ Vírginis devóta mens sentit, est ardor piæ devotiónis, quam in eis ánima experimentáliter probat. Distinguámus ígitur per órdinem has se-

ptem flammas amóris, verbórum Vírginis benedictæ. Prima est flamma amóris separántis. Secúnda amóris transformántis. Tértia amóris communicántis. Quarta amóris jubilántis. Quinta amóris soporántis. Sexta amóris compatiéntis. Séptima amóris consummántis.

℟. Beátus homo qui áudit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. * Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino. ℣. Qui áutem in me peccáverit, lædet ánimam suam : omnes qui me odérunt, díligunt mortem. Qui me invénerit. Glória Patri. Qui me invénerit.

IN III. NOCTURNO

Ant. Unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me?

Ant. Misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum.

Ant. Suscépit Israël púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ

℣. Ego diléċto meo. ℟. Et ad me convérsio ejus.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 2. *g*

In illo témpore : Dixit mater Jesu ad illum : Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et réliqua.

De Homilía venerábilis Bedæ Presbýteri.

In Homil. Hiem. de Temp., Dom. I. post Epiph.

Mater ejus, inquit Evangelista, conservábat ómnia verba hæc in Corde suo. Omnia quæ de Dómino vel a Dómino dicta sive acta cognóverat Mater Virgo, diligéntius in Corde retinébat, sollícite cuncta memóriæ commendábat, ut cum demum tempus prædicándæ, sive scribéndæ Incarnatiónis ejus adveníret, sufficiénter univérsa, prout essent gesta, posset explicáre quæréntibus. Imitémur et nos, fratres mei, piam Dómini Matrem, ipsi quoque ómnia verba et facta Dómini ac Salvatóris nostri fixa in corde conservándo.

℟. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem : * Neque flúmina óbruent eam. ℣. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. Neque flúmina.

LECTIO VIII

Horum Dómini verbórum et actórum meditatióne diúrna et noctúrna importúnos inánium nocentiúmque cogitatiónum repellámus incúrsus: horum crebra collatióne et nos et próximos nostros a fábulis supervácuis, et male dulcorátis detractiónum collóquiis ca-

stigáre, atque ad divínæ frequéntiam láudis accéndere curémus. ¶ Si enim, fratres caríssimi, in futúri beatitúdine sǽculi habitáre in domo Dómini, ac perpétuo illum laudáre desiderámus, opórtet nimírum et in hoc sǽculo, quod in futúro quærámus, sollícite præmonstrémus : frequentándo vidélicet Ecclésiæ límina, et non solum in ea láudes Dómini canéndo, sed et in omni loco dominatiónis ejus ea quæ ad láudem gloriámque Conditóris nostri profíciant, verbis páriter ac factis ostendéndo.

℟. Spíritus meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum : qui áudit me, non confundétur : *Et qui operántur in me, non peccábunt. ℣. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt. Et qui operántur. Glória Patri. Et qui operántur.

Lect. IX. *de Homil. Dom. occur.; sed si extra Dom. agi de hoc Festo contingat, tunc* IX. *Lect. incipiet ab hoc signo* ¶.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1. Trahe me,* post te currémus in odórem unguentórum tuórum.

Pss. de Dom.

2. Diléctus meus * lóquitur mihi : Surge, própera, amíca mea.

3. Fulcíte * me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lánguco.

4. Adjúro vos, * fíliæ Jerúsalem, ne suscitétis diléctam, quoadúsque ipsa velit.

5. Ego dórmio, * et cor meum vígilat.

CAPITULUM. *Cant.* 8. *b*

PONE me ut signáculum super Cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum : quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio. Lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

Hymn. O gloriósa.

℣. Qui me invénerit, invéniet vitam. ℟. Et háuriet salútem a Dómino.

Ad Bened. Ant. Extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi : Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti!

ORATIO

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui in Corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus sancti habitáculum præparásti : concéde propítius; ut ejúsdem puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum Cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Et fit Comm. Dom. occur.

AD PRIMAM

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM

Ant. Diléctus meus.
Capit. Pone me.

232

℟. *br.* Anima mea * Liquefácta est. Anima mea. ℣. Ut locútus est diléctus meus. Liquefácta. Glória Patri. Anima mea.

℣. Fortis est ut mors diléctio. ℟. Dura sicut inférnus æmulátio.

AD SEXTAM

Ant. Fulcite.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

Ego ex ore Altissimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram : ego feci in cælis, ut orirétur lumen indeficiens, et sicut nébula texi omnem terram.

℟. *br.* Fortis est * Ut mors diléctio. Fortis est. ℣. Dura sicut inférnus æmulátio. Ut mors. Glória Patri. Fortis.

℣. Ego dilécto meo. ℟. Et ad me convérsio ejus.

AD NONAM

Ant. Ego dórmio.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

In omni terra steti, et in omni pópulo, et in ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor.

℟. *br.* Ego * Diléсto meo. Ego diléсto. ℣. Et ad me convérsio ejus. Diléсto. Glória Patri. Ego diléсto.

℣. Qui me invénerit, invéniet vitam. ℟. Et háuriet salútem a Dómino.

IN II. VESPERIS

Omnia ut in primis, præter

℣. Viam mandatórum tuórum cucúrri. ℟. Cum dilatásti Cor meum.

Ad Magnif. Ant. Exsultávit Cor meum in Deo salutári meo, quia fecit mihi magna qui potens est.

Orat. ut in Laud.

Et fit Comm. Dom. occur.

Illis annis quibus non fuerint tres Dom. post Epiph., Festum Purissimi Cordis Deiparæ celebrabitur tamquam in sede propria die 19 Januarii.

DOM. III. POST EPIPH.

SANCTÆ FAMILIÆ JESU, MARIÆ, JOSEPH

Duplex majus.

Ut in Supplem.

FERIA III. POST DOM. SEPTUAG.

ORATIONIS D. N. J. C. IN MONTE OLIVETI

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem.

Hoc Officium et alia sex Officia infra scripta Dominicæ Passionis, quoties designatis Feriis juxta decreta impeditis recitari nequeant, ex benigna Sanctæ Sedis concessione transferri poterunt ad primas dies liberas, attamen non ultra Quadrag.

FER. III. POST DOM. SEXAG.

COMMEM. PASSIONIS D. N. J. C.

Duplex majus.

Ut in Supplem.

FER. VI. POST CINERES

SS. SPINEÆ CORONÆ D. N. J. C.

Duplex majus.

Ut in Supplem.

FESTA FIXA SANCTORUM

FESTA NOVEMBRIS

DIE XXVII

SANCTI ODONIS

ABBATIS TUTELENSIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq. (m. t. v.)

Pridie, Vesp. a Capit. de S. Odone. Commem. præcedentis.

ORATIO

Deus, qui beátum Odónem Abbátem, caritátis tuæ igne succénsum, in Ecclésia tua lucére simul et ardére fecísti: ejus intercessióne concéde; eódem nos caritátis spíritu fervéntes, coram te semper ut fílios lucis ambuláre. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Odo, Abbónis nóbilis Franci fílius, cum Turonénsis Ecclésiæ esset canónicus, illud Apóstoli apud se répetens: Si quis ignórat, ignorábitur, litterárum sciéntiam viro ecclesiástico dignam cum pietáte conjúnxit. Adhuc adoléscens suis facultátibus in páuperes distribútis, primo in solitúdine per triénnium vitam solitáriam, deinde monásticam in Gignacénsi monastério, sério egit; quo témpore frater quidam illic móriens exclamárat pro Christi tribunáli sibi a dæmone objéctas micas, quas in fine mensæ comédere neglexísset. Hujus memor Odo, micas sédulo colléctas ipse lectióni inténtus, cum semel in mensa comédere juxta régulam oblítus, post mensam non audéret, delícti véniam deprecatúrus abbáti supplex, eas in tot margarítas divínitus convérsas stupens osténdit, quas abbas vesti sacræ intéxi curávit.

℟. Honéstum.

LECTIO V

Sacerdótio initiátus, in locum defúncti Aimónis, abbátis Tutelénsis, primum sufficitur: deinde Cluniacénsis abbas institútus est; ubi thesáuros in régulæ observatióne latántes mónachis explicávit; nullúmque illíus ápicem prudénti inconsúltum, proficiénti inútilem, credénti difficilem, pœniténti ásperum esse, suo et multórum exémplo dócuit. Solitúdini, puritáti, et devotióni suórum in Dei láudibus noctúrnis diurnísque, oratióni ac cæteris

pietátis exercitatiónibus, et siléntio præcipue cavit; ita ut verbórum vice, signis necessária loqueréntur. Illis accéssit apparitio crebra sanctórum Martini Turonénsis et Benedicti, e quorum exémplo et patrocínio única pendébat, qui Odónem et illi obsequéntes favóribus, negligéntes vindícta, cælitus prosequebántur.

℟. Amávit eum.

LECTIO VI

PÁUPERES solébat cæli janitóres appelláre, eorúmque inópiæ, honestiórum étiam verecúndiæ consúlere; morbo vel sénio débiles in itinere óbvios equum suum ascéndere cogébat, quos ipse psallens pédibus comitabátur. Quam humanitátem cum in Alpibus Cóttiis præstáret, múlier ad primum cellæ ipsius tactum dæmónio quo tenebátur liberáta est. Cum áutem in príncipum dissídiis componéndis, pace ecclésiis restituénda, monastériis reformándis consenuísset, Romæ ex febre moribúndus, mortis indúcias impetrávit, donec Túrones revérsus, sancti Martíni solemnitátem celebrásset. Tunc febre iterum corréptus et sanctis Ecclésiæ sacraméntis munitus, inter suas fratrúmque preces ánimam Deo réddidit, décimo quinto Kaléndas Decémbris, circiter annum nongentésimum quadragésimum.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ecce nos reliquimus ómnia. *de Comm. pro Abbat.*

Fit Commem. Fer. in Laud. et Vesp.

Vesp. a Capit. de seq. Commem. præced.

DIE XXVIII

SANCTI JOSAPHAT

EPISC. ET MART.

Duplex.

In Brev. e 14 *huj. vel in Supplem.*

DIE XXIX

SANCTI SATURNINI

EPISC. ET MART.

Semiduplex ad libitum.

Omnia de Comm. unius Mart., præter seq.

ORATIO

DEUS, qui per beátum Saturninum Mártyrem tuum atque Pontíficem infidéles pópulos de ténebris ad lucem veritátis venire tribuísti: da nobis, ejus intercessióne, in fide stábiles, ac in spe Evangélii, quod prædicávit, immóbiles permanére. Per Dóminum.

Commem. Fer. et alterius S. Saturnini Mart. Ant. Qui odit ánimam. ℣. Justus ut palma. (*e Laud. de Comm. unius Mart.*) *Orat.* Deus, qui nos. *in Breviar.*

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Saturnínus a Románo Pontífice missus in Gállias, et Tolósæ póntifex constitútus, multos ab idólis ad Christum convértit : dæmónibus qui illic colebántur ádeo terríbilis, ut frustra sacrifíciis evocáti orácula réddere cessáverint. Tam inexspectáto siléntio commóti gentíles, ímpetu facto, Saturnínum in Capitólium urbis traxérunt, comminati duríssimam mortem, nisi more pátrio diis sacra fáceret.

℟. Honéstum.

LECTIO V

Quod cum renuísset, pedes ejus táuro alligárunt : qui sanctum præsulem per declíves gradus Capitólii raptátum, collíso cápite, excússo cerébro membrísque discérptis, interémit. Exánime beáti mártyris corpus tam diu a táuro distráctum est, quoad, rupto fune, accéptum, et lígneo immíssum ferétro, mulíeres duæ in alta scrobe condidérunt.

℟. Desidérium.

LECTIO VI

Invéntum est póstea ab Hilário Tolosáno, qui, effóssa circum humo sacras véritus relíquias commovére, túmulum superimpósuit : et oratórium exstrúxit, quod a Sýlvio amplificátum, posteáque ab Exupério sub sancti mártyris nómine consecrátum, veneránda hujus pígnora honorificéntius recóndidit. Celébrior exínde habéri cœpit cultus sancti Saturníni, dispertítis per Gállias ejúsdem relíquiis, de quibus sanctus Gregórius Turonénsis multa refert mirácula; quarum étiam partem íntulit in oratórium domus episcopális a se dedicátum. Per diœcésim Tutelénsem plures sunt parochiáles ecclésiæ sub ejus invocatióne Deo dicátæ.

℟. Stola.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Si quis venit ad me. *de Comm. unius Mart.*

In Laud. Commem. Fer., et alterius S. Saturnini Mart. Ant. Iste sanctus. ℣. Glória et honóre. (*e I. Vesp. de Comm. unius Mart.*) *Orat.* Deus, qui nos.

FESTA DECEMBRIS

DIE I

SANCTI ELIGII

EPISCOPI ET CONFESSORIS

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter seq. (m. t. v.)

Pridie, ad Vesp. S. Andreæ Apost. Commem. S. Eligii et Fer.

ORATIO

TRÍBUE nobis, quǽsumus Dómine, singulárem sancti Elígii Confessóris tui atque Pontificis caritátem imitári : ut illíus mérita in spíritu et veritáte celebrémus. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

ELÍGIUS in vico Catalacénsi parum dissito ab urbe Lemóvica, natus est paréntibus Euchério et Terrígia, qui eum, ob singulárem qua pollébat indústriam, Abbóni aurifábro Lemóvicis instruéndum tradidérunt. A quo óptime edóctus, relicta pátria, Parisios se cóntulit, ubi perítiæ suæ fama Clotário secúndo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit coram sacerdóte, et exínde in ópera pietátis omni stúdio incúbuit. Nam, étiam cum artem exercébat, subinde in sacros códices óculos intendébat ; ita ut mens Deo vacáret, dum manus úsibus serviébant humánis. Quidquid arte sua comparábat, id totum fovéndis egénis et captivis, rerum étiam sibi necessariárum dispéndio, rediméndis erogábat. Hinc tantus ad eum páuperum concúrsus, ut quæréntí domum Eligii dicerétur : Ubi cœtum páuperum conspexéris, illic et Elígium repéries.

℟. Invéni.

LECTIO V

INTRA domum áutem vacábat oratióni cum familiáribus, qui diu noctúque in ejus cámera canónicum cursum solémniter adimplébant. Non minus accéptus Dagobérto quam Clotário patri, et ab eo ad Aremoricórum regem pacis componéndæ cáusa missus, reges ambos felici fœ́dere sociávit. Vária ejus hortátu exstrúcta sunt templa et monastéria. Solemniacénse in Lemovicibus cœnóbium cóndidit. Parisiis ædificávit monastérium vírginum. Instaurávit ibidem basílicam sancti Martiális, in quam cum sancti Aquitániæ apó-

stoli reliquiæ deportaréntur, procederéntque juxta cárcerem, ex Eligii consilio, psalléntium chori, óstia obseráta vinctis cælitus patuérunt. Plúrima divérsis tempóribus, áuro, argénto, gemmísque ornávit sepúlcra Sanctórum. De Ecclésiæ disciplina sollícitus, simoníacam labem, quæ altas in Gállia radíces égerat, exstirpávit.

℟. Pósui.

LECTIO VI

TANDEM ad Novioménsem episcopátum assúmptus, non modo salúti gregis sibi commíssi invigilávit, sed et Flandros et Frísios, aliósque ad Septentriónem pópulos, non sine magno labóre ac vitæ discrímine, ad Christum addúxit. Sedit in concílio Cabilonénsi sub Clodovéo secúndo. Multa præcláre scripsit, ejécit dæmones, futúra divínitus prædíxit, aliísque miráculis illústris, óbiit septuagenárius, desinénte die última Novémbris, anno sexcentésimo quinquagésimo nono, hora prima noctis, et Noviómi sepúltus est. Ejus funus sancta regína Bathíldis cum líberis prosecúta est. Váriæ, divérsis tempóribus, in monastérium Solemniacénse prope Lemóvicas, e Novioménsi Ecclésia, sancti pontíficis translátæ sunt reliquiæ.

℟. Iste est qui.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Vigiláte. *de Comm.* 2° *loco.*

Ad Laudes fit Comm. Fer.

In II. Vesp. fit Commem. seq. et Fer.

DIE V

IN DEDICATIONE

BASILICARUM SS. APOST. PETRI ET PAULI

Duplex majus.

Omnia de Comm. Dedicationis Ecclesiæ, præter seq.

Commem. Fer. et S. Sabbæ Abbat. Ant. Similábo. ℣. Amávit. *Orat.* Intercéssio.

IN I. NOCTURNO

De libro Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli.

LECTIO I. *Cap.* 21. *e*

ET erat structúra muri ejus ex lápide jáspide : ipsa vero cívitas áurum mundum símile vitro mundo. Et fundaménta muri civitátis omni lápide pretióso ornáta. Fundaméntum primum, jaspis : secúndum, sapphírus : tértium, chalcedónius : quartum, smarágdus : quintum, sárdonyx : sextum, sárdius : séptimum, chrysólithus : octávum, berýllus : nonum, topázius : décimum, chrysóprasus : undécimum, hyacínthus : duodécimum, amethýstus.

℟. In dedicatióne templi decantábat pópulus láudem, * Et in ore eórum dulcis resonábat sonus. ℣. Fundáta est domus Dómini su-

pra vérticem móntium, et vénient ad eam omnes gentes. Et in ore.

LECTIO II

Et duódecim portæ, duódecim margaritæ sunt per síngulas : et singulæ portæ erant ex singulis margaritis : et platéa civitátis áurum mundum, tamquam vitrum perlúcidum. Et templum non vidi in ea. Dóminus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus. Et civitas non eget sole, neque luna, ut lúceant in ea. Nam cláritas Dei illuminávit eam, et lucérna ejus est Agnus.

℟. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles : * Et vénient ad eam omnes gentes, et dicent : Glória tibi Dómine. ℣. Veniéntes áutem vénient cum exsultatióne, portántes manipulos suos. Et vénient.

LECTIO III

Et ambulábunt gentes in lúmine ejus : et reges terræ ǽfferent glóriam suam, et honórem in illam. Et portæ ejus non claudéntur per diem : nox enim non erit illic. Et ǽfferent glóriam, et honórem géntium in illam. Non intrábit in eam áliquod coinquinátum, aut abominatiónem fáciens, et mendácium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

℟. Bénedic Dómine.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Ex locis sacris quæ olim apud Christiános veneratiónem habuérunt, illa celebérrima et frequentíssima fuérunt, in quibus cóndita sanctórum córpora, vel áliquod Mártyrum vestigium aut monuméntum esset. In quorum número sanctórum locórum, in primis semper fuit insignis ea Vaticáni pars, quam sancti Petri Confessiónem appellábant. Nam eo Christiáni ex ómnibus orbis terræ pártibus, tamquam ad fidei petram et Ecclésiæ fundaméntum conveniéntes, locum Príncipis Apostolórum sepúlcro consecrátum, summa religióne ac pietáte venerabántur.

℟. Orántibus in loco isto, * Dimitte peccáta pópuli tui Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israël inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim. Dimitte.

LECTIO V

Illuc Constantinus Magnus imperátor octávo die post suscéptum baptismum venit, depositóque diadémate, et humi jacens, vim lacrymárum profúdit : mox sumpto ligóne ac bidénte, terram éruit : indeque duódecim terræ cóphinis, honóris duódecim Apostoló-

rum, ablátis; ac loco basílicæ Príncipis Apostolórum designáto, ecclésiam ædificávit. Quam sanctus Silvéster Papa décimo quarto Kaléndas Decémbris, eo modo quo Lateranénsem ecclésiam quinto Idus Novémbris consecráverat, dedicávit : et in ea altáre lapídeum chrísmate delibútum eréxit; atque ex eo témpore sancívit, ne deinceps altária nisi ex lápide fíerent. Idem beátus Silvéster basílicam sancti Páuli Apóstoli in via Ostiénsi ab eódem Constantíno imperatóre magnificentíssime ædificátam dedicávit. Quas basílicas idem imperátor multis prǽdiis attribútis locupletávit, ac munéribus amplíssimis exornávit.

℟. O quam metuéndus est locus iste : * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cæli. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram. Vere non est.

LECTIO VI

PORRO Vaticánam basílicam vetustáte jamprídem collabéntem, ac proptérea multórum Pontíficum pietáte látius ac magnificéntius a fundaméntis eréctam, Urbánus octávus hac eádem recurrénte die anni millésimi sexcentésimi vigésimi sexti, solémni ritu consecrávit. Basílicam vero Ostiénsem, cum dira incéndii vis, anno millésimo octingentésimo vigésimo tértio pénitus consumpsísset, indeféssa quátuor Pontíficum cura splendídius quam ántea eréctam, et ab intéritu véluti vindicátam, Pius nonus auspicatíssimam nactus occasiónem qua dogma de Immaculáta beátæ Maríæ Vírginis Conceptióne nuper ab ipso proclamátum, ingéntem cardinálium et episcopórum númerum ex dissítis étiam cathólici orbis regiónibus Romam attráxerat, die décima Decémbris anni millésimi octingentésimi quinquagésimi quarti, tanta circúmdatus purpuratórum patrum et antístitum coróna solémniter dedicávit, ejúsque celebritátis memóriam hac die recoléndam decrévit.

℟. Mane surgens.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ingréssus Jesus. *de* IV. *die infra Oct. Dedic. Ecclesiæ.*

In Laudibus Commem. Feriæ et S. Sabbæ Abbatis. Ant. Euge serve. ℣. Justum.

In II. Vesp. Commem. S. Nicolai Episc. et Conf. et Fer.

DIE X

TRANSLATIONIS

ALMÆ DOMUS LAURETANÆ

Duplex majus.

In Supplem.

DIE XII

SANCTÆ VALERIÆ

VIRG. ET MART.

Duplex.

Omnia de Comm. Virg. et Mart., præter seq.

Pridie, Vesp. de S. Valeria. Commem. S. Damasi, Oct. et Fer.

ORATIO

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátam Valériam Vírginem tuam, per martýrii palmam, cæléstem fecisti conscéndere glóriam : da nobis, ejus suffragántibus méritis, cunctórum véniam delictórum; ut ad ejúsdem mereámur pertingere consórtium. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Valéria, gentis Lemóvicæ decus, patris Leocádii et Susánnæ matris única fuit proles. Quæ virgo, génere nóbilis, sed móribus pudícis nobilior, nondum initiáta Christi mystériis, prævísa est Christo vas electiónis. Mórtuo patre, qui a Tibério Cǽsare provinciæ Lemovicénsi gubernándæ præpósitus fúerat, Stéphano duci éadem província a Cláudio Cǽsare tum imperánte data est, ea lege ut Valériam, Leocádii filiam, dúceret uxórem. Etenim non contemnéndus Valériæ conjux, si genus respicias quod ille a Cæsáribus dúceret, aut opes quibus præ cǽteris pollébat, nisi illa meliórem partem elegísset, Christóque Dómino suam virginitátem dicásset felix puélla; nam christiánæ fidei præcéptis imbúta fúerat a beáto Martiále qui, eo témpore, Lemóvicum vénerat.

℟. Propter.

LECTIO V

Stéphanus vero forte exércitum quem secum habébat, in Bárbaros quosdam qui a Románis defécerant, edúxerat; ideóque libérius a divo Martiále Verbum Dómini prædicabátur, attentiúsque inter cǽteros a Valéria audiebátur. Quare, et sacra lympha áblui vóluit; et, mórtua matre, vírginem se posthac permansúram Sancto promísit. Intérea vero dux Stéphanus, parta victória de hóstibus, Lemóvicum redit, Valériam, ut putábat, sibi matrimónio conjunctúrus; sed eum sua feféllit opinio. Illa enim nihil minus quam núptias cogitábat; imo vero jejúniis ac vigiliis sese confíciens, a précibus non cessábat, ut Stéphanum ab idololátria ad verum Dei cultum revocáret. Quæ ómnia cum ad Stéphani áures pervenissent, animúmque puéllæ a núptiis abhorrére, atque christiá-

næ religiónis initiátam mystériis intelligeret, ira pércitus vírginem adit, rogátque an vera sint quæ de ea ad se reláta sunt. Nec illa ábnuit; quin moléstum illi esse non debére, si mortáli hómini immortálem Deum rerúmque ómnium Auctórem præferat.

℟. Dilexísti.

LECTIO VI

Itaque, nomináto eo a quo fidem christiánam edócta fúerat, cum neque blandítiis, neque minis aut terróribus a senténtia abdúci posset, cápite plecti a Stéphano jussa est. Quod illa judícium et audívit et súbiit, lictóri prænúntians ipsum nocte próxima longe acerbiórem necem passúrum. Fusis ergo ad Deum précibus, prima in Gálliis inter féminas, quarto Idus Decémbris cápite truncáta est. Ipsa suum, ut piæ memóriæ tráditum est, caput utráque manu accípiens, ad sanctum Martiálem, tunc sacra faciéntem, per quátuor fere stádia ab eo loco ubi cæsa fúerat, détulit, impréssis étiam pedum vestígiis in lápide marmóreo qui ibi forte íncrat. Lictor vero, ubi sub noctem Stéphano quæ fúerant gesta renuntiásset, ab Angelo percússus, ad pedes Stéphani córruit mórtuus. Quare, percúlsus timóre Stéphanus, cum univérsa família beátum Martiálem ádiit supplex, eórum quæ in Valériam peccáverat véniam petens, et baptizári volens. Quod et consecútus est; et qui períerat lictor, a mórtuis suscitátus est a Martiále, et Valériæ corpus sepultúræ mandátum fuit. Deinde longo post témpore, irruéntibus Normánnis, máxima ex parte ad Cambonénse cœnóbium, in diœcési Lemovicénsi, delátum est, ubi et adhuc religióse asservátur et miráculis fulget non páucis, nonnúllis tamen in ecclésia cathedráli remanéntibus relíquiis.

℟. Afferéntur.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Símile erit. *de Comm.*

Ad Laud. Commem. Oct. et Fer.

In II. Vesp. a Capit. de S. Lucia; Commem. præced., Oct. et Fer.

DIE XVII

S. LAZARI RESUSCITATI

EPISC. ET MART.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. Pont., præter seq.

In I. Vesp. ad Magnif. Ant. Lázarus amícus noster dormit; eámus et a somno excitémus eum.

ORATIO

Deus, qui per Unigénitum Fílium tuum, beátum Lázarum quatriduánum mórtuum resuscitásti a monu-

ménto, érige nos propitius de túmulis peccatórum : ut mereámur adipísci consórtium electórum tuórum. Per eúmdem Dóminum.

Commem. præced. et Feriæ.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

LÁZARUS a Bethánia, claríssimis ortus natálibus, frater fuit Marthæ et Maríæ. Hos Jesus diligébat, et apud eos quandóque in hospítium divertebátur. Accídit áutem ut Lázarus infirmarétur in castéllo Betháníæ. Misérunt ergo soróres ejus ad Dóminum, qui invénit eum quátuor dies jam in monuménto habéntem, et suscitávit a mórtuis. Quem Judǽi sǽpius interfícere cogitavérunt, eo quod multi propter illum créderent in Jesum. Post ascénsum Dómini in cælum, exórta persecutióne in discípulos Christi, ipse cum duábus soróribus et Marcélla pedísequa, ac Maximíno, uno ex septuagínta duóbus Christi discípulis qui totam illam domum baptizáverat, multísque áliis Christiánis comprehénsus a Judǽis, in navem sine velo ac remígio pósitus est, vastissimóque mari ad certum naufrágium commíssus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus.

LECTIO V

SED navis, Deo gubernánte, salvis ómnibus, Massíliam propúlsa est. Quo miráculo et horum prædicatióne, primum Massilienses, mox Aquénses ac finítimæ gentes in Christum credidérunt, Lazarúsque Massiliénsium episcopus creátus est. Aliam quoque persecutiónem commovénte Domitiáno imperatóre, a satellítibus tyránni comprehénditur sanctus póntifex, ejúsque fides ac constántia várie tentántur. Quibus cum respondísset se verum amícum habére Dóminum Jesum Christum, qui eum suscitáverat a mórtuis, ipsum nudátum et fústibus cæsum per totam civitátem pértrahunt, ac demum in obscuríssimo cárcere subterráneo reclúdunt.

℟. Desidérium.

LECTIO VI

TÉRTIA igitur die consúlibus præsentátur, et ante Martis simulácrum addúcitur ut ei immoláret. Sed in confessióne Christi nihilóminus persévcrans, accépta capitáli senténtia, suum Deo commendans spíritum, percússa cervíce a spiculatóre, íterum in Dómino quiévit. Ejus áutem corpus sepúltum est Massíliæ, ubi multis cláruit miráculis. Hinc dudum Augustodúnum Æduórum magna ex parte translátum, summo

templo quod tanti Mártyris título præfúlget, omni cum reveréntia observátum est. Exeúnte áutem sæculo décimo octávo, veneránda Mártyris pígnora sacrílegæ manus dissipárunt, quorum fragménta, Deo custodiénte, pii fidéles collegérunt, et post tribulatiónem diérum illórum, Ecclésiæ Augustodúni, religióse asserváta reddidérunt. Beáti præsulis intercessióne, infírmi non páuci a váriis languóribus, et præsértim a lepra mundáti sunt; unde vulgo ut patrónus a leprósis invocabátur.

℟. Stola jucunditátis índuit eum.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 11.

In illo témpore : Erat quidam languens Lázarus a Bethánia, de castéllo Maríæ et Marthæ soróris ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Episcopi.

Tract. 49. *in Joann. post initium.*

In superióri lectióne meminístis quod Dóminus éxiit de mánibus eórum qui illum lapidáre voluérunt, et discéssit trans Jordánem ubi Joánnes baptizábat. Ibi ergo Dómino constitúto, infirmabátur in Bethánia Lázarus : quod castéllum erat próximum Jerosólymis. María áutem erat quæ unxit Dóminum unguénto, et extérsit pedes ejus capíllis suis; cujus frater Lázarus infirmabátur. Misérunt ergo soróres ejus ad eum. Jam intellígimus quo misérunt, ubi erat Jesus, quóniam absens erat, trans Jordánem scilicet. Misérunt ad Dóminum, nuntiántes quod ægrotáret frater eárum, ut si dignarétur, veníret, et eum ab ægritúdine liberáret. Ille dístulit sanáre, ut posset resuscitáre.

℟. Coróna.

LECTIO VIII

Quid ergo nuntiavérunt soróres ejus? Dómine, quem amas infirmátur. Non dixérunt : Veni : amánti enim tantúmmodo nuntiándum fuit. Non áusæ sunt dícere : Veni et sana; non áusæ sunt dícere : Ibi jube et hic fiet. Cur enim non et istæ, si fides illíus centuriónis inde laudátur? Ait enim : Non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus. Nihil horum istæ, sed tantúmmodo : Dómine, ecce quem amas infirmátur. Súfficit ut nóveris; non enim amas et déseris.

℟. Hic est vere.

LECTIO IX

Dicit áliquis : Quómodo per Lázarum peccátor significabátur, et a Dómino sic amabátur? áudiat eum

dicéntem : Non veni vocáre justos, sed peccatóres. Si enim peccatóres Deus non amáret, de cælo ad terram non descénderet. Audiens áutem Jesus dicit eis : Infírmitas hæc non est ad mortem, sed pro glória Dei, ut glorificétur Filius Dei. Talis glorificátio non ipsum áuxit, sed nobis prófuit. Hoc est ergo quod ait : Non est ad mortem, quia ipsa mors non erat ad mortem, sed pótius ad miráculum : quo facto, créderent hómines in Christum et vitárent veram mortem. Sane vidéte quemádmodum tamquam ex oblíquo Dóminus se Deum dixit propter quosdam qui negant Filium Dei Deum esse.

In Quatuor Temporibus, Lectio ix. de Homilia Feriæ.

Ad Bened. Ant. Dómine si fuisses hic, Lázarus non esset mórtuus. Ecce jam fœtet quatriduánus in monuménto.

Commem. Feriæ.

Vesp. de seq. Commem. S. Lazari.

Ant. Videns Dóminus flentes soróres Lázari ad monuméntum, lacrymátus est coram Judǽis, et exclamávit : Lázare veni foras; et pródiit ligátus mánibus et pédibus, qui fúerat quatriduánus mórtuus.

Deinde Commem. Feriæ per Ant. O Sapiéntia.

DIE XVIII

IN EXSPECTATIONE PARTUS B. M. V.

Duplex majus.

Ut in Supplemento.

DIE XX

SS. ISRAELIS ET THEOBALDI CONF. NON PONT.

Semiduplex ad libitum.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq. (m. t. v.)

ORATIO

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beatórum Israélis et Theobáldi Confessórum tuórum solemnitáte deférimus : ut, qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus; eórum, qui tibi placuérunt, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Et fit Commem. Feriæ Advent. Ant. O radix.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

In quatuor Temp. Lect. Beátus vir. *de Comm. 2° loco.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Israel, nobílibus paréntibus in inferióri Márchia prope Dorátum natus, et óptime a púero institútus, adhuc adoléscens, in collégium canonicórum Doráti adscríbi pétiit. Voticompos, sic rerum cæléstium contemplatióni, jejúniis, siléntio, et lectióni sacrá-

rum litterárum totus fuit, ut brevi multos progréssus in omni virtúte fáceret. Sacérdos ordinátus, mox Ecclésiæ Doraténsis Præcéntor unanímiter eléctus, óptime partes suas explévit, et bono fuit ómnibus exémplo.

℟. Honéstum.

LECTIO V

Silvéstri secúndi, summi Pontíficis auctoritáte, Sanjunianénsis Ecclésiæ curam suscépit, eámque summa cum láude per áliquos annos rexit, et restaurávit. Páuperum pater fuit. Libros quosdam verna lingua scripsit cæléstem pietátem spirántes. Virtútum et prudéntiæ Israélis fama permótus Aldóinus, epíscopus Lemovicénsis, illum in vicárium generálem officialémque sibi delégit. Demum vir sanctus, ætáte ac méritis plenus, piíssimam ánimam Deo réddidit, prídie Kaléndas Januárii, anno millésimo décimo quarto.

℟. Amávit.

LECTIO VI

Theobáldus, sancti Israélis discípulus, paréntum cura pie ac religióse ab infántia institútus, eo témpore inter canónicos Doraténses adscríptus est, quo sub sancto Israéle ibídem reguláris ordo máxime florébat. Sanctíssime descríptam ab óptimo magístro sémitam ínsequens, sic virtútum ómnium illíus formam in se expréssit, ut redivívum in Theobáldo Israélem omnes prædicárent. Nusquam addúci pótuit ut ad sacerdótium promoverétur : diáconi gradum vix ferre váluit profúnda ejus humílitas : quo tandem inaugurátus, thesáuri Ecclésiæ curam suscépit. Tandem labóribus ac vigíliis fractus, in languórem lethálem ac diutúrnum íncidit, in quo, cum nihil de sólita vitæ severitáte remítteret, ad extréma devénit; meritísque abúnde cumulátus, ætérnam glóriæ corónam adéptus est, octávo Idus Novémbris, anno millésimo et septuagésimo. Ejus sánctitas cum per crebra mirácula innotuísset, Eustórgius, Lemovicénsis episcopus, sacrum illíus corpus in ædículam subterráneam, infra sancti Petri templum substrúctam translátum, sexto Kaléndas Februárii, anno millésimo centésimo trigésimo, una cum beáto Israéle, veneratióni populórum expósuit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Nolíte timére. *de Comm. 2º loco.*

Ad Laud. Commem. Feriæ.

Vesp. de S. Thoma, Commem. præced. et Fer. Ant. O Clavis.

DIE XXIII

SANCTI ASCLEPII

LEMOV. EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq.

Orat. Da quæsumus.

Commem. Feriæ, Ant. O Rex.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

In Quatuor Temp. Fidélis sermo. *de Comm.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Asclépius ea doctrína et morum integritáte excélluit, ut ad régimen Lemovicénsis Ecclésiæ ómnium votis fúerit eléctus. Qua per séxdecim círciter annos sapientíssime administráta, migrávit ad Dóminum, séptimo ineúnte sǽculo. Médius stetit inter sanctum Ferréolum et sanctum Lupum. Relíquias ejus, a longo jam témpore, in monastério sancti Augustíni, extra Lemóvicam urbem servári, testis est Gaufrédus Vosiénsis, scriptor duodécimi sǽculi. ℟. Invéni.

Lect. v. Ad sancti. *quæ est iv. de Communi.*

Lect. vj. Quidquid. *quæ est v. de Communi.*

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Homo péregre. *de Comm.* 1º *loco.*

Commem. Fer. in Laud. et Vesp. Ant. O Emmánuel.

DIE XXVI

COMMEMORATIO

OMN. SS. MARTYRUM

IN FESTO S. STEPHANI

Ut in Supplem. Ant. Isti sunt sancti. ℣. Justi epuléntur. *Orat.* Deus qui glorificáris.

FESTA JANUARII

DIE II

COMMEMORATIO

SANCTI VINCENTIANI

CONF. NON PONT.

Pridie ad Vesp. Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

ORATIO

Adésto Dómine supplicatiónibus nostris, quas in beáti Vincentiáni Confessóris tui solemnitáte deférimus : ut, qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus ; ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per.

LECTIO IX

Vincentiánus pátria Andegavénsis, ex prǽdio et família Beróldi, ducis Aquitániæ, ortus est. Orbátus paréntibus, anno ætátis suæ décimo, in fílium a Beróldo adoptátur. He-

ɔ, diácono, una cum
, filio Beróldi, in-
us tráditur, et póst-
idério Cadurcénsi
o. Sed cum Barón-
uxórem ducéndam
compélleret, Vin-
ıs de nocte fúgiens,
ı pétiit in pago Le-
ısi, ad Vizéræ ri-
ɔli Deo vacatúrus.
iis, jejúniis et ora-
; consúmptus, et
ɔrporis et sánguinis
viático reféctus,
Rústico, Lemovi-
ɔíscopo, accéperat,
l Dóminum. Obiit
Nonas Januárii, an-
nini sexcentésimo
.mo séptimo, ætá-
quadragésimo. Ejus
ıs curávit idem præ-
ıcrum corpus tráns-
Ecclésiam quam Ba-
ædificári curáverat
Exandonénsis pagi,
báturAvólca, quam-
n Rusticus, octávo
ense, in honórem
ariæ dedicávit. Ibi
ıdhuc magna fidé-
etáte colúntur insi-
ıcti viri reliquiæ, in
et perantiqua ca-
ɔnditæ.

Laud. Ant. Euge,
ɔne et fidélis, quia
ı fuisti fidélis, supra
; constituam : intra
ium Dómini tui.
stum dedúxit Dómi-
vias rectas. ℟. Et
: illi regnum Dei.

DIE III

COMMEMORATIO

SANCTÆ GENOVEFÆ

VIRGINIS

Pridie ad Vesp. Ant. Foris oves patris sui Genovéfa pascébat : intus áutem pascebátur a Dómino.

℣. Spécie tua et pulchritúdine. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

ORATIO

BEÁTÆ Genovéfæ Vírginis tuæ, Dómine Deus, gloriósis méritis adjuvémur; ut ejus sacro intervéntu, córporis et ánimæ sanitáte gaudéntes, grátia tua cooperánte, salvémur. Per Dóminum.

LECTIO IX

GENOVÉFA, Nemptóduri in agro Parisiénsi nata, inauditæ virtútis splendóre a téneris annis cláruit. Illam sanctus Germánus, Antissiodorénsis epíscopus, Deo caram et vitæ sanctitáte illústrem fore prædíxit, eíque sacrum virginitátis velámen impósuit. Nummum æreum signo crucis insignítum, nec sine Dei nutu, humi conspíciens, collégit ac Genovéfæ dedit, præcepítque ut collo appénsum gestáret, nec ullis deinceps profánis monílibus ornári se paterétur. Miraculórum dono et multitúdine præclára virgo excélluit, plúrima prophético spíritu edíxit, atque in pri-

240

mis, Attila Hunnórum rege Gállias invadénte, cives Parisiénses adhortáta est ne, relictis sédibus, fortúnas súas álio transférrent, urbi nihil metuéndum affírmans. Rei veritátem osténdit evéntus, idque Genovéfæ patrocínio datum. Grassánte deínde fame, urbem magna fruménti cópia sustentávit. Audita tot miraculórum fama, sanctus Simeon Stylites précibus Genovéfæ se vóluit commendátum. Quæ in Christo servitúte ad octoginta et novem annos consénuit.

Ad Laud. Ant. Ex quo sanctus antístes dedit mihi cæléstem cálculum, delectáta sum in solo Christo, sicut in ómnibus divítiis.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

DIE IV

COMMEMORATIO

SANCTÆ FAUSTÆ

VIRG. ET MART.

Pridie ad Vesp. Ant. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua. *ut supra pro Commem. sanctæ Genovefæ.*

ORATIO

Deus, qui inter cǽtera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius; ut, qui beátæ Fáustæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Ad Laud. Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa. *ut die præced.*

Orat. ut supra.

DIE VII

COMMEMORATIO

SANCTI TILLONIS

CONF. NON PONT.

Ad Vesp. et Laud. Ant., ℣. et Oratio ut supra, pro Commem. S. Vincentiani, die 2 Januarii.

LECTIO IX

Tillo, ob reveréntiam sanctitátis, cognominátus Páulus, natióne Saxo, paréntibus simulacrórum cultóribus natus, in Verománduis, adhuc puer, vénditus, a sancto Eligio, póstea Noviomérsi episcopo, redémptus est, qui eum educándum et litteris imbuéndum misit ad sanctum Remáclum, Solemniacénsis monastérii abbátem. In eo factus mónachus, ita virtútum splendóre enítuit, ut ejúsdem Eligii jussu ad sacerdótium evéctus sit. ¶ Honóris impátiens, clam in Brajacénsem Arvérniæ

secéssit, ubi in
.úsus diu man-
[ue in Evangéli-
ne instítuit. So-
revérsus, sancto
vernórum epí-
ílium dedit, ut
ontificátu, mó-
n profiterétur.
. Tillo, de licén-
, in cella non
nastério sita se
qua méritis et
onspícuus, præ-
rtis die nonage-
ter óbiit. Funus
ávit, tumulúm-
uit Herménus,
is epíscopus,
ifirmitáte, beáti
, mirabíliter li-

E VIII
EMORATIO
VALERICI
NON PONT.
et Laud. Ant.
ı, pro Commem.
ıi, die 2 Janua-

RATIO
nos beáti Valé-
fessóris tui án-
itáte lætíficas:
opítius; ut, cu-
cólimus, étiam
témur. Per Dó-

TIO IX
, in Germánia
. claro génere
ritia sacris lít-
is, cum crésce-

ı.]

ret ætáte, virtútum ómnium crescébat ornaméntis. Solidíssimum eárum fundaméntum humilitátem ratus, percrebrescénte sanctitátis et miraculórum fama, ut inánis glóriæ perículum omne vitáret, secéssum a solo natáli longo remótum cogitávit; ubi soli Deo notus dégeret. Crebra tunc fiébant ad túmulum beáti Martiális mirácula, eorúmque fama pium virum Lemóvicam accívit. ¶ Ibi per áliquod tempus commorátus, consílium suum, quo felíces habéret succéssus, sanctíssimo Aquitániæ Apóstolo, adhibítis ad oratiónem jejúniis, commendávit. Mox in ásperum montem secéssit, ubi, ædificáta céllula, contínuis fere vigíliis, jejúniis et oratiónibus sanctíssimam vitam exégit. Ex eo loco numquam exíbat Valéricus, nisi ut festis diébus ecclésiam beáti Juliáni Mártyris, in vicínia pósitam, adíret, aut statis anni tempóribus túmulum beáti Martiális visitáret; quod cum máximo sensu pietátis fácere sólitus erat. ¶ Latére cupiéntem, mirácula eum prodidére. Nam et a corpóribus dæmones fugábat, et váriis morbis laborántes, signo crucis, pristínæ reddébat sanitáti. Sénio tandem conféctus, quarto Idus Januárii obdormívit in Dómino, et in ec-

241

clésia sancti Juliáni sepúltus est. Cum áutem locus ille, dono Pippini regis, ecclésiæ sancti Martiális cessisset, ibi Gaufrédus abbas, sæculo undécimo ineúnte, cœnóbium instituit, cui, ut et óppido circumpósito, sancti Valérici nomen datum est.

DIE X

COMMEMORATIO

SANCTI GULIELMI

CONF. ET PONT.

Pridie ad Vesp. Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

ORATIO

Exáudi, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Guliélmi Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et qui tibi méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum nostrum.

LECTIO IX

Beátus Guliélmus a primæva ætáte avúnculo suo, Suessionénsi archidiácono, a paréntibus tráditus est, móribus et lítteris, informándus. Post hæc, cum in Suessionénsi et in Parisiénsi Ecclésia canónicus efféctus esset, nóxia sæculi blandiménta fúgere géstiens, ad Grandimonténsem erémum convolávit, ac póstmodum, majóri ánimæ securitáti cónsulens, ad Pontiniacénse Cisterciénsis órdinis monastérium se tránstulit. Fama pietátis ac virtútum ipsíus in dies excrescénte, primo Fontis Joánnis, deinde Caroliloci prope Silvanéctum abbas efficitur; tandémque in primátem Bituricénsis Ecclésiæ eléctus est. ¶ In hujus dignitátis fastígio collocátus, simul cum exterióri hábitu, ac prístina victus austeritáte, eámdem mentis humilitátem, oratiónum instántiam, morúmque sanctitátem quam ántea retínuit. Fuit ipsíus in páuperes misericórdia exúberans; erga omnes afflictos singuláris cáritas; in sustinéndis contradictiónibus et persecutiónibus mira patiéntia; dénique pro cathólicæ veritátis defensióne zelus admirábilis, ita ut sénio conféctus, contra hæréticos Albigénses profectiónem paráret, votísque fecisset satis, nisi advérsa córporis valetúdine præpeditus fuisset. ¶ Ingravescénte morbo, cum óbitus sui diem certo præsciret, se sacramentórum præsídio matúre præmuníri curávit, ac nocte insequénte, compléto matutináli offício quod coram se cantári jús-

ósitis pontificáli-
éntis, se próprio
netis in terram,
a crucis adstánti-
it, moxque cum
dictiónis grátia
feliciter emísit,
is Januárii, anno
llésimo ducenté-
ro. Quem méritis
is clarum Honó-
is in Sanctórum
rétulit.
. *Ant.* Euge serve
élis, quia in páu-
lélis, supra multa
am, dicit Dómi-

m dedúxit Dómi-
ias rectas. ℟. Et
li regnum Dei.
supra.

DIE XVI
MEMORATIO
TI BONITI
C. ET CONF.
ad Vesp. Ant. Sa-
. Amávit. *Oratio*
uǽsumus. *ut su-*
Commem. S. Gu-
10 *Januarii.*
ECTIO IX
, Arvérnus, pin-
rum Sigibérti re-
isiæ primicérius,
e referendárius,
m, agénte Theo-
rege Burgúndiæ,
nepóte, Massíliæ
am ádiit; in qua
ssit, ut non tam
am sacérdos esse
. Postulánti Avito fratri, Arvernórum epíscopo, morti próximo, annuénte rege, succéssor designátus, sacræ lectióni, vigíliis, jejúniis, hospitalitáti, aliísque caritátis opéribus totum se dedit. ¶ Frequénter hábuit cum clero de canónibus observándis collatiónes, et plebem a presbýteris edocéndam máxime curávit. Véritus áutem ne quid actum esset in sua ordinatióne contra canónes, quod postulánti fratri succéssor datus fuísset, Solemniácum in Lemovícibus monastérium venit, sanctum Tillónem ea de re consultúrus. Ibi, cum sacro Domínicæ Resurrectiónis die Missárum solémnia celebrásset, duo mónachi, qui diutúrnis fébribus laborábant, háusta aqua quæ mánibus ejus ad altáre abluéndis inservíerat, sani facti sunt. ¶ Mox, sanctus póntifex, ex Tillónis consílio, abdicáto episcopátu, mónachi vitam proféssus est in Magnilocénsi cœnóbio, ubi epístolam scripsit advérsus hǽreses Nováti et Joviniáni, quas apud Arvérnos disseminári audíerat. Ibi aliquantísper commorátus, límina Apostolórum pétiit, Lugdunóque tránsiens, epíscopum cum duce Burgúndiæ reconciliávit. Roma revérsus, Lugdúni, podágra conféctus, óbiit, unde ejus reliquiæ

in urbem Claromontánam translátæ sunt.

Ad Laud. Ant. Euge serve bone. ℣. Justum. *ut supra, die* 10 *hujus, pro Commem. S. Gulielmi.*

DIE XVII

COMMEMORATIO

SANCTI SULPITII

EPISC. ET CONF.

Pridie ad Vesp. Ant. Sacérdos. *ut supra,* 10 *hujus, pro Commem. S. Gulielmi.* ℣. Justum.

ORATIO

Da, quæsumus omnipotens Deus : ut beáti Sulpitii Confessóris tui atque Pontificis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

LECTIO IX

Sulpítius, a púero pietáti déditus, cum ecclésiis et monastériis construéndis, ac misericórdiæ opéribus esset inténtus, ab Austregisilo, Bituricénsi episcopo, ad diaconátum promótus est, ut in Ecclésia officium docéndi exercéret. Présbyter factus, a Clotário secúndo postulátus est, ut in ejus castris abbátis officio fungerétur : regémque ipsum morbo gravissimo laborántem, septem diérum oratióne et jejúnio sanitáti restítuit. Austregisilo succéssor datus, óptimi præsulis partes implévit. ¶ Diœcesánas sæpe sýnodos, intérdum étiam provinciáles celebrávit. Judæos omnes in Biturígibus degéntes, ad Christi fidem addúctos, baptizávit. Cum ad ecclésiam noctu, oratiónis cáusa, veníret, non ante recedébat quam psalmórum librum intégrum recitásset. Indicto trídui jejúnio, suis précibus obtínuit a Dagobérto ut vectigal insólitum quod plebi Bituricénsi imposúerat abrogáret. Sedit in concílio Reménsi, sub Sonnátio episcopo. Coadjutórem sibi in senectúte, ex consénsu regis, Volfoléndum cooptávit : tuncque totum se dedit levándis et instruéndis paupéribus. ¶ Plenus tandem diérum quiévit in Dómino, et in urbe Bituricénsi sepúltus est. Ad cujus sepúlcrum cum oráret sanctus Eligius, captívi qui (patefáctis per miráculum cárceris óstiis, et vínculis solútis), eo confúgerant ex Eligii consilio, et qui iterum comprehénsi, férreis caténis vincti fúerant, novo miráculo divínitus liberáti sunt : quod sancti Sulpítii méritis Elígius tribúere non dubitávit. Cæci étiam duo ab urbe Lemóvica oriúndi, ejúsdem sancti précibus, ad ejus túmulum lumen recepérunt.

Ad Laud. Ant. Euge serve bone. ℣. Justum. *ut supra,* 10 *hujus.*

DIE XX

COMMEMORATIO

SANCTÆ FORTUNATÆ

VIRG. ET MART.

Pridie ad Vesp. Ant. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

ORATIO

Indulgéntiam nobis, quǽsumus Dómine, beáta Fortunáta Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Ad Laud. Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio ut supra.

DIE XXIII

IN DESPONSATIONE B. M. V. CUM S. JOSEPH

Duplex majus.

Ut in Supplemento.

DIE XXV

COMMEMORATIO

SANCTI PRÆJECTI

EPISC. ET MART.

Pridie ad Vesp. Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

ORATIO

Deus, qui nos beáti Præjécti Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

LECTIO IX

Præjéctus, Arvérnus, claro génere natus, adoléscens Genésio archidiácono instituéndus tráditur. Genésius urbis Arvérnæ epíscopus eléctus, pecúniam illi trádidit in alimóniam páuperum : cumque sapiéntia profíceret, et bonis pollléret móribus, eum Iciodorénsi præfécit Ecclésiæ. Genésio vita functo, Felix ejus in locum eléctus, Candidiniénsis cœnóbii præfectúram Præjécto demandávit. ¶ Non multo post, Præjéctus ipse factus est epíscopus. Impósiti sibi óneris sollícitus, pópulis instruéndis, ecclésiis ædificándis, monastériis construéndis, et xenodochíis dotándis in subsídia páuperum, præsértim infirmórum, totus incumbébat. Ad regem Childéricum secúndum profectus, ut ecclésiæ

suæ bona contra Hectórem, Massíliæ præféctum, vindicáret, diversátus est in cœnóbio Doroangénsi, in Voságo, ubi a febre liberávit Amarinum abbátem, qui eum deinde secútus est ad Arvérnos reverténtem. Verum, cum rex in Hectórem animadvertisset, primóres civitátis in Præjéctum ab Agrício excitáti, duos advérsus eum misérunt sicários, a quibus, Præjécti loco, per errórem occisus est Amarínus. ¶ At ille, ne coróna martýrii fraudarétur, se esse virum quem quǽrerent proclamávit. Eórum alter statim pugiónem in pectus ipsi adégit, alter vero cerébrum excússit, invocánti et dicénti : Dómine ne státuas illis hoc peccátum, quia nésciunt quod fáciunt. Radebértus, qui Præjéctum percússerat, vivus a vérmibus consúmptus est. Ad sacras beáti Præjécti reliquias infiníta propémodum édita sunt mirácula, ádeo ut, ádmoto óleo lámpadis ante illas accénsæ, luxáta membra sine ullo dolóris sensu in artus redírent.

Ad Laud. Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Orat. ut supra.

DIE XXVI

COMMEMORATIO

SANCTÆ PAULÆ

VIDUÆ

Pridie ad Vesp. Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margaritas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

ORATIO

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui te diligéntibus mundi contémptum inspiráre dignátus es; concéde nobis fámulis tuis, ut beátæ Páulæ inhæréntes vestígiis, terréna despícere, et te único dilígere studeámus. Per Dóminum.

LECTIO IX

(*De Epistola S. Hieronymi Presbyteri, ad Eustochium,* 27.)

SANCTA ac venerábilis Páula, Gracchórum stirps, sóboles Scipiónum, Páuli heres, ómnium Romæ matronárum exémplum, post óbitum mariti viduitátem ampléctens, divítias in páuperes erogávit. Deinde, sola Eustóchio fília comitánte, pátriam déserens, loca sancta circum Jerúsalem mira pietáte visitávit. Tanta se humilitáte dejécit, ut, cum frequéntibus vírginum cingerétur

choris, et veste, et voce, et hábitu, et incéssu, mínima ómnium et ancillulárum última viderétur. Júgibus pene oratiónibus dies noctésque jungébat. Nemo páuperum ab ea vácuus revérsus est; quod obtinébat, non divitiárum magnitúdine, sed prudéntia dispensándi. Tantæ fuit temperántiæ, ut, excéptis diébus festis, vix óleum in cibo cáperet. Tarda erat ad loquéndum, velox ad audiéndum. Scriptúras sacras tenébat memóriter. Hebræam linguam díscere vóluit et consecúta est, ita ut psalmos hebráice cáneret. Incidit tandem in gravíssimam valetúdinem, sentiénsque adésse mortem, illos versículos susurrábat: Dómine diléxi decórem domus tuæ, et locum habitatiónis glóriæ tuæ. Et: Elégi abjécta esse in domo Dei magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum. Et cláusis óculis, quasi jam mortália despíceret, ad extrémum usque spíritum, eósdem psalmi versículos assídue repetébat; digitúmque ad os tenens, crucis signum pingébat in lábiis. Obiit anno Dómini quadringentésimo quarto.

Ad Laud. Ant. Date ei de fructu mánuum suárum, et láudent eum in portis ópera ejus.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Orat. ut supra.

FESTA FEBRUARII

DIE I
COMMEMORATIO
S. SORI ABBATIS

In Vesp. et ad Laud. Ant. et ℣. de Comm. Conf. non Pont. Orat. Intercéssio.

LECTIO IX

Sorus ex Arvérnia oriúndus, adhuc adoléscens, relicta pátria, in monastério Genoliáco apud Petrocorénses, religiónis hábitum suscépit. Tum amóre solitúdinis incénsus, in desértum locum ad Vizéram flúvium secéssit, ubi in arctíssima spelúnca per quadragínta annos, oratiónibus, jejúniis, ac vigíliis inténtus, mirábilem vitam duxit. Guntrámnum, Aureliánénsium regem, tabe laborántem aspérgens aqua sanávit; qui tanto benefício accépto, xenodochíum et monastérium non longe a specu constrúxit, et Soro possidénda dimísit. Cum beáto Arédio, Attanénsi abbáte, a quo lítteras et múnera accéperat, singulári amicítia conjúnctus fuit;

quem successórem habére vóluit. Dénique, méritis et miráculis clarus, labénte sexto sǽculo, Kaléndis Februárii felíciter óbiit, sepultúsque est Terrassónii, in ecclésia sancti Juliáni, quam ipse ædificáverat. Hujus viri sancti précibus, congruéntem plúviam sæpe mirabiliter obténtam fuísse, constans testátur tradítio.

DIE IV

B. JOANNÆ VALESIÆ

VIDUÆ

Duplex.

Ut in Supplem.

DIE VI

SANCTÆ HYACINTHÆ

DE MARISCOTTIS

VIRGINIS

Duplex.

Ut in Supplem., hac die.

DIE IX

IN CIVITATE TUTELENSI

Pro Solemnitate Liberationis urbis Tutelensis ab hæreticis.

OFFICIUM VOTIVUM

SS. SACRAMENTI

Duplex 1. classis.

A I. Vesp. ad Nonam inclusive.

Ante Septuag. omnia ut in Offic. votiv., exceptis seq. : ad ℣℣. omnium Horarum, except. Prim. et Complet., addatur unum Allelúia, *et Duplex ad Responsoria brevia Horarum minor., præterquam ad Primam et Completorium. Lect. propriæ ut infra.*

Post Septuag. vero, omnia ut in Officio votivo cum Lect. ut infra.

IN I. NOCTURNO

De Epístola prima beáti Páuli Apóstoli ad Corínthios.

LECTIO I. *Cap. 11. d*

Conveniéntibus vobis in unum, jam non est Domínicam cœnam manducáre. Unusquisque enim suam cœnam præsúmit ad manducándum. Et álius quidem ésurit, álius áutem ébrius est. Numquid domos non habétis ad manducándum et bibéndum? aut Ecclésiam Dei contémnitis, et confúnditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Láudo vos? in hoc non láudo.

℟. Immolábit.

LECTIO II

Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter et cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine. Hoc fácite quotiescúmque bibétis, in meam comme-

memoratiónem. Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis : mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

℟. Comedétis.

LECTIO III

Itaque quicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne : reus erit córporis et sánguinis Dómini. Probet áutem seípsum homo : et sic de pane illo edat, et de cálice bibat. Qui enim mandúcat et bibit indígne, judícium sibi mandúcat et bibit, non dijúdicans corpus Dómini. Ideo inter vos multi infírmi, et imbecílles, et dórmiunt multi. Quod si nosmetípsos dijudicarémus, non útique judicarémur. Dum judicámur áutem, a Dómino corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur.

℟. Respéxit.

IN II. NOCTURNO

Sermo sancti Thomæ Aquinátis.

In Opusculo 57.

LECTIO IV

Imménsa divínæ largitátis benefícia, exhíbita pópulo Christiáno, inæstimábilem ei cónferunt dignitátem. Neque enim est, aut fuit aliquándo tam grandis nátio, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Unigénitus síquidem Dei Fílius, suæ divinitátis volens nos esse partícipes, natúram nostram assúmpsit, ut hómines deos fáceret factus homo. Et hoc ínsuper, quod de nostro assúmpsit, totum nobis cóntulit ad salútem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatióne in ara crucis hóstiam óbtulit Deo Patri : sánguinem suum fudit in prétium simul et lavácrum : ut redémpti a miserábili servitúte, a peccátis ómnibus mundarémur. Ut áutem tanti benefícii jugis in nobis manéret memória, corpus suum in cibum, et sánguinem suum in potum, sub spécie panis et vini suméndum, fidélibus derelíquit.

℟. Cœnántibus.

LECTIO V

O pretiósum et admirándum convívium, salutíferum, et omni suavitáte replétum! Quid enim hoc convívio pretiósius esse potest? in quo non carnes vitulórum et hircórum, ut olim in lege, sed nobis Christus suméndus propónitur verus Deus. Quid hoc sacraménto mirabílius? In ipso namque panis et vinum in Christi corpus et sánguinem substantiáliter convertúntur : ideóque Christus Deus, et homo perféctus sub módici panis et vini spécie continétur. Manducátur ítaque a fidélibus, sed mínime lacerátur, quin-

imo, diviso Sacraménto, sub quálibet divisiónis partícula integer persevérat. Accidéntia áutem sine subjécto in eódem subsístunt, ut fides locum hábeat, dum visíbile ac invisibíliter súmitur aliéna spécie occultátum : et sensus a deceptióne reddántur immúnes, qui de accidéntibus júdicant sibi notis.

℟. Accépit.

LECTIO VI

NULLUM étiam Sacraméntum est isto salúbrius, quo purgántur peccáta, virtútes augéntur, et mens ómnium spirituálium charísmatum abundántia impinguátur. Offértur in Ecclésia pro vivis et mórtuis : ut ómnibus prosit, quod est pro salúte ómnium institútum. Suavitátem dénique hujus Sacraménti nullus exprímere súfficit, per quod spirituális dulcédo in suo fonte gustátur : et recólitur memória illius, quam in sua passióne Christus monstrávit, excellentíssimæ caritátis. Unde ut árctius hujus caritátis imménsitas fidélium córdibus infigerétur, in última cœna, quando Pascha cum discípulis celebráto, transitúrus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacraméntum instituit, tamquam passiónis suæ memoriále perénne, figurárum véterum impletívum, miraculórum ab ipso factórum máximum, et de sua contristátis abséntia solátium singuláre reliquit.

℟. Ego sum.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap. 6. f*

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus : et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Episcopi.

Tract. 26. in Joannem, sub finem.

CUM cibo et potu id áppetant hómines, ut neque esúriant, neque sítiant : hoc veráciter non præstat, nisi iste cibus et potus, qui eos, a quibus súmitur, immortáles et incorruptíbiles facit; id est, socíetas ipsa sanctórum : ubi pax erit, et únitas plena atque perfécta. Proptérea quippe, sicut étiam ante nos hoc intellexérunt hómines Dei, Dóminus noster Jesus Christus corpus et sánguinem suum in eis rebus commendávit, quæ ad unum áliquid redigúntur ex multis. Namque áliud in unum ex multis granis confícitur : áliud in unum ex multis ácinis cónfluit. Dénique jam expónit quómodo id fiat, quod lóquitur : et quid sit manducáre corpus ejus, et sánguinem bíbere.

℟. Qui mandúcat.

Bened. Divínum auxílium.

LECTIO VIII

Qui mandúcat carnem meam, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in illo. Hoc est ergo manducáre illam escam, et illum bíbere potum, in Christo manére, et illum manéntem in se habére. Ac per hoc, qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dúbio nec mandúcat spiritáliter carnem ejus, nec bibit ejus sánguinem, licet carnáliter et visibíliter premat déntibus sacraméntum córporis et sánguinis Christi : sed magis tantæ rei sacraméntum ad judícium sibi mandúcat et bibit, quia immúndus præsúmpsit ad Christi accédere sacraménta, quæ áliquis non digne sumit, nisi qui mundus est; de quibus dícitur : Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

℟. Misit me.

LECTIO IX

Sicut, inquit, misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Ac si díceret : Ut ego vivam propter Patrem, id est, ad illum tamquam ad majórem réferam vitam meam, exinanítio mea fecit, in qua me misit. Ut áutem quisquam vivat propter me, participátio facit, qua mandúcat me. Ego ítaque humiliátus vivo propter Patrem : ille eréctus vivit propter me. Si áutem ita dictum est, Vivo propter Patrem, quia ipse de illo, non ille de ipso est : sine detriménto æqualitátis dictum est. Nec tamen dicéndo, Et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me : eámdem suam et nostram æqualitátem significávit, sed grátiam mediatóris osténdit.

Te Deum laudámus.

Vesp. de sancta Scholastica. De S. Cyrillo Alexandrino fiet 17 *hujus.*

Quoties I. Dom. Quadrag. vel dies Cinerum occurrerit hac die 9 *Febr., Solemnitas Liberationis urbis Tutelensis celebrabitur die* 10 *hujus, Officio S. Scholasticæ simplificato.*

DIE XI

APPARITIONIS B. M. V.

IMMACULATÆ

Duplex majus.

Ut in Supplem., hac die. Commem. seq.

DIE XII

S. ANDREÆ CORSINI

EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia ut in Brev. die 4 *hujus* (m. t. v.).

Vesp. a Capit. de seq., Commem. præced.

DIE XIII
S. CATHARINÆ DE RICCIIS
VIRGINIS
Duplex.
Ut in Supplem. hac die.

DIE XIV
SS. VIGINTI SEX MARTYRUM
JAPONENSIUM
Duplex.
(*Dies fixa ex* 5 *hujus.*)

Ut in Supplemento, 5 *Februarii.*

Lect. IX. *de S. Valentino, in Brev.*

Ad Laud. Commem. S. Valentini.

In II. Vesp., Commem. S. Raymundi de Pennafort Conf. non Pont., et SS. Faustini et Jovitæ Mart., in Brev.

DIE XV
S. RAYMUNDI DE PENNAFORT
CONFESSORIS
Semiduplex.
(*Dies fixa ex* 23 *Januarii.*)

Omnia ut in Breviario, ad diem 23 *Januarii, præter seq.* (m. t. v.)

In III. Noct. Lect. IX. *de SS. Faustino et Jovita Mart.*

In Laud. Commem. SS. Faustini et Jovitæ.

In II. Vesp. a Capit. de seq. Commem. præced.

DIE XVI
S. STEPHANI DE MURETO
CONF. NON PONT.
Semiduplex ad libitum.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Orat. Deus, qui nos.

IN I. NOCTURNO
Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO
LECTIO IV

Stéphanus, Tiérni in Arvérnia, piórum et nobílium paréntum précibus a Deo datus, duodécimo ætátis suæ anno, humánis divinísque lítteris informándus tráditus est Milóni, ipsi Arvérno, Parisiénsi tum decáno : quem deínde Beneventánum, in Itália, epíscopum a Gregório séptimo creátum, secútus est. Præcláre sanctéque per duódecim annos institútus, ab eódem diáconi órdinem suscépit. Mórtuo páulo post Milóne, Romæ et in Calábria apud quosdam cœnobítas degit, ætáte et sapiéntia in dies profíciens. Verum sanctióris adhuc vitæ desidério accénsus, accépta Gregórii séptimi Summi Pontíficis benedictióne, Tiérnum revérsus est; ac páulo post, relictis facultátibus, clam se prorípuit; et, multis peragrátis silvis, aptam propósito suo solitúdinem invénit in colle diœcésis Lemovicénsis, qui Murétum dícitur, ibíque ex virgúltis et fróndibus tugúrium sibi constrúxit. Cum esset annórum trigínta, se Deo dicávit, eíque ánnulo quem ex mundi ópibus solum reserváverat, sese quodámmodo subarrhávit et adstrínxit, sub patrocínio beátæ Maríæ

Vírginis, in cujus honórem, ut erat ei devotíssimus, oratórium suum nuncupáverat. Exínde férrea loríca nudum corpus indútus, mirábili abstinéntiæ et vigíliis déditus, primo solus omníque carens humáno solátio, deínde cum duóbus tantum comítibus vixit, vitæ ejus asperitátem ómnibus admirántibus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus.

LECTIO V

Sed cum demum plácuit Deo, qui Stéphanum ad multórum salútem præelégerat, tot ad eum discípuli convolárunt, ut jam de erigénda congregatióne cogitáret. Memor vero eremitárum apud quos per áliquod tempus fúerat commorátus, Stéphanus tam nova tamque inaudíta vivéndi ratióne recreátus, præcípua ejus cápita a se et a suis in pósterum discípulis observánda constítuit. Recusáto abbátis nómine, ómnium virtútum exémplar se prǽbuit. De virginitáte, quam imprímis colébat, hoc memorándum dicébat : eam æque per vanam glóriam ac per carnis libídinem labefactári. Ea fuit humilitáte ut ad sacerdótii dignitátem promovéri nolúerit.

℟. Amávit.

LECTIO VI

Tandem, explétis in solitúdine annis fere quinquagínta, últimam vitæ diem sibi imminére cognóscens, totum se cóntulit ad oratiónem, et ad discipulórum utilitátem. Ab illis interrogátus quómodo deínceps víverent, quibus nulla temporália habére permittébat, respóndit : Deum solum vobis relínquo, cujus sunt ómnia, et cujus amóre ómnia reliquístis. Morti próximus, in oratórium deférri vóluit, atque illic, finíta missa, suscéptis cum incredíbili pietátis sensu sacraméntis, hæc psalmi verba récitans : In manus tuas Dómine comméndo spíritum meum, octogenárius obdormívit in Dómino, anno millésimo centésimo vigésimo quarto. Corpus ejus Grandimóntem, unde nomen accépit illíus ordo, qui prius Bonórum Hóminum appellabátur, translátum est. Eum Clemens tértius, Summus Póntifex, inter sanctos recénsuit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Sint lumbi. *de Comm.* 1° *loco.*

Vesp. de seq. Commem. præced.

DIE XVII

SS. SEPTEM FUNDATORUM

ORDINIS SERVORUM B. M. V.

CONFESSORUM

(*Dies fixa e* 11 *hujus.*)

Omnia ut in Breviar.

In II. Vesp. a Capit. de

seq. Commem. præced. et S. Simeonis Episcopi et Martyris.

EADEM DIE

IN CIVITATE TUTELENSI

S. CYRILLI ALEXANDRINI

EPISC. CONF. DOCT.

Duplex.

(*Dies fixa e* 9 *hujus.*)

Vesp. a Capit. de seq. SS. Septem Fundat. Commem. præced. et S. Simeonis.

DIE XVIII

SANCTI TITI

EPISC. ET CONF.

Duplex.

(*Dies fixa e* 6 *hujus.*)

Omnia ut in Brev. die 6 *hujus, præter seq.* (m. t. v.)

Lect. IX. *S. Simeonis, cujus Commem. in Laud.*

In II. Vesp. Commem. S. Bathildis.

EADEM DIE

IN CIVITATE TUTELENSI

SS. SEPTEM FUNDATORUM

ORDINIS SERVORUM

B. M. V.

(*Dies fixa e* 11 *hujus.*)

Lect. IX. *S. Simeonis, cujus Commem. in Laud.*

In II. Vesp. Commem. S. Bathildis.

DIE XIX

SANCTÆ BATHILDIS

REGINÆ ET VIDUÆ

Semiduplex ad libitum.

Omnia de Communi non Virg., præter seq.

ORATIO

Deus, qui beátam regínam Bathíldem a sǽculi pompa ad crucis humilitátem toto corde transíre docuísti : concéde, ut, ejus intercessióne et exémplo, discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ crucis ómnia nobis adversántia superáre: Qui vivis.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Bathíldis, in Anglia Saxónum génere orta, a prædónibus Ercunváldo majóri domus régiæ véndita, ab eo ad porrigénda sibi pócula adhíbita est, ac demum, mórtua cónjuge, in uxórem expetíta. Quas illa ut vitáret núptias, latébras quæsívit; sed póstmodum, ob exímias córporis et ánimi dotes, ad Clodovǽi secúndi conjúgium insperáto pertráhitur. Tum páuperes et ecclésias Clodovǽo studióse commendávit : quod máxime gratum fuit príncipi.

℟. Propter.

LECTIO V

Mórtuo Clodovǽo, trium filiórum, Clotárii, Childérici et Theodoríci, quorum natu máximus vix quintum annum attígerat, tutélam gessit, regnúmque ac palátium consíliis Chrodobérti, Parisiénsis epísco-

pi, et Audoéni Rothomagénsis, sapientíssime moderáta est. Multa præclåre sanxit; simoníácas ordinatiónes abolévit hortátu sacerdótum : prohíbuit ne quis christiános vénderet éxteris : aut álio vendéndos abdúceret; plures étiam a servitúte suis súmptibus redémit.

℟. Dilexísti.

LECTIO VI

Effécit ut, pontíficum et abbátum stúdio, reguláris disciplína in plúribus monastériis, aut servarétur aut restituerétur. Corbéiæ ad Suminam cœnóbium exstrúxit, aliúdque Calæ ad Matrónam, in quo, relicta Clotário jam adúlto regni administratióne, ipsa, suscépto religiónis hábitu sub obediéntia Bertíllæ abbatíssæ, ómnibus exémplo et admiratióni fuit; ibíque mórtua est, ætátis suæ anno quinquagésimo quinto, circa finem séptimi sǽculi.

℟. Fallax grátia.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Símile est.

DIE XX

IN CIVITATE TUTELENSI

S. TITI EPISC. ET CONF.

Duplex.

(*Dies fixa e* 6 *hujus.*)

Pridie, Vesp. de S. Tito (m. t. v.). *Commem. S. Bathildis.*

DIE XXV. VEL XXVI

SANCTI AVERTANI

CONF. NON PONT.

Semiduplex ad libitum.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Pridie, in Vesp. S. Mathiæ, fit Commem. S. Avertani. Ant. Similábo. ℣. Amávit. *Orat.* Deus, qui nos.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Avertánus, gloriósum germen Montis Carméli, Lemovíciis in Gállia, paréntibus módicis fortúna, sed virtúte ditíssimis ortus, ab infántia Deum timére et Deíparam cólere dídicit. In adolescéntia, accénsus desidério se in religióne Deo víctimam consecrándi, támdiu orationibus et jejúniis divínum bene sibi plácitum indicári efflagitávit, donec ab Angelo mónitus fúerit, ut beatíssimæ Vírginis Maríæ de Monte Carmélo institútum amplecterétur : statímque ad Lemovicénse monastérium convolávit, ubi postquam sacro religiónis hábitu donátus fuit, non páucis horis in extási raptus mansit. Ad se revérsus, tanto cum fervóre executióni mandávit ea quæ mente concéperat ópera virtútum, ut cunctis frátribus palmam præríperet; eósque in sui amórem et

admiratiónem alliceret. Abjectíssima monastérii offícia ingénti alacritáte amplectebátur, et ad quæcúmque superiórum impéria non tam properábat, quam currébat; ita ut ab ómnibus obediéntiæ fílius passim nuncuparétur.

℟. Honéstum.

LECTIO V

Sibi Christum et magnum Elíam Prophétam, sui órdinis fundatórem, in exémplar paupertátis proposúerat, ejúsque studiosíssimus fuit : et piaculáre arbitrabátur, nedum pecúnias tetigísse, sed et eas nominásse; quin, et ab eárum adspéctu, véluti a peste, óculos avertébat. Páuperum inópiam sublátis sibi aliméntis sublevábat, et pro salúte peccatórum in mille mortes se parátum ire demonstrábat. In oratiónis et contemplatiónis exercítio, abjécta próprii córporis cura, intégros sæpe dies transigébat : idque tali spíritus alienatióne, ut subinde, magno étiam excitáto strépitu, vix ad se redíre posset. In quibúsdam anni festivitátibus nocte média solébat colles monastério vicínos génibus flexis conscéndere; supra lápides, bráchiis expánsis et lacrymántibus óculis oráre, pectúsque saxo usque ad sánguinem contúndere, donec illucésceret : cui ista orándi plectendíque assidúitas ita callum génibus obdúxerat, ut pellis ipsi in génibus ad instar ferri obduráta conspicerétur.

℟. Amávit.

LECTIO VI

Ut desidérium sibi cǽlitus immíssum sanctæ peregrinatiónis compléret, a superióribus licéntiam et beátum Romǽum sui órdinis in sócium sibi impetrávit; simúlque Omnium Sanctórum solemnitáte concelebráta, iter suum aggréssi sunt : verum cum, superátis imbrium niviúmque rigóribus, prærúpta Alpium transivíssent, ob pestiléntiæ luem in fínibus Itáliæ grassántem, ab ómnibus civitátibus exclúsi fuérunt, et étiam a Lucénsi, ad cujus portas infírmus appúlerat Avertánus, qui in xenodochio sancti Petri Majóris, ad urbis mœnia sito, caritative recéptus, aliquámdiu cum morbo luctátus est, et tandem a Christo cum beatíssima Vírgine María, magna Angelórum stipánte catérva, visitátus, et ad remuneratiónem labórum evocátus, omnibúsque Ecclésiæ sacraméntis munítus, felícis vitæ cursum felicióri fine consummávit. Cujus corpus, ob plúrima mox ejus intercessióne patráta mirácula, magna cum solemnitáte sepúltum fuit in ecclésia ho-

…tális : et inde póstea, so…ni processióne, ad urbis …dem primáriam, cum cór…re beáti Romǽi, ibídem …ulo post defúncti, delá…m est; ubi summa vene…tióne eórum relíquiæ in …dem arca custodiúntur.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Sint …mbi. *de Comm.* 1° *loco.*

Vesp. a Capit. de seq. cum Commem. S. Avertani.

DIE XXVI. VEL XXVII

S^TÆ^ MARGARITÆ DE CORTONA

PŒNITENTIS

Semiduplex.

(*Dies fixa ex* 23 *hujus.*)

Ut in Supplem. die 26, *cum Homil. de Comm.* 1° *loco.* Cælórum regnum. *in Evang.* Símile est.

FESTA MARTII

DIE VIII

S. STEPHANI OBAZINENSIS

ABBATIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Orat. Intercéssio. *pro Abbatibus.*

Pridie Vesp. a Capit. de S. Stephano, cum Commem. præced.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

STÉPHANUS, in pago Lemovicénsi, honéstis paréntibus génitus, clericáli primum milítiæ adscríptus est, et présbyter ordinátus : pro molli vestiménto cilícium índuit; pro suávi cibo, pane árido vesci vóluit. Assúmpto sócio nómine Petro, qui présbyter quoque erat, cœpit quǽrere locum ab hóminum consórtio separátum, in quo sedem fígeret; tandémque pervénit ad saltum Obazinénsem, ubi réperit locum ab urbe Tutelénsi parum distántem, pósitum ad Currétiam flúvium. Hunc ad habitándum sibi delégit, Eustórgio epíscopo Lemóvicis tunc sedénte.

℟. Honéstum.

LECTIO V

IBI duo cóndidit monastéria, álterum quidem pro viris in supercílio montis : álterum pro féminis, non longe a prióri, altíssima in valle, prærúptis undequáque rúpibus procínctum, prope rívulum cujus aqua supérius partim detórta, per audáces ductus ad Obazinénsem pagum affértur; mirum ádeo opus ut, cuíque inspiciénti libénter non sine miráculo factum, ut fert tradítio, pie credéndum videátur. Ad hæc cœnóbia, pœniténtiæ et con-

versiónis cáusa, confluxérunt étiam nobilióres. Apud utrúmque sexum, altum siléntium diu noctúque servabátur; aspérrimus erat vestítus, cibus parcíssimus et vilíssimus. Cum diu anceps fuísset Stéphanus, de deligéndo Institúto canonicórum regulárium, an monachórum, tandem hoc amplécti cum suis decrévit, accepítque a Dalonénsi cœnóbio magístros. Póstea vero præsénte Geráldo, Lemovicénsi epíscopo, mónachus efféctus est, et ipse statim in abbátem benedícitur.

℟. Amávit eum.

LECTIO VI

Aliquot elápsis annis, cum Eugénius Papa tértius in Gálliam venísset, ac Cistérciis tantísper morarétur, ad eum accéssit Stéphanus, rogans se suósque in órdine Cisterciénsi súscipi. Obstábat imprímis huic unióni, quod féminas simul et viros régeret; sed tandem, quæ huic unióni magis adversabántur superátis, in consórtem cum suis adscríptus est. Obiit Stéphanus in monastério Bonæ Aquæ, octávo Idus Mártii, circa médiam noctem, incipiénte Domínica secúnda Quadragésimæ, anno millésimo centésimo quinquagésimo nono. Vita functum patrem ad Obazinénse monastérium conféstim statuérunt deferéndum doléntes filii, et, mane facto, submissis scápulis, ipsi venerábile corpus pie transtulérunt, imménsa obveniénte clericórum fideliúmque multitúdine. Duórum diérum iter eménsi, Obazínam devenére, ibíque sacrum pignus solémni psalléntio deposuérunt. Beátus Stéphanus, multis in vita et post mortem miráculis clarus, in ecclésia quam ipse ædificáverat, et beátæ Maríæ dedicáverat, tumulátus est : adhuc in eádem ecclésia stat monuméntum mira arte sculptum, quod sepúlcrum sancti Stéphani dícitur.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus. *pro Abbatibus.*

Vesp. a Capit. de seq., cum Commem. S. Stephani Abbat.

DIE XI

S. JOANNIS DE DEO

CONFESSORIS

Duplex.

(*Dies fixa ex* 8 *hujus.*)

Officium ut in Breviar., 8 *Martii, præter seq.* (m. t. v.)

Pridie Vesp. de S. Joanne de Deo, cum Commem. SS. Quadraginta Mart.

In die Festi, Vesp. a Capit. de seq. S. Gregorio; Commem. S. Joannis.

TUTELEN.

De Romana Liturgia in suam Diœcesim revocanda apprime sollicitus Reverendissimus Dominus Joannes Baptista Leonardus BERTEAUD Episcopus Tutelensis, sui muneris esse duxit Proprium Officiorum in usum Cleri Diœcesis ipsius conficere, in quo pristinam honorificam sedem pergerent retinere Cælites illi, qui cum eas regiones virtutum splendore illustrassent, a vetustis sæculis singulari cultu ibidem honorari consueverunt, e probatis legitimisque fontibus desumptis Lectionibus et Orationibus propriis. Gnarus vero Episcopus orator supremo Sanctæ Sedis Apostolicæ judicio reservari quidquid sacram respicit liturgiam, exemplar manuscriptum hujus Proprii cum suo Supplemento exhibuit Sanctissimo Domino nostro Pio Papa IX. supplicibus additis votis, ut illud suprema auctoritate sua approbare, Cleroque Tutelensi concedere dignaretur. Examen exhibiti Proprii et hujus Supplementi cum Sanctitas Sua commiserit Sacrorum Rituum Congregationi, hæc probari posse censuit sub modo et forma in eodem exemplari adnotatis. Quam Sacræ Congregationis sententiam, referente subscripto Secretario, cum Sanctissimus idem Dominus ratam habuerit et confirmaverit, Apostolica benignitate indulsit, ut idem Proprium Officiorum sub modo et forma prædictis uti supra adnotatum a Clero Tutelensi perpetuo servetur in Horis canonicis persolvendis, injuncto onere Episcopo oratori, ut, postquam idem Proprium cum suo Kalendario Perpetuo (*) fuerit typis commissum, duplex authenticum exemplar illico ad sacram Rituum Congregationem transmittatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16 Julii 1863.

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinæ Card PATRIZI
S. R. C. Præfectus.

D. Bartolini *S. R. C. Secretarius.*

(*) Kalendarium Perpetuum speciali probatum est decreto cujus finem referre juvat.

PORRO cum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. suprema auctoritate sua Proprium ipsum Officiorum, antea a Sacra Rituum Congregatione accurate examinatum et dispositum, clementer deferens supplicibus votis Episcopi oratoris approbaverit, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, nedum utile verum omnino necessarium vidit pro Clero Tutelensi Kalendarium perpetuum insimul probare juxta præfinitas regulas a Sacra Rituum Congregatione concinnatum, quod juxta supra adnotatum exemplar typis cudi debeat, et editioni Proprii Officiorum præmitti. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16 Julii 1863.

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinæ CARD. PATRIZI
S. R. C. Præfectus.

Loco † sigilli.

D. BARTOLINI *S. R. C. Secretarius.*

INDEX OFFICIORUM

QUÆ IN HOCCE PROPRIO TUTELENSI LEGUNTUR
AUT SALTEM ADNOTANTUR

FESTA MOBILIA

FESTA SANCTORUM

26231. — Turonibus, typis Mame.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS TUTELENSIS

A S. R. CONGREGATIONE APPROBATA

AC DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DD. DOMINICI HENRICI DENÉCHAU

EPISCOPI TUTELENSIS

DENUO EDITA

PARS VERNA



PARISIIS

APUD CAR. POUSSIELGUE, EDITOREM

VIA DICTA CASSETTE, 15

M. D. CCC. XCVI



LICENTIA ET APPROBATIO ORDINARII

HENRICUS DOMINICUS, Miseratione divina et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia, Episcopus Tutelensis.

DILECTO nobis POUSSIELGUE editori jus et licentiam dedimus typis mandandi Kalendarium et Officia propria Diœcesis Tutelensis, a Sancta Sede specialiter concessa.

Cumque nobis constet per Presbyteros a nobis deputatos, Kalendarium istud et Officia propria jam excusa, diligenti collatione facta, cum originali suo convenire, illa approbavimus, evulgandique licentiam dedimus, prout per præsentes approbamus et licentiam damus.

Datum Tutelæ, sub signo sigilloque nostris ac Cancellarii Episcopatus nostri subscriptione, anno Domini millesimo octingentesimo nonagesimo sexto, die vero mensis Junii sextadecima.

✠ HENRICUS DOMINICUS Ep. Tutelensis.
De mandato Ill. ac Rev. DD. Ep. Tutelensis,
M. Soullier *Can. Secr. gen.*

KALENDARIUM PERPETUUM

AD USUM

CLERI DIŒCESIS TUTELENSIS

Monita. — Festa in hocce Kalendario asterisco * notata, Ecclesiæ Tutelensi sunt propria, vel gradu superiori in Diœcesi gaudent. Festa autem quæ notantur linea —, sunt e propria die pro Ecclesia Tutelensi translata, sed in Breviario propria die inveniuntur.

Quæ notantur *Semiduplicia ad libitum*, si non celebrentur die occurrentiæ, habeantur tamquam Simplicia de præcepto.

JANUARIUS

Litt. Dom.	Dies mensis	
A	1	Circumcisio Domini, *dupl. 2. cl.*
b	2	Octava S. Stephani Protom. *dupl.* Commem. Octavarum et * S. Vincentiani Conf.
c	3	Octava S. Joannis Apost. et Evang. *dupl.* Commem. Oct. SS. Innocentium et * S. Genovefæ Virg.
d	4	Octava SS. Innocentium Mm. *dupl.* * Commem. S. Faustæ Virg. et Mart.
e	5	Vigilia Epiphaniæ, *semid.* Commem. S. Telesphori Papæ et Mart.
f	6	EPIPHANIA D. N. J. C. *dupl. 1. cl.* cum Octava.
g	7	De Octava, *semid.* * Commem. S. Tillonis Conf.
A	8	De Octava, *semid.* * Commem. S. Valerici Conf.
b	9	De Octava, *semid.*
c	10	De Octava, *semid.* * Commem. S. Gulielmi Episc. et Conf.
d	11	De Octava, *semid.* Commem. S. Hygini Papæ et Mart.
e	12	De Octava, *semid.*
f	13	Octava Epiphaniæ, *dupl.*
g	14	S. Hilarii Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. S. Felicis Presbyt. et Mart.
A	15	S. Pauli primi Eremitæ, *dupl.* Commem. S. Mauri Abbatis.
b	16	S. Marcelli Papæ et Mart. *semid.* * Commem. S. Boniti Episc. et Conf.
c	17	S. Antonii Abbat. et Conf. *dupl.* * Commem. S. Sulpitii Episc. et Conf.
d	18	*Cathedra S. Petri Romæ,* dupl. maj. Commem. S. Pauli Apost., et S. Priscæ Virg. et Mart.
e	19	S. Canuti Regis et Mart. *semid. ad libitum.* Commem. SS. Marii et Soc. Mm.
f	20	SS. Fabiani Papæ et Sebastiani Mart. *dupl.* * Commem. S. Fortunatæ Virg. et Mart.
g	21	S. Agnetis Virg. et Mart. *dupl.*
A	22	SS. Vincentii et Anastasii Mm. *semid.*
b	23	* *Desponsatio B. M. V.* dupl. maj. Commem. S. Joseph ejus Sponsi, ac S. Emerentianæ Virg. et Mart.

Litt. Dom.	Dies mensis.	
c	24	S. Timothei Episc. et Mart. *dupl.*
d	25	*Conversio S. Pauli Apost.* dupl. maj. Commem. S. Petri Apost. et * S. Præjecti Episc. et Mart.
e	26	S. Polycarpi Episc. et Mart. *dupl.* * Commem. S. Paulæ Viduæ.
f	27	S. Joannis Chrysostomi Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
g	28	S. Agnetis secundo, *simpl.*
A	29	S. Francisci Salesii Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
b	30	S. Martinæ Virg. et Mart. *semid.*
c	31	S. Petri Nolasci Conf. *dupl.*

FESTA MOBILIA

Dom. II. post Epiphaniam, SS. NOMINIS JESU, *dupl.* 2. *cl.*

* Dom. III. post Epiphaniam, *S. Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph*, dupl. maj.

* Dominica ante Septuagesimam, ***Purissimi Cordis B. M. V.*** dupl. maj.

FEBRUARIUS

d	1	S. Ignatii Episc. et Mart. *dupl.* * Commem. S. Sori Conf.
e	2	PURIFICATIO B. M. V. *dupl.* 2. *cl.*
f	3	S. Blasii Episc. et Mart. *simpl.*
g	4	* B. Joannæ Valesiæ Viduæ, *dupl.*
A	5	S. Agathæ Virg. et Mart. *dupl.*
b	6	* S. Hyacinthæ de Mariscottis Virg. *dupl.* Commem. S. Dorotheæ Virg. et Mart.
c	7	S. Romualdi Abbatis et Conf. *dupl.*
d	8	S. Joannis de Matha Conf. *dupl.*
e	9	S. Cyrilli Alexandrini Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. S. Apolloniæ Virg. et Mart.
		* — In civitate Tutelensi fit OFFICIUM SANCTISSIMI SACRAMENTI sub ritu *dupl.* 1. *cl.*
f	10	S. Scholasticæ Virg. *dupl.*
g	11	* *Apparitio B. M. V. Immaculatæ*, dupl. maj.
A	12	— S. Andreæ Corsini Episc. et Conf. *dupl.* (dies fixa e 4 huj.)
b	13	* S. Catharinæ de Ricciis Virg. *dupl.*
c	14	* SS. Viginti sex Martyrum Japonensium, *dupl.* (dies fixa e 5 hujus). Commem. S. Valentini Presbyt. et Mart.
d	15	— S. Raymundi de Pennafort Conf. *semid.* (dies fixa e 23 Jan.) Commem. SS. Faustini et Jovitæ Mm.
e	16	* S. Stephani de Mureto Conf. *semid. ad libitum.*
f	17	— SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. Conf. *dupl.* (dies fixa e 11 hujus). — In civitate Tutel. S. Cyrilli Alexandrini Episc. Conf. et Doct. *dupl.* (dies fixa e 9 hujus).
g	18	— S. Titi Episc. et Conf. *dupl.* (dies fixa e 6 hujus). Commem. S. Simeonis Episc. et Mart.
		— In civitate Tutel. SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. *dupl.* (dies fixa e 11 hujus).
A	19	* S. Bathildis Reginæ, *semid. ad libitum.*
b	20	— In civitate Tutel. S. Titi Episc. et Conf. *dupl.* (dies fixa e 6 hujus).
c	21	

Litt. Dom.	Dies mensis.	
d	22	*Cathedra S. Petri Antiochiæ,* dupl. maj. Commem. S. Pauli Apost.
e	23	S. Petri Damiani Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. Vigiliæ.
f	24	S. MATHIÆ APOSTOLI, *dupl. 2. cl.*
g	25	* S. Avertani Conf. *semid. ad libitum.*
A	26	* — S. Margaritæ de Cortona Pœnit. *semid.* (dies fixa e 23 hujus).
b	27	
c	28	

Quando Februarius habet dies 29, tunc de S. Mathia fit die 25, de S. Avertano die 26, et de S. Margarita die 27.

FESTA MOBILIA

* Feria III. post Dom. Septuagesimæ, *Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti,* dupl. maj.
* Feria III. post Dom. Sexagesimæ, *Commem. Passionis D. N. J. C.* dupl. maj.
* Feria VI. post Cineres, *SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C.* dupl. maj.
* Feria VI. post Dom. I. Quadragesimæ, *SS. Clavorum et Lanceæ D. N. J. C.* dupl. maj.

MARTIUS

d	1	
e	2	
f	3	
g	4	S. Casimiri Regis Conf. *semid.* Commem. S. Lucii Papæ et Mart.
A	5	
b	6	
c	7	S. Thomæ de Aquino Conf. et Doct. *dupl.* Commem. SS. Perpetuæ et Felicitatis Mm.
d	8	* S. Stephani Obazinensis Abbat. et Conf. *dupl.*
e	9	S. Franciscæ Romanæ Viduæ, *dupl.*
f	10	SS. Quadraginta Martyrum, *semid.*
g	11	— S. Joannis de Deo Conf. *dupl.* (dies fixa e 8 hujus).
A	12	S. Gregorii I. Papæ, Conf. et Doct. *dupl.*
b	13	
c	14	
d	15	* S. Sacerdotis Episc. et Conf. *dupl.* * Commem. S. Mundanæ Viduæ.
e	16	
f	17	S. Patritii Episc. et Conf. *dupl.*
g	18	* *S. Gabrielis Archangeli,* dupl. maj.
A	19	S. JOSEPH SPONSI B. M. V. *dupl. 1. cl.*
b	20	— S. Cyrilli Hierosolymitani Episc. Conf. et Doct. *dupl.* (dies fixa e 18 hujus).
c	21	*S. Benedicti Abbatis,* dupl. maj.
d	22	
e	23	* S. Cessatoris Episc. et Conf. *dupl.*
f	24	
g	25	ANNUNTIATIO B. M. V. *dupl. 1. cl.*
A	26	

Litt. Dom.	Dies mensis.	
b	27	S. Joannis Damasceni Conf. et Doct. *dupl.*
c	28	S. Joannis a Capistrano Conf. *semid.*
d	29	* S. Bertholdi Conf. *dupl.*
e	30	
f	31	

FESTA MOBILIA

* Feria VI. post Dom. II. Quadragesimæ, *Sacratissimæ Sindonis D. N. J. C.* dupl. maj.
* Feria VI. post Dom. III. Quadragesimæ, *SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C.* dupl. maj.
* Feria VI. post Dom. IV. Quadragesimæ, *Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.* dupl. maj.

Feria VI. post Dom. Passionis, *Septem Dolorum B. M. V.* dupl. maj.

APRILIS

g	1	
A	2	S. Francisci de Paula Conf. *dupl.*
b	3	* S. Mariæ Ægyptiacæ Pœnit. *semid. ad libitum.*
c	4	S. Isidori Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
d	5	S. Vincentii Ferrerii Conf. *dupl.*
e	6	
f	7	
g	8	
A	9	* S. Gaucherii Conf. *semid. ad libitum.*
b	10	
c	11	S. Leonis I. Papæ, Conf. et Doct. *dupl.*
d	12	
e	13	S. Hermenegildi Regis Mart. *semid.*
f	14	S. Justini Mart. *dupl.* Commem. SS. Tiburtii, Valeriani et Maximi Mm.
g	15	
A	16	
b	17	S. Aniceti Papæ et Mart. *simpl.*
c	18	* B. Mariæ ab Incarnatione Viduæ, *dupl.*
d	19	
e	20	
f	21	S. Anselmi Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
g	22	SS. Soteris et Caii Pont. et Mm. *semid.*
A	23	S. Georgii Mart. *semid.*
b	24	S. Fidelis a Sigmaringa Mart. *dupl.*
c	25	S. MARCI EVANG. *dupl.* 2. *cl.*
d	26	* *B. M. V. de Bono Consilio*, dupl. maj.
e	27	* S. Alpiniani, socii S. Martialis Conf. *semid. ad libitum.*
f	28	S. Pauli a Cruce Conf. *dupl.* Commem. S. Vitalis Mart.
g	29	S. Petri Mart. *dupl.*
A	30	S. Catharinæ Senensis Virg. *dupl.* * Commem. S. Eutropii Episc. et Mart.

FESTUM MOBILE

Dominica III. post Pascha, PATROCINII S. JOSEPH SPONSI B. M. V. *dupl.* 2. *cl.*

MAIUS

Litt. Dom.	Dies mensis.	
b	1	SS. PHILIPPI ET JACOBI APOST. *dupl. 2. cl.*
c	2	S. Athanasii Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
d	3	INVENTIO S. CRUCIS, *dupl. 2. cl.* Commem. SS. Alexandri Papæ ac Soc. Mm.
e	4	S. Monicæ Viduæ, *dupl.*
f	5	S. Pii V. Papæ et Conf. *dupl.*
g	6	*S. Joannis ante Portam Latinam,* dupl. maj.
A	7	S. Stanislai Episc. et Mart. *dupl.*
b	8	*Apparitio S. Machaëlis Archangeli,* dupl. maj.
c	9	S. Gregorii Nazianzeni Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
d	10	S. Aureliani Episc. et Conf. *dupl.* Commem. SS. Gordiani et Epimachi Mm.
e	11	— S. Antonini Episc. et Conf. *dupl.* (dies fixa ex heri). * Commem. S. Mamerti Episc. et Conf.
f	12	SS. Nerei, Achillei et Soc. Mm. *semid.*
g	13	* S. Gualterii Stirpensis Abbat. et Conf. *semid. ad libitum.*
A	14	— SS. Cleti et Marcellini Pont. et Mm. *semid.* (dies fixa e 26 Aprilis). Commem. S. Bonifacii Mart.
b	15	* S. Isidori Agricolæ Conf. *dupl.*
c	16	* S. Joannis Nepomuceni Mart. *dupl.*
d	17	S. Paschalis Baylon Conf. *dupl.*
e	18	S. Venantii Mart. *dupl.*
f	19	S. Petri Cælestini Papæ et Conf. *dupl.* Commem. S. Pudentianæ Virg.
g	20	S. Bernardini Senensis Conf. *semid.*
A	21	* S. Felicis a Cantalicio Conf. *semid.*
b	22	* S. Lupi Episc. et Conf. *dupl.*
c	23	— S. Ubaldi Episc. et Conf. *semid.* (dies fixa e 16 hujus).
d	24	* *B. M. V. sub titulo auxilium Christianorum,* dupl. maj. * Commem. S. Yvonis Conf.
e	25	S. Gregorii VII. Papæ et Conf. *dupl.* Commem. S. Urbani Papæ et Mart.
f	26	S. Philippi Nerii Conf. *dupl.* Commem. S. Eleutherii Papæ et Mart.
g	27	S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. *dupl.* * Commem. S. Joannis Papæ et Mart.
A	28	S. Augustini Cantuariensis Episc. et Conf. *dupl.*
b	29	— * B. Joannis Baptistæ de la Salle Conf. *dupl.* (dies fixa e 4 hujus).
c	30	* S. Ferdinandi Regis Conf. *semid. ad libitum.* Commem. S. Felicis Papæ et Mart.
d	31	S. Angelæ Mericiæ Virg. *dupl.* Commem. S. Petronillæ Virg.
		FESTUM MOBILE
		* Feria VI. post Oct. Sanctissimi Corporis Christi, SACRATISSIMI CORDIS JESU, *dupl. 1. cl.*

JUNIUS

Litt. Dom.	Dies mensis.	
e	1	* *S. Clari Episc. et Mart.* dupl. maj.
f	2	* SS. Pothini Episc., Blandinæ Virg. ac Soc. Mm. *semid. ad libitum.* Commem. SS. Marcellini et Soc. Mm.
g	3	* S. Clotildis Reginæ Viduæ, *dupl.*
A	4	S. Francisci Caracciolo Conf. *dupl.*
b	5	S. Bonifacii Episc. et Mart. *dupl.*
c	6	S. Norberti Episc. et Conf. *dupl.*
d	7	* S. Liphardi Conf. *semid. ad libitum* (dies fixa e 5 hujus).
e	8	
f	9	SS. Primi et Feliciani Mm. *simpl.*
g	10	S. Margaritæ Reginæ Viduæ, *semid.*
A	11	*S. Barnabæ Apostoli,* dupl. maj.
b	12	S. Joannis a Sancto Facundo Conf. *dupl.* Commem. SS. Basilidis et Soc. Mm.
c	13	S. Antonii Patavini Conf. *dupl.* * Commem. S. Psalmodii Conf.
d	14	S. Basilii Magni Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
e	15	* S. Germanæ Cousin Virg. *dupl.* Commem. SS. Viti, Modesti et Crescentiæ Mm.
f	16	* *Apparitio D. N. J. C. beato Martiali Aquitaniæ Apost.* dupl. maj.
g	17	— * S. Joannis Francisci Regis Conf. *dupl.* (dies fixa ex heri).
A	18	SS. Marci et Marcelliani Mm. *simpl.*
b	19	S. Julianæ de Falconeriis Virg. *dupl.* Commem. SS. Gervasii et Protasii Mm.
c	20	* S. Rodulphi Episc. et Conf. *dupl.* Commem. S. Silverii Papæ et Mart.
d	21	S. Aloysii Gonzagæ Conf. *dupl.*
e	22	S. Paulini Episc. et Conf. *simpl.*
f	23	Vigilia.
g	24	NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ, *dupl. 1. cl.* cum Oct.
A	25	S. Gulielmi Abbatis, *dupl.* Commem. Octavæ.
b	26	SS. Joannis et Pauli Mm. *dupl.* Commem. Octavæ.
c	27	* S. Prosperi Episc. et Conf. *dupl.* Commem. Octavæ * et S. Domnoleni Conf.
d	28	S. Leonis II. Papæ et Conf. *semid.* Commem. Octavæ et Vigiliæ.
e	29	SS. PETRI ET PAULI APOSTOLORUM, *dupl. 1. cl.* cum Oct. * Commem. omnium SS. Apostolorum.
f	30	* S. MARTIALIS AQUITANIÆ APOST. *dupl. 1. cl.* cum Octava.

JULIUS

g	1	Dies Octava S. Joannis Baptistæ, *dupl.* Commem. Octavarum.
A	2	VISITATIO B. M. V. *dupl. 2. cl.* Commem. SS. Processi et Martiniani Mm.
b	3	— *Commemoratio S. Pauli Apost.* dupl. maj. (dies fixa e 30 Junii). Commem. S. Petri Apost. * et Oct. S. Martialis.

Litt. Dom.	Dies mensis.	
c	4	* Ordinatio et Translatio S. Martini, *dupl.* Commem. Oct.
d	5	— * S. Irenæi Episc. et Mart. *dupl.* (dies fixa e 3 hujus). Commem. Oct.
e	6	Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli, *dupl.* * Commem. Oct. S. Martialis.
f	7	* Octava S. Martialis, *dupl.*
g	8	S. Elisabeth Reginæ Portug. Viduæ, *semid.*
A	9	* *Festum Prodigiorum B. M. V.* dupl. maj.
b	10	SS. Septem Fratrum et Soc. Mm. *semid.*
c	11	— * S. Veronicæ de Julianis Virg. *dupl.* (dies fixa ex 9 huj.). Commem. S. Pii I. Papæ et Mart.
d	12	S. Joannis Gualberti Abbatis, *dupl.* Commem. SS. Naboris et Felicis Mm.
e	13	S. Anacleti Papæ et Mart. *semid.*
f	14	S. Bonaventuræ Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
g	15	S. Henrici Imperat. Conf. *semid.*
A	16	*B. M. V. de Monte Carmelo,* dupl. maj.
b	17	S. Alexii Conf. * *dupl.*
c	18	S. Camilli de Lellis Conf. *dupl.* Commem. SS. Symphorosæ cum septem Filiis Mm.
d	19	*S. Vincentii a Paulo Conf.* * dupl. maj.
e	20	S. Hieronymi Æmiliani Conf. *dupl.* Commem. S. Margaritæ Virg. et Mart.
f	21	* S. Roricii Episc. et Conf. *dupl.* Commem. S. Praxedis Virg.
g	22	*S. Mariæ Magdalenæ Pœnitent.* * dupl. maj.
A	23	S. Apollinaris Episc. et Mart. *dupl.* Commem. S. Liborii Episc. et Conf.
b	24	— SS. Cyrilli et Methodii Pont. et Conf. *dupl.* (dies fixa e 5 hujus). Commem. Vigil. et S. Christinæ Virg. et Mart.
c	25	S. Jacobi Apostoli, *dupl.* 2. *cl.* Commem. S. Christophori Mart.
d	26	S. Annæ Matris B. M. V. *dupl.* 2. *cl.*
e	27	S. Pantaleonis Mart. *simpl.*
f	28	SS. Nazarii, Celsi et Victoris I. Papæ, Mm., ac Innocentii I. Papæ et Conf. *semid.*
g	29	*S. Marthæ Virg.* * dupl. maj. Commem. SS. Felicis II. Papæ et Soc. Mm.
A	30	* S. Germani Antissiodorensis Episc. et Conf. *dupl.* Commem. SS. Abdon et Sennen Mm.
b	31	S. Ignatii de Loyola Conf. *dupl.*

FESTA MOBILIA

Dom. I. Julii, Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. *dupl.* 2. *cl.*

* Dom. I. non impedita post Octavam SS. Apost. Petri et Pauli, *Omnium Sanctorum Summorum S. R. E. Pontificum,* dupl. maj.

AUGUSTUS

Litt. Dom.	Dies mensis.	
c	1	*S. Petri Apostoli ad Vincula,* dupl. maj. Commem. S. Pauli Apost. et SS. Machabæorum Mm.
d	2	S. Alphonsi Mariæ de Ligorio Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. S. Stephani I. Papæ et Mart.
e	3	Inventio S. Stephani Protomart. *semid.*
f	4	*S. Dominici Conf.* dupl. maj.
g	5	*Dedicatio S. Mariæ ad Nives*, dupl. maj.
A	6	*Transfiguratio D. N. J. C.* dupl. maj. Comm. SS. Xysti II. Papæ et Soc. Mm.
b	7	S. Cajetani Thienæi Conf. *dupl.* Commem. S. Donati Episc. et Mart.
c	8	SS. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm. *semid.*
d	9	* S. Martini Brivensis Mart. *dupl.* Commem. Vigiliæ et S. Romani Mart.
e	10	S. LAURENTII MART. *dupl. 2. cl.* cum Octava.
f	11	* S. Philumenæ Virg. et Mart. *dupl.* Commem. Oct. et SS. Tiburtii et Susannæ Mm.
g	12	S. Claræ Virg. *dupl.* Commem. Oct.
A	13	* S. Radegundis Reginæ Viduæ, *dupl.* Commem. Oct. et SS. Hippolyti et Cassiani Mm.
b	14	De Octava, *semid.* Commem. Vigiliæ et S. Eusebii Conf.
c	15	ASSUMPTIO B. M. V. *dupl. 1. cl.* cum Octava.
d	16	* S. Rochi Conf. *dupl.* Commem. Octav.
e	17	Octava S. Laurentii Mart. *dupl.* Commem. Octavæ Assumpt.
f	18	— S. Hyacinthi Conf. *dupl.* (dies fixa e 16 hujus). Commem. Oct. et S. Agapiti Mart.
g	19	* S. Calminii Conf. *dupl.* Commem. Oct.
A	20	S. Bernardi Abbatis Conf. et Doct. *dupl.* Commem. Oct.
b	21	S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Viduæ, *dupl.* Commem. Oct.
c	22	Octava Assumptionis Deiparæ, *dupl.* * Commem. Voti Ludovici XIII. et SS. Timothei et Soc. Mm.
d	23	S. Philippi Benitii Conf. *dupl.* Commem. Vigiliæ.
e	24	S. BARTHOLOMÆI APOST. *dupl. 2. cl.*
f	25	S. Ludovici Regis Conf. * *dupl.*
g	26	* S. Aredii Abbat. et Conf. *dupl.* Commem. S. Zephyrini Papæ et Mart. * et S. Pelagiæ Viduæ.
A	27	S. Josephi Calasanctii Conf. *dupl.*
b	28	S. Augustini Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. S. Hermetis Mart.
c	29	*Decollatio S. Joannis Baptistæ,* dupl. maj. Commem. S Sabinæ Mart.
d	30	S. Rosæ Limanæ Virg. *dupl.* Commem. SS. Felicis et Adaucti Mm. * et S. Fiacrii Conf.
e	31	S. Raymundi Nonnati Conf. *dupl.*

FESTUM MOBILE

Dominica infra Oct. Assumpt. S. JOACHIM PATRIS B. M. V. CONF. *dupl. 2. cl.*

SEPTEMBER

Litt. Dom.	Dies mensis.	
f	1	* S. Juliani Brivat. Mart. *dupl.* (dies fixa e 28 Augusti). Commem. S. Ægidii Abbat. et SS. duodecim Fratrum Mm.
g	2	S. Stephani Hungariæ Regis Conf. *semid.*
A	3	* S. Amatoris Conf. *dupl.*
b	4	* S. Rosæ Viterbiensis Virg. *dupl.*
c	5	S. Laurentii Justiniani Episc. et Conf. *semid.*
d	6	
e	7	
f	8	NATIVITAS B. M. V. *dupl.* 2. *cl.* cum Octava. Comm. S. Hadriani Mart.
g	9	De Octava, *semid.* Commem. S. Gorgonii Mart.
A	10	S. Nicolai de Tolentino Conf. *dupl.* Commem. Oct.
b	11	De Octava, *semid.* Commem. SS. Proti et Soc. Mm.
c	12	De Octava, *semid.*
d	13	De Octava, *semid.*
e	14	*Exaltatio SS. Crucis D. N. J. C.* dupl. maj. Commem. Oct.
f	15	Octava Nativitatis Deiparæ, *dupl.* Commem. S. Nicomedis Mart.
g	16	SS. Cornelii Papæ et Cypriani Episc. Mm. *semid.* Commem. SS. Euphemiæ et Soc. Mm.
A	17	Impressio sacrorum Stigmatum in corpore S. Francisci, *dupl.*
b	18	S. Josephi a Cupertino Conf. *dupl.* * Commem. S. Ferreoli Mart., ac * S. Ferreolæ Virg. et Mart.
c	19	SS. Januarii Episc. et Soc. Mm. *dupl.*
d	20	SS. Eustachii et Soc. Mm. *dupl.* Commem. Vigiliæ.
e	21	S. MATTHÆI APOST. ET EVANG. *dupl.* 2. *cl.*
f	22	S. Thomæ a Villanova Episc. et Conf. *dupl.* Commem. SS. Mauritii et Soc. Mm.
g	23	S. Lini I. Papæ et Mart. *semid.* Commem. S. Theclæ Virg. et Mart.
A	24	*B. M. V. de Mercede,* dupl. maj.
b	25	* S. Laudi Episc. et Conf. *dupl.* * Commem. S. Baumadi Conf.
c	26	* S. Ferreoli Episc. et Conf. *dupl.* Commem. SS. Cypriani et Justinæ Mm.
d	27	SS. Cosmæ et Damiani Mm. *semid.*
e	28	S. Wenceslai Ducis Mart. *semid.*
f	29	DEDICATIO S. MICHAELIS ARCHANGELI, *dupl.* 2. *cl.*
g	30	S. Hieronymi Presbyteri Conf. et Doct. *dupl.*

FESTA MOBILIA

* Dom. Kalendis Septembris proxima, ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS OMNIUM DIŒCESIS TUTELENSIS ECCLES. *dupl.* 1. *cl.* cum Octava.

* Dom. sequenti, Dies Octava Dedicat. Omnium Diœcesis Tutelensis Ecclesiarum, *dupl.*

Dom. infra Oct. Nativitatis Deiparæ, SS. NOMINIS B. M. V. * *dupl.* 2. *cl.*

Dom. III. Sept. *Septem Dolorum B. M. V.* dupl. maj.

OCTOBER

Litt. Dom.	Dies mensis.	
A	1	S. Remigii Episc. et Conf. *dupl.* * Commem. S. Vedasti Episc. et Conf.
b	2	*SS. Angelorum Custodum,* dupl. maj. * Commem. S. Leodegarii Episc. et Mart.
c	3	
d	4	*S. Francisci Assisiensis Conf.* dupl. maj.
e	5	* S. Pardulphi Conf. *dupl.* Commem. SS. Placidi et Soc. Mm.
f	6	S. Brunonis Conf. *dupl.*
g	7	* SS. Primi et Feliciani Mm. *dupl.* Commem. S. Marci Papæ et Conf., et SS. Sergii et Soc. Mm.
A	8	S. Birgittæ Viduæ, *dupl.*
b	9	SS. Dionysii et Soc. Mm. * *dupl.*
c	10	* *Translatio et Relatio S. Martialis,* dupl. maj.
d	11	— S. Francisci de Borgia Conf. *semid.* (ex heri).
e	12	
f	13	* S. Geraldi Conf. *dupl.* * Commem. S. Leoboni Conf.
g	14	S. Callisti I. Papæ et Mart. *dupl.*
A	15	S. Teresiæ Virg. *dupl.* * Commem. S. Austricliniani Conf.
b	16	* SS. Juniani et Amandi Conf. *dupl.*
c	17	* B. Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. *dupl.*
d	18	S. LUCÆ EVANGELISTÆ, *dupl. 2. cl.*
e	19	S. Petri de Alcantara Conf. *dupl.*
f	20	S. Joannis Cantii Conf. *dupl.*
g	21	* SS. Ursulæ et Soc. Virg. et Mart. *dupl.* Commem. S. Hilarionis Abbatis.
A	22	— S. Eduardi Regis Conf. *semid.* (dies fixa e 13 hujus).
b	23	* *SS. Redemptoris,* dupl. maj.
c	24	* *S. Raphaëlis Archangeli,* dupl. maj.
d	25	* S. Frontonis Episc. et Conf. *semid. ad libitum.* Commem. SS. Chrysanthi et Dariæ Mm.
e	26	S. Hedwigis Reginæ Viduæ, *semid.* (dies fixa e 17 hujus). Commem. S. Evaristi Papæ et Mart.
f	27	Vigilia.
g	28	SS. SIMONIS ET JUDÆ APOST. *dupl. 2. cl.*
A	29	
b	30	
c	31	Vigilia.

FESTA MOBILIA

Dominica I. Octobr. SS. ROSARII B. M. V. *dupl. 2. cl.*
* Dominica II. Octobr. *Maternitatis B. M. V.* dupl. maj.
* Dominica III. Octobr. *Puritatis B. M. V.* dupl. maj.
* Dominica IV. vel V. Octobr. *Patrocinii B. M. V.*

NOVEMBER

d	1	SOLEMNITAS OMNIUM SANCTORUM, *dupl. 1. cl.* cum Oct.
e	2	De Octava, *semid.* Commemoratio omnium Fidelium defunctorum, *sub ritu duplici.*
f	3	De Octava, *semid.*

Litt. Dom.	Dies mensis.	
g	4	S. Caroli Episc. et Conf. *dupl.* Commem. Oct. et SS. Vitalis et Soc. Mm.
A	5	* S. Austremonii Episc. et Mart. *semid. ad libitum.* Commem. Oct. * et S. Gonsaldi Conf.
b	6	* S. Leonardi Conf. *dupl.* Commem. Oct.
c	7	De Octava, *semid.*
d	8	Octava omnium Sanctorum, *dupl.* Commem. SS. Quatuor Coronatorum Martyrum.
e	9	*Dedicatio Basilicæ SS. Salvatoris,* dupl. maj. Commem. S. Theodori Mart.
f	10	S. Andreæ Avellini Conf. *dupl.* Commem. SS. Tryphonis et Soc. Mm.
g	11	S. MARTINI EPISC. TURONENSIS CONF., TOTIUS DIŒCESIS PATRONI, *dupl.* 1. *cl.* cum Oct.
A	12	S. Martini I. Papæ et Mart. *semid.* * Commem. Oct.
b	13	* S. Duminii Conf. *dupl.* * Commem. Oct. * et S. Brictii Episc. et Conf.
c	14	* — S. Stanislai Kostka Conf. *dupl.* (ex heri). * Commem. Oct.
d	15	S. Gertrudis Virg. *dupl.* * Commem. Oct.
e	16	— S. Didaci Conf. *semid.* (e 13 hujus). * Commem. Oct.
f	17	S. Gregorii Thaumaturgi Episc. et Conf. *semid.* * Commem. Oct.
g	18	* Octava S. Martini Episc. et Conf. *dupl.*
A	19	S. Elisabeth Viduæ, *dupl.* Commem. S. Pontiani Papæ et Mart.
b	20	S. Felicis de Valois Conf. *dupl.*
c	21	*Præsentatio B. M. V.* dupl. maj. * Commem. S. Liberalis Episc. et Conf.
d	22	S. Cæciliæ Virg. et Mart. *dupl.*
e	23	S. Clementis I. Papæ et Mart. *dupl.* Commem. S. Felicitatis Mart.
f	24	S. Joannis a Cruce Conf. *dupl.* Commem. S. Chrysogoni Mart.
g	25	S. Catharinæ Virg. et Mart. *dupl.*
A	26	S. Silvestri Abbatis, *dupl.* Commem. S. Petri Alexandrini Episc. et Mart. * et S. Justi Conf.
b	27	* S. Odonis Abbat. et Conf. *dupl.*
c	28	— S. Josaphat Episc. et Mart. *dupl.* (dies fixa e 14 hujus).
d	29	* S. Saturnini Episc. et Mart. *semid. ad libitum.* Commem. Vigiliæ, et alterius S. Saturnini Mart.
e	30	S. ANDREÆ APOSTOLI, *dupl.* 2. *cl.*

FESTUM MOBILE

* Dom. infra Oct. Omnium Sanctorum, Festum SS. Reliquiarum in Ecclesiis Diœcesis Tutelen. asservatarum, *dupl.*

DECEMBER

Litt. Dom.	Dies mensis.	
f	1	* S. Eligii Episc. et Conf. *dupl.*
g	2	S. Bibianæ Virg. et Mart. *semid.*
A	3	S. Francisci Xaverii Conf. *dupl.*
b	4	S. Petri Chrysologi Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. S. Barbaræ Virg. et Mart.
c	5	— *Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli Apost.* dupl. maj. (dies fixa e 8 Nov.). Commem. S. Sabbæ Abbatis.
d	6	S. Nicolai Episc. et Conf. *dupl.*
e	7	Vigilia. S Ambrosii Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
f	8	IMMACULATA CONCEPTIO B. M. V. *dupl.* 1. *cl.* cum Octava.
g	9	De Octava, *semid.*
A	10	* *Translatio Almæ Domus Lauretanæ,* dupl. maj. Commem. S. Melchiadis Papæ et Mart.
b	11	S. Damasi I. Papæ et Conf. *semid.* Commem. Oct.
c	12	* S. Valeriæ Virg. et Mart. *dupl.* Commem. Oct.
d	13	S. Luciæ Virg. et Mart. *dupl.* Commem. Oct.
e	14	De Octava, *semid.*
f	15	Octava Immaculatæ Conceptionis B. M. V. *dupl.*
g	16	S. Eusebii Episc. et Mart. *semid.*
A	17	* S. Lazari resuscitati Episc. et Mart. *dupl.*
b	18	* *Exspectatio Partus B. M. V.* dupl. maj.
c	19	
d	20	* SS. Israëlis et Theobaldi Conf. *semid. ad libitum.* Commem. Vigiliæ.
e	21	S. THOMÆ APOST. *dupl.* 2. *cl.*
f	22	
g	23	* S. Asclepii Episc. et Conf. *dupl.*
A	24	Vigilia Nativitatis.
b	25	NATIVITAS D. N. J. C. *dupl.* 1. *cl.* cum Octava.
c	26	S. STEPHANI PROTOMART. *dupl.* 2. *cl.* cum Oct. Commem. Oct. Nativitatis et * Omnium Sanctorum Martyrum.
d	27	S. JOANNIS APOST. ET EVANG. *dupl.* 2. *cl.* cum Oct. Commem. Octavarum.
e	28	SS. INNOCENTIUM MM. *dupl.* 2. *cl.* cum Oct. Commem. Octavarum.
f	29	S. Thomæ Cantuariensis Episc. et Mart. *semid.* Commem. Octavarum.
g	30	Dom. infra Oct. Nativitatis, vel de Oct. Nativitatis, *semid.* Commem. Octavarum.
A	31	S. Silvestri Papæ et Conf. *dupl.* Commem. Octavarum.

OFFICIA VOTIVA

Qualibet Feria V non impedita Festo novem lectionum etiam translato, extra tamen Adventum, Quadragesimam, Octavas, Vigilias et Ferias privilegiatas, excepta etiam Feria in qua, secundum Rubricas, Officium Dominicæ aliquando erit appositum, fit Officium votivum SS. Sacramenti, sub ritu semiduplici.

Item quolibet sabbato, ut supra non impedito, sub iisdem limitationibus et ritu, fit Officium votivum Immaculatæ Conceptionis B. M. V.

(Ex concessione S. R. C., die 16 julii 1863).

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS TUTELENSIS

A SANCTA SEDE APPROBATA

PARS VERNA

FESTA MOBILIA

FER. VI. POST DOM. I. QUADRAG.

SS. LANCEÆ ET CLAVORUM D. N. J. C.

Duplex majus.

Ut in Supplem.

FER. VI. POST DOM. II. QUADRAG.

SS. SINDONIS D. N. J. C.

Duplex majus.

Ut in Supplem.

FER. VI. POST DOM. III. QUADRAG.

SS. QUINQUE PLAGARUM D. N. J. C.

Duplex majus.

Ut in Supplem.

FER. IV. POST DOM. IV. QUADRAG.

PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C.

Duplex majus.

Ut in Supplem.

FER. VI. POST DOM. PASSIONIS

FESTUM SEPTEM DOLORUM B. M. V.

Duplex majus.

In Brev., post 25 *Martii.*

Quoties Feria VI. post Dominicam Passionis, juxta decreta, impedita, recitari nequeat Officium septem Dolorum B. M. V., illud reponatur in Sabbato immediate sequenti, translato ad tempus Paschale Officio ritus duplicis vel semiduplicis enuntiato Sabbato occurrente. Quod si etiam Sabbatum impeditum occurrerit alio Officio potioris vel æqualis ritus, eo anno hoc Officium Dolorum Virginis erit omittendum, nec umquam transferendum ad tempus Paschale, juxta decretum S. R. C. in Corduben., die 3 *Sept.* 1672. *Ad dubium III.*

DOM. III. POST PASCHA

PATROCINII S. JOSEPH SPONSI B. M. V.

Officium in Brev., ante diem 1 *Maii.*

Duplex 2. *classis.*

Occurrente Dominica III. post Pascha Festo vel S. Marci Evang., vel SS. Philippi et Jacobi Apost., vel tandem Inventionis sanctissimæ Crucis, Festum Patro-

cinii S. Joseph amandatur ad primam sequentem diem liberam.

(*Ex Concessione S. R. C. in Tutelen. die* 16 *Julii* 1863.)

FESTA FIXA SANCTORUM

FESTA FEBRUARII

DIE VI

SANCTÆ HYACINTHÆ DE MARISCOTTIS VIRGINIS

Duplex.

Ut in Supplem.

DIE IX

IN CIVITATE TUTELENSI

Pro Solemnitate Liberationis urbis Tutelensis ab hæreticis.

OFFICIUM VOTIVUM

SS. SACRAMENTI

Duplex 1. *classis.*

Omnia ut in Officio votivo, a I. Vesp. ad Nonam inclusive, exceptis seq. : ad Matut. in I. Nocturno Lectiones de Epist. I. ad Cor. Conveniéntibus. *ut in Quadrag. — Ad II. et III. Noct. Lectiones ut infra ad calcem.* 59.

Vesp. de sancta Scholastica. Commem. Fer.

Quoties I. Dom. Quadrag. vel dies Cinerum occurrerit hac die 9 *Febr., Solemnitas Liberationis urbis Tutelensis celebrabitur die* 10 *hujus, Officio sanctæ Scholasticæ simplificato.*

DIE XI

APPARITIONIS

B. M. V. IMMACULATÆ

Duplex majus.

Ut in Supplem.

DIE XII

S. ANDREÆ CORSINI EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq. (m. t. v.)

ORATIO

Deus, qui in Ecclésia tua nova semper instáuras exémpla virtútum : da pópulo tuo beáti Andréæ Confessóris tui atque Pontíficis ita sequi vestígia; ut assequátur et prǽmia. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. **Fidélis sermo.** *de Comm.* 1° *loco.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Andréam, Floréntiæ, ex nóbili Corsinórum família natum, paréntes précibus a Deo impetrárunt, et beátæ Vírgini spopondérunt. Qualis áutem futúrus esset, divíno præságio, ántequam nascerétur, ostén-

sum est : nam mater grávida sibi visa est per quiétem lupum edidísse, qui ad Carmelitárum ædem pergens, in ipso templi vestíbulo statim in agnum convérsus est. Adoléscens pie et ingénue educátus, cum sensim ad vítia declináret, sæpe a matre increpátus fuit. Ubi áutem cognóvit se paréntum voto Deíparæ Vírgini dicátum fuísse, Dei amóre succénsus, deque visu matris admónitus, Carmelitárum institútum ampléxus est, in quo váriis tentatiónibus a dǽmone vexátus, numquam tamen pótuit a religiónis propósito dimovéri. Mox Lutétiam missus, eménso studiórum currículo, et láurea donátus, in pátriam revocátur, suíque órdinis regímini in Etrúria præfícitur.

℟. Invéni David.

LECTIO V

Intérea Fesulána ecclésia, suo viduáta pastóre, eum sibi epíscopum elégit: quo múnere se indígnum ǽstimans, diu látuit ignótus, donec púeri voce mirabíliter loquéntis próditus, et extra urbem invéntus, ne divínæ contradíceret voluntáti, episcopátum suscépit. Ea dignitáte áuctus, humilitáti, quam semper colúerat, impénsius incúbuit; et pastoráli sollicitúdini misericórdiam in páuperes, liberalitátem, oratiónis assiduitátem, vigílias, aliásque virtútes adjúnxit, et spíritu étiam prophético clarus fuit; ádeo ut ejus sánctitas ab ómnibus celebrarétur.

℟. Pósui adjutórium.

LECTIO VI

His permótus Urbánus quintus, ad sedándas Bonóniæ turbas, Andréam legátum misit : quo in múnere multa perpéssus, cívium ódia, quæ ad interneciónem exárserant, summa prudéntia restínxit; tum restitúta tranquillitáte, ad própria revérsus est. Nec multo post assíduis labóribus et voluntária carnis maceratióne conféctus, óbitus die a beáta Vírgine sibi prædícto, ad cæléstia regna migrávit anno Dómini millésimo trecentésimo septuagésimo tértio, ætátis suæ septuagésimo primo. Quem Urbánus octávus multis magnísque miráculis clarum sanctórum número adscrípsit. Ejus corpus Floréntiæ in ecclésias sui órdinis quiéscit, et máxima cívium veneratióne cólitur, quibus non semel in præsénti discrímine præsídio fuit.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Homo péregre. *de eodem Comm. 1° loco.*

Lect. IX. *de Homil. Fer. cujus Commem. in Laud.*

Vesp. a Capit. de seq.,

cum Commem. præced. et Feriæ.

DIE XIII

SANCTÆ CATHARINÆ DE RICCIIS VIRGINIS

Duplex.

Omnia ut in Supplem.

DIE XIV

SS. VIGINTI SEX MARTYRUM JAPONENSIUM

Duplex.

(*Dies fixa e* 5 *hujus.*)

Omnia ut in Supplem.

Commem. Fer. et S. Valentini Presb. et Mart.

In Quadrag., Lect. IX. *de Homil. Feriæ, alias de S. Valentino in Brev.*

Ad Laud., Commem. Fer. et S. Valentini.

In II. Vesp. Commem. S. Raymundi de Pennafort Conf. non Pont., Fer. et SS. Faustini et Jovitæ Mart. in Brev.

DIE XV

S. RAYMUNDI DE PENNAFORT CONFESSORIS

Semiduplex.

(*Dies fixa e* 23 *Jan.*)

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq. (m. t. v.)

ORATIO

Deus, qui beátum Raymúndum pœniténtiæ sacraménti insignem minístrum elegísti, et per maris undas mirabíliter traduxísti : concéde ; ut ejus intercessióne dignos pœniténtiæ fructus fácere, et ad ætérnæ salútis portum pervenire valeámus. Per Dóminum.

Commem. SS. Faustini et Jovitæ Mart., ut in Brev.

IN I. NOCTURNO

Lect. Justus. *de Comm.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Beátus Raymúndus Barcinonénsis, ex nóbili família de Pénnafort, christiánæ religiónis rudiméntis imbútus, adhuc párvulus exímia ánimi et córporis índole magnum áliquid porténdere visus est. Nam adoléscens humanióres lítteras in pátria proféssus, Bonóniam se cóntulit, ubi pietátis offíciis, ac pontifício civilíque juri sédulo incúmbens, et doctóris láurea insignítus, ibídem sacros cánones magna cum hóminum admiratióne est interpretátus. Ejus virtútum fama percrebrescénte, Berengárius, Barcinonénsis epíscopus, cum Roma suam ad ecclésiam redíret, eum conveniéndi cáusa Bonóniam iter instítuit, et tandem summis précibus, ut secum in pátriam reverterétur, obtínuit. Mox ejúsdem ecclésiæ canonicátu et præpositúra ornátus, univérso clero et pópulo, integritáte, modéstia, doctrína, et morum suavitáte præfúlsit, ac Deíparæ Vírginis, quam singulári pietátis afféctu venerabátur, honó-

rem et cultum semper pro viribus áuxit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus.

LECTIO V

Annum circiter quintum supra quadragésimum agens, in órdine Fratrum Prædicatórum solémni emissa professióne, ut novus miles, in omni virtútum génere, sed præcípue in caritáte erga egénos, et máxime captívos ab infidélibus deténtos, se exércuit. Unde cum ejus hortátu sanctus Petrus Noláscus (cujus ipse confessiónes audiébat) suas opes piíssimo huic óperi conférret, tum eídem, tum beáto Raymúndo, et Jacóbo primo, Arragóniæ regi, appárens beatíssima Virgo, gratíssimum sibi et unigénito Fílio suo fore dixit, si in suum honórem instituerétur ordo Religiosórum, quibus captívos ex infidélium tyránnide liberándi cura incúmberet. Quare, collátis inter se consíliis, órdinem beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis captivórum fundavérunt : cui beátus Raymúndus certas vivéndi leges præscrípsit ad ejúsdem órdinis vocatiónem accommodatíssimas, quarum approbatiónem áliquot post annos a Gregório nono impetrávit, et dictum sanctum Petrum primum generálem órdinis magístrum suis ipse mánibus hábitu eódem indútum creávit.

℟. Amávit eum.

LECTIO VI

Ab eódem Gregório Romam accersítus, et capelláni, ac pœnitentiárii, et confessárii sui múnere decorátus, ejúsdem jussu, Romanórum Pontíficum decréta, in divérsis concíliis et epístolis sparsa, in unum Decretálium volúmen redégit. Archiepiscopátum Tarraconénsem ab ipso Pontífice sibi oblátum constantíssime recusávit, et totíus órdinis Prædicatórum generálem magistérium, quod per biénnium sanctíssime administráverat, sponte dimísit. Jacóbo, Arragóniæ regi, sacræ Inquisitiónis offícii suis in regnis instituéndi áuctor fuit. Multa patrávit mirácula, inter quæ illud claríssimum, quod ex ínsula Baleári majóri Barcinónem reversúrus, strato super aquas pállio, centum sexagínta milliária sex horis confécerit, et suum cœnóbium jánuis cláusis fúerit ingréssus. Tandem prope centenárius, virtútibus et méritis cumulátus, obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo ducentésimo septuagésimo quinto, quem Clemens octávus in sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Sint

lumbi. *de eodem Comm. 1º loco.*

Lect. IX. *de Homil. Fer. cujus Commem. in Laud. deinde SS. Mart.*

In II. Vesp. a Capit. de seq. (m. t. v.) *Commem. præced. et Fer.*

DIE XVI

S. STEPHANI DE MURETO

CONF. NON PONT.

Semiduplex ad libitum.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq. (m. t. v.)

Commem. Feriæ.

IN I. NOCTURNO

Lect. Justus. *de Comm. 1º loco.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

STÉPHANUS, Tiérni in Arvérnia, piórum et nobílium paréntum précibus a Deo datus, duodécimo ætátis suæ anno, humánis divinísque litteris informándus tráditus est Milóni, ipsi Arvérno, Parisiénsi tum decáno : quem deinde Beneventánum, in Itália, episcopum a Gregório séptimo creátum, secútus est. Præcláre sanctéque per duódecim annos institútus, ab eódem diáconi órdinem suscépit. Mórtuo páulo post Milóne, Romæ et in Calábria apud quosdam cœnobítas degit, ætáte et sapiéntia in dies profíciens. Verum sanctióris adhuc vitæ desidério accénsus, accépta Gregórii séptimi Summi Pontíficis benedictióne, Tiérnum revérsus est : ac páulo post, relíctis facultátibus, clam se proripuit; et, multis peragrátis silvis, aptam propósito suo solitúdinem invénit in colle diœcésis Lemovicénsis, qui Murétum dícitur, ibique ex virgúltis et fróndibus tugúrium sibi construxit. Cum esset annórum triginta, se Deo dicávit, eíque ánnulo quem ex mundi ópibus solum reserváverat, sese quodámmodo subarrhávit et adstrínxit, sub patrocínio Beátæ Maríæ Vírginis, in cujus honórem, ut erat ei devotíssimus, oratórium suum nuncupáverat. Exínde férrea lorica nudum corpus indútus, mirábili abstinéntiæ et vigíliis déditus, primo solus omníque carens humáno solátio, deínde cum duóbus tantum comítibus vixit, vitæ ejus asperitátem ómnibus admirántibus.

℟. Honéstum.

LECTIO V

SED cum demum plácuit Deo, qui Stéphanum ad multórum salútem præelégerat, tot ad eum discípuli convolárunt, ut jam de erigénda congregatióne cogitáret. Memor vero eremitárum apud quos per áliquod tempus fúerat commorátus, Stéphanus tam nova tamque inaudíta vivéndi ratióne

recreátus, præcípua ejus cápita a se et a suis in pósterum discípulis observánda constítuit. Recusáto abbátis nómine, ómnium virtútum exémplar se præbuit. De virginitáte, quam imprímis colébat, hoc memorándum dicébat : eam neque per vanam glóriam ac per carnis libídinem labefactári. Ea fuit humilitáte ut ad sacerdótii dignitátem promovéri nolúerit.

℟. Amávit eum Dóminus.

LECTIO VI

Tandem, explétis in solitúdine annis fere quinquaginta, últimam vitæ diem sibi imminére cognóscens, totum se cóntulit ad oratiónem, et ad discipulórum utilitátem. Ab illis interrogátus quómodo deinceps víverent, quibus nulla temporália habére permittébat, respóndit : Deum solum vobis relínquo, cujus sunt ómnia, et cujus amóre ómnia reliquístis. Morti próximus, in oratórium deférri vóluit, atque illic, finíta missa, suscéptis cum incredíbili pietátis sensu sacraméntis, hæc psalmi verba récitans : In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum, octogenárius obdormívit in Dómino, anno millésimo centésimo vigésimo quarto. Corpus ejus Grandimóntem, unde nomen accépit illíus ordo, qui prius Bonórum Hóminum appellabátur, translátum est. Eum Clemens tértius, Summus Póntifex, inter sanctos recénsuit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Sint lumbi.

Lect. IX. *de Homil. Fer.*

In Laud. Commem. Feriæ.

Vesperæ de SS. Septem Fundatoribus Ordinis Servorum B. M. V. Commem. præced. et Feriæ.

DIE XVII

SS. SEPTEM FUNDATORUM ORDINIS SERVORUM B. M. V. CONFESSORUM

Duplex.

(*Dies fixa e* 11 *hujus.*)

Omnia ut in Brev., præter seq.

Vesp. a Capit. de seq. Commem. præced., Fer. et S. Simeonis Episcopi et Martyris.

EADEM DIE

IN CIVITATE TUTELENSI

S. CYRILLI ALEXANDRINI EPISC. CONF. ET DOCT.

Duplex.

(*Dies fixa e* 9 *hujus.*)

Pridie Vesp. de S. Cyrillo Alexandrino (m. t. v.). *Commem. S. Stephani de Mureto et Fer.*

Ipsa die, Vesp. a Capit. de seq. SS. Septem Fundatoribus, Commem. præced., Feriæ et S. Simeonis.

DIE XVIII

S. TITI EPISC. ET CONF.

Duplex.

(*Dies fixa e* 6 *hujus.*)

Omnia ut in Breviar. (m. t. v.)

Commem. præced. et S. Simeonis Episc. et Mart.

In Laud. Commem. Fer. et S. Simeonis.

In II. Vesp. Commem. S. Bathildis et Fer.

EADEM DIE

IN CIVITATE TUTELENSI

SS. SEPTEM FUNDATORUM

ORDINIS SERVORUM B. M. V. CONFESSORUM

Duplex.

(*Dies fixa e* 11 *hujus.*)

Lect. IX. *Homil. et Commem. Fer. et S. Simeonis in Laud.*

In II. Vesp. Commem. S. Bathildis et Fer.

DIE XIX

SANCTÆ BATHILDIS

REGINÆ ET VIDUÆ

Semiduplex ad libitum.

Omnia de Communi non Virg., præter seq.

ORATIO

DEUS, qui beátam regínam Bathíldem a sǽculi pompa ad crucis humilitátem toto corde transíre docuísti : concéde; ut, ejus intercessióne et exémplo, discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ crucis ómnia nobis adversántia superáre : Qui vivis.

Commem. Feriæ.

IN I. NOCTURNO

Lect. **Mulierem fortem.** *de Comm. non Virg.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

BATHÍLDIS, in Anglia Saxónum génere orta, a prædónibus Ercunváldo majóri domus régiæ véndita, ab eo ad porrigénda sibi pócula adhíbita est, ac demum, mórtua cónjuge, in uxórem expetíta. Quas illa ut vitáret núptias, latébras quæsívit; sed póstmodum, ob exímias córporis et ánimi dotes, ad Clodovǽi secúndi conjúgium insperáto pertráhitur. Tum páuperes et ecclésias Clodovǽo studióse commendávit; quod máxime gratum fuit príncipi.

℟. Propter veritátem.

LECTIO V

MÓRTUO Clodovǽo, trium filiórum, Clotárii, Childérici et Theodoríci, quorum natu máximus vix quintum annum attígerat, tutélam gessit, regnúmque ac palátium consíliis Chrobérti, Parisiénsis epíscopi, et Audoéni Rothomagénsis sapientíssime moderáta est. Multa præcláre sanxit; simoniácas ordinatiónes abolévit hortátu sacerdótum; prohíbuit ne quis Christiános vénderet éxteris, aut álio vendéndos

abdúceret; plures étiam a servitúte suis súmptibus redémit.

℟. Dilexísti.

LECTIO VI

Efféсit ut, pontíficum et abbátum stúdio, reguláris disciplína in plúribus monastériis, aut servarétur aut restituerétur. Corbéiæ ad Summínam cœnóbium exstrúxit, aliúdque Calæ ad Matrónam, in quo, relícta Clotário jam adúlto regni administratióne, ipsa, suscépto religiónis hábitu sub obediéntia Bertíllæ abbatíssæ, ómnibus exémplo et admiratióni fuit; ibíque mórtua est, ætátis suæ anno quinquagésimo quinto, circa finem séptimi sæculi.

℟. Fallax grátia, et vana est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Símile est. *de Comm.*

Lect. IX. *de Homil. Fer., ejusque Commem. ad Laudes.*

DIE XX

IN CIVITATE TUTELENSI

S. TITI EPISC. ET CONF.

Duplex.

(*Dies fixa e* 6 *hujus.*)

Omnia ut in Brev. (m. t. v.)

Pridie, Vesp. de S. Tito, Commem. præcedentis et Feriæ.

Lect. IX. *Homil. et Commem. Feriæ in Laud. et Vesp.*

DIE XXV. VEL XXVI

SANCTI AVERTANI

CONF. NON PONT.

Semiduplex ad libitum.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Pridie, in Vesp. S. Mathiæ, fit Commem. S. Avertani. Orat. Deus, qui. *deinde Commem. Fer.*

IN I. NOCTURNO

Lect. Justus. *e Comm. Conf. non Pont.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Avertánus, gloriósum germen Montis Carméli, Lemovícis in Gállia, paréntibus módicis fortúna, sed virtúte ditíssimis ortus, ab infántia Deum timére et Deíparam cólere dídicit. In adolescéntia, accénsus desidério se in religióne Deo víctimam consecrándi, támdiu oratiónibus et jejúniis divínum bene sibi plácitum indicári efflagitávit, donec ab Angelo mónitus fúerit, ut beatíssimæ Vírginis Maríæ de Monte Carmélo institútum amplecterétur : statímque ad Lemovicénse monastérium convolávit, ubi, postquam sacro Religiónis hábitu donátus fuit; non páucis horis in éxtasi raptus mansit. Ad se revérsus, tanto cum fervóre executióni mandávit ea quæ mente concéperat ópera virtútum, ut cunctis frátribus palmam præríperet, eósque

264

in sui amórem et admiratiónem allíceret. Abjectíssima monastérii offícia ingénti alacritáte amplectebátur, et ad quæcúmque superiórum impéria non tam properábat, quam currébat; ita ut ab ómnibus obediéntiæ fílius passim nuncuparétur.

℟. Honéstum.

LECTIO V

Sibi Christum et magnum Elíam Prophétam, sui órdinis fundatórem, in exémplar paupertátis proposúerat, ejúsque studiosíssimus fuit : et piaculáre arbitrabátur, nedum pecúnias tetigisse, sed et eas nominásse; quin, et ab eárum adspéctu, véluti a peste, óculos avertébat. Páuperum inópiam sublátis sibi aliméntis sublevábat, et pro salúte peccatórum in mille mortes se parátum ire demonstrábat. In oratiónis et contemplatiónis exercítio, abjécta próprii córporis cura, intégros sæpe dies transigébat : idque tali spíritus alienatióne, ut subinde, magno étiam excitáto strépitu, vix ad se redire posset. In quibúsdam anni festivitátibus nocte média solébat colles monastério vicínos génibus flexis conscéndere; supra lápides, bráchiis expánsis et lacrymántibus óculis oráre, pectúsque saxo usque ad sánguinem contúndere, donec illucésceret : cui ista orándi plectendique assidúitas ita callum génibus obdúxerat, ut pellis ipsi in génibus ad instar ferri obduráta conspicerétur.

℟. Amávit.

LECTIO VI

Ut desidérium sibi cælítus immissum sanctæ peregrinatiónis compléret, a superióribus licéntiam et beátum Romæum sui órdinis in sócium sibi impetrávit; simúlque Omnium Sanctórum solemnitáte concelebráta, iter suum aggréssi sunt : verum cum, superátis imbrium niviúmque rigóribus, prærúpta Alpium transivíssent, ob pestiléntiæ luem in fínibus Itáliæ grassántem, ab ómnibus civitátibus exclúsi fuérunt, et étiam a Lucénsi, ad cujus portas infírmus appúlerat Avertánus, qui in xenodochío sancti Petri Majóris, ad urbis mœnia sito, caritátive recéptus, aliquándiu cum morbo luctátus est, et tandem a Christo cum beatíssima Vírgine María, magna Angelórum stipánte catérva, visitátus, et ad remuneratiónem labórum evocátus, omnibúsque Ecclésiæ sacraméntis munítus, felícis vitæ cursum felicióri fine consummávit. Cujus corpus, ob plúrima mox ejus intercessióne patráta mirácula, magna cum solemnitáte sepúltum fuit in

ecclésia hospitális : et inde póstea, solémni processióne, ad urbis ædem primáriam, cum córpore beáti Romǽi, ibídem páulo post defúncti, delátum est; ubi summa veneratióne eórum relíquiæ in eádem arca custodiúntur.

℟. Iste homo ómnia perfécit.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Sint lumbi. *de Communi* 1° *loco.*

Lect. IX. *Fer., cujus fit Commem. in Laud. et Vesp. quæ sunt a Capit. de seq. cum Commem. S. Avertani.*

DIE XXVI. VEL XXVII

STÆ MARGARITÆ DE CORTONA

PŒNITENTIS

Semiduplex.

(*Dies fixa ex* 23 *hujus.*)

In Supplem. die 23.

FESTA MARTII

DIE VIII

S. STEPHANI OBAZINENSIS

ABBATIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Orat. Intercéssio. *pro Abbatibus.*

Pridie Vesp. a Capit. de S. Stephano, cum Commem. præced. et Fer.

IN I. NOCTURNO

Lect. Justus. *de Comm.* 1° *loco.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

STÉPHANUS, in pago Lemovicénsi, honéstis paréntibus génitus, clericáli primum milítiæ adscríptus est, et présbyter ordinátus : pro molli vestiménto cilícium índuit; pro suávi cibo, pane árido vesci vóluit. Assúmpto sócio nómine Petro, qui présbyter quoque erat, cœpit quǽrere locum ab hóminum consórtio separátum, in quo sedem fígeret; tandémque pervénit ad saltum Obazinénsem, ubi réperit locum ab urbe Tutelénsi parum distántem, pósitum ad Currétiam flúvium. Hunc ad habitándum sibi delégit, Eustórgio epíscopo Lemóvicis tunc sedénte.

℟. Honéstum.

LECTIO V

IBI duo cóndidit monastéria, álterum quidem pro viris in supercílio montis : álterum pro féminis, non longe a prióri, altíssima in valle, prærúptis undequáque rúpibus procínctum, prope rívulum cujus aqua supérius partim detórta, per audáces ductus ad Obazinénsem pagum affértur; mirum ádeo opus ut, cuíque inspiciénti libénter non sine miráculo factum, ut fert

traditio, pie credéndum videátur. Ad hæc cœnóbia, pœniténtiæ et conversiónis cáusa, confluxérunt étiam nobilióres. Apud utrúmque sexum, altum siléntium diu noctúque servabátur; aspérrimus erat vestitus, cibus parcíssimus et vilíssimus. Cum diu anceps fuisset Stéphanus, de deligéndo Institúto canonicórum regulárium, an monachórum, tandem hoc amplécti cum suis decrévit, accepitque a Dalonénsi cœnóbio magístros. Póstea vero præsénte Geráldo, Lemovicénsi epíscopo, mónachus efféctus est, et ipse statim in abbátem benedícitur.

℟. Amávit.

LECTIO VI

Aliquot elápsis annis, cum Eugénius Papa tértius, in Gálliam venísset, ac Cistérciis tantisper morarétur, ad eum accéssit Stéphanus, rogans se suósque in órdine Cisterciénsi súscipi. Obstábat imprimis huic unióni, quod féminas simul et viros régeret; sed tandem, quæ huic unióni magis adversabántur superátis, in consórtem cum suis adscríptus est. Obiit Stéphanus in monastério Bonæ Aquæ, octávo Idus Mártii, circa médiam noctem, incipiénte Domínica secúnda Quadragésimæ, anno millésimo centésimo quinquagésimo nono. Vita functum patrem ad Obazinénse monastérium conféstim statuérunt deferéndum doléntes fílii, et, mane facto, submissis scápulis, ipsi venerábile corpus pie transtulérunt, imménsa obveniénte clericórum fideliúmque multitúdine. Duórum diérum iter eménsi, Obazinam devenére, ibique sacrum pignus solémni psalléntio deposuérunt. Beátus Stéphanus, multis in vita et post mortem miráculis clarus, in ecclésia quam ipse ædificáverat, et Beátæ Maríæ dedicáverat tumulátus est : adhuc in eádem ecclésia stat monuméntum mira arte sculptum, quod sepúlcrum sancti Stéphani dícitur.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus. *pro Abbat.*

Lect. IX. *de Fer., cujus Commem. ad Laud. et ad Vesp. quæ sunt a Capit. de seq., cum Commem. S. Stephani Abbat.*

DIE XI

S. JOANNIS DE DEO

CONFESSORIS

Duplex.

(*Dies fixa ex* 8 *hujus.*)

Officium ut in Breviar., 8 *Martii, præter seq.* (m. t. v.)

Pridie Vesp. de S. Joanne de Deo cum Commem. SS. Quadraginta Mart., et Fer.

In die Festi Vesp. a Capit. de seq. S. Gregorio; Commem. S. Joannis et Fer.

DIE XV

SANCTI SACERDOTIS

.LEMOV. EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq. (m. t. v.)

Orat. Exáudi, quǽsumus.

In I. Vesp. Commem. Fer. et S. Mundanæ Vid. et Mart. Ant. Símile est regnum cælórum. ℣. Spécie tua. *Orat.* Deus, qui inter. *de Comm. non Virg.*

IN I. NOCTURNO

Lect. Laudémus viros. 2° *loco. Extra Quadrag. de Script. occur.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

SACÉRDOS, patre Laban ex Burdigálæ civitátis primóribus, matre vero Mundána, claris ortus paréntibus, a Capuáno notæ sanctitátis Cadurcénsi epíscopo, lítteris et christiánis móribus informátus est, ac virtútibus et eruditióne præcéllens, ab eódem diáconus ordinátus. Tum in vicum Calábrum, inter Cadurcénsium et Petrocorénsium fines, non longe a Dordónio flúmine situm, quod ab Antítio, Aquitániæ príncipe, accéperat, se cóntulit; ibíque renovátis basílica et monastério vetustáte collabéntibus, prædictóque vico in usus cœnóbii obláto, in eo mónachi hábitum índuit, et per septem círciter annos religiósam vitam proféssus est.

℟. Invéni.

LECTIO V

ELÉCTUS abbas, ac présbyter ordinátus, síngulis tamquam mínimus ómnium serviébat. Paréntes ad mundi contémptum addúxit, et ut opes suas in páuperes et sacras ædes erogárent persuásit. Tanta ejus fuit sánctitas, ut leprósam mirabíliter sanáverit; et patri, qui absque sacro viático obíerat, vitam ad illud suscipiéndum impetrávit. Erumpénte póstmodum miraculórum et sanctitátis fama, mórtuo Aggérico, epíscopo Lemovicénsi, viduátæ Ecclésiæ regímini, ómnium órdinum votis et consénsu, præféctus est; quam rite et summa cum láude, per áliquot annos administrávit.

℟. Pósui.

LECTIO VI

DIEM áutem sui óbitus instáre intélligens, clero valedíxit, et Lemóvica, vicum Calábrum repetitúrus, discéssit. Sed in itínere, apud Argentácum gravi febre oppréssus, suscéptis cum ingénti pietáte sacraméntis, tértio Nonas Maii spíritum Deo réddidit. Corpus beáti Sacerdótis, ex ipsíus supréma voluntáte, Calábrum, secúndo Dor-

dónio flúmine, delátum est. Dum appropinquáret sacrum pignus, dedúcta ad littus Mundána oculórum cæcitáte labórans, visum divínitus recuperávit; quæ gloriósum filii sepúlcrum læta mater vidit et assidue cóluit, et ibidem quondam, dum oráret, a bárbaris regiónem vastántibus, ob fidem ímpie mactáta est, et juxta filium humáta. Póstea vero, Cárolo Magno imperánte, apud Sarlátum translátum est corpus sancti Sacerdótis, et ibi, in ecclésia Salvatóris, quæ ipsíus nomen assúmpsit, religióse cólitur.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Vigiláte. *de Comm. 2° loco.*

In Quadrag. Lect. IX. *de Feria, cujus etiam Commem. in Laud. et Vesp. Ad Laud. pro Commem. S. Mundanæ, Ant.* Date ei. ℣. Diffúsa est.

DIE XVIII

S. GABRIELIS ARCH.

Duplex majus.

Ut in Supplem.

Si celebretur post Pascha, additur Allelúia, *et Pss. Noct. dicuntur sub prima Ant. illius Noct.*

Ad Vesp. Ant. et Capit. de Laud. Ps. Dixit Dóminus. *cum reliq. de Dom., et loco ult., Ps.* Laudáte Dóminum omnes gentes.

DIE XX

S. CYRILLI HIEROSOLYMITANI EPISC. CONF. ET DOCT.

Duplex.

(*Dies fixa e* 18. *hujus.*)

Officium ut in Breviar., 18 Martii, præter seq. (m. t. v.)

Pridie Commem. S. Cyrilli Ant. O Doctor. *et Fer.*

In die Festi, I. Vesp. de seq. S. Benedicto Abbat. Commem. S. Cyrilli Ant. O Doctor. *et Fer.*

DIE XXIII

S. CESSATORIS LEMOV. EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq. (m. t. v.)

Orat. Da, quǽsumus.

In Quadrag. Commem. Fer.

IN I. NOCTURNO

Lect. Laudémus viros. 2° *loco. Extra Quadrag. de Script. occur.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Cároli Martélli tempóribus, cum innumerábiles Máuri, Saracéni, et álii infidéles bárbari ex Hispánia irrumpéntes in Gállias, totam Aquitániam inundássent, et ómnia ferro flammáque vastárent, Ecclésiæ pastóribus indigébant non solum magna pietáte prǽditis, sed singulári étiam fortitúdine et infrácto ánimi róbore. Igitur Deus, pro

lésiam Lemo- vidéntia, epi- nctum Cessa- in omni vir- n ac generó- rit, qui eam periculo libe-

IO V

m diœcésim perlustrásset, áli cura et sol- lula illi pro- párochi et álii stóres óvium rum custódiæ vigilárent, et xime pericu- npóribus, ne em áliqua ex ent, ipse, lón- ssis sibi óvi- arcéret, mili- t, óbviam hó- , vitam suam lei christiánæ , et pro salúte nimæ suárum periculis, ac is cum invicto xércitu suis rábili prǽlio bárbaros plú- it.

O VI

nnes béllicos liciter supe- non solum sed étiam to- am, et Gál- nul ac gládio dit; post res omnes Ecclésiæ in sua diœcési rite compósitas, plácide occúbuit in Dómino. Corpus ejus apud sanctum Sanctinum, prope Castrum de Malamórte, olim servátum, testátur Bernárdus Guidónis. Ejus áliqua pars cólitur etiámnum Lemóvicis, in ædícula sancto Aureliáno sacra.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Homo péregre. *In Quadrag. Lect.* IX. *de Fer., cujus Commemoratio in Laudibus et Vesperis.*

DIE XXIX

SANCTI BERTHOLDI

CONF. NON PONT.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter seq.

ORATIO

Deus, qui beátum Berthóldum Confessórem tuum tibi únice placére anhelántem, ad perfectiónis ápicem mirabiliter adduxisti: ipsíus méritis et intercessióne concéde; ut nos quoque perfectióra exsequéntes in terris, cum eo glória et honóre coronári mereámur in cælis. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. Beátus vir, qui invéntus est. *de Comm.* 2° *loco. Extra Quadrag. Lect. de Script. occur.*

21

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV.

BERTHÓLDUS, ex nóbili família de Malafaýda in Lemovicino natus, ab infántia divino cúltui se devóvit, sacrarúmque litterárum amóre succénsus, apud Lutétiam Parisiórum doctorátus láuream accépit. Cumque sacræ illius témporis expeditióni pro recuperánda terra sancta interésset, ingrediéndæ religiónis votum emisit, ut Deus exercítuum christianórum cópias a máximis angústiis, in quas conjéctæ erant, dignánter eriperet : quod póstmodum, re obténta, Altissimo reddītúrus, in Carméli montem ascéndit, postulatúmque órdinis hábitum suscépit. In sanctæ Religiónis paléstra novus athléta cǽteros virtútum exercítio, et præsértim vitæ asperitáte, antecédere nitebátur; et oléribus radicibúsque victitans, única refectióne in die conténtus erat : adeóque profécit, ut inter réliquos singulári sanctitáte claresceret.

℟. Honéstum.

LECTIO V

FACTUM est áutem, ut eo témpore Aymericus, Antiochénus patriárcha et ejus consanguíneus, in terram sanctam Apostólicæ Sedis a látere legátus missus fúerit : qui cum aliquándo in Carméli montem ascendisset, fratrúmque cæléstem vivéndi ratiónem contemplátus esset, eos máximis favóribus prosecútus est, novásque leges édidit pro eórum perfectióri institutióne. Tum vita functo órdinis superióre, sanctum Berthóldum, ob insígnem prudéntiam et sanctitátem, unánimi ómnium asséñsu eléctum ipsis præfécit, moréque latinórum priórem generálem nuncupávit. Cui múneri se ímparem ratus, fórtiter óbstitit : verum précibus fratrum victus, et Spiritu sancto afflánte, tandem húmeros submisit.

℟. Amávit.

LECTIO VI

TUNC disciplínæ monásticæ institútis fervéntius inhǽrens, regulárem vitam verbo et exémplo álios docébat. Tanto erga beatissimam Vírginem, singulárem sui órdinis patrónam, flagrábat afféctu, ut nullam diéi horam labi síneret, quin humi prostrátus piis eam oratiónibus salutáret. In omnes ita caritáte ardébat, ut ejus fácies sæpe rádiis ac splendóre solis fulgére visa fúerit. Suprémo lúmine illustrátus multa de terræ sanctæ calamitátibus, et ex infidélium persecutióne imminéntibus malis prænuntiávit, ac fratrum quam plurimórum ánimas, quos

Sarracenórum gládius assúmpserat, cum coróna martýrii ab Angelis in cælum deférri vidit. Cum ergo vir exímius per annos quadragínta quinque órdinem prudentíssime gubernásset, ætátis suæ anno centésimo décimo quinto, multis méritis et miráculis clarus, in Dómino felíciter obdormívit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Sint lumbi. *de Comm.* 1° *loco.*

Lect. IX. *de Homil. Fer., cujus Commem. in Laud. et II. Vesp., si in Quadrag.*

FESTA APRILIS

DIE III

STÆ MARIÆ ÆGYPTIÆ

NEC VIRG. NEC MART.

Semiduplex ad libitum.

Omnia de Communi non Virg., præter seq.

Pridie in Vesp. Commem. sanctæ Mariæ Ægyptiæ, et Feriæ in Quadrag.

ORATIO

Largíre nobis, miséricors Deus, ut beáta María Ægýptia, quæ te super ómnia diligéndo, suórum accépit véniam delictórum, pœniténtiæ salutáris donum nobis obtíneat. Per Dñ.

IN I. NOCTURNO

Lect. Mulíerem fortem. *de Comm. Extra Quadrag. de Script. occur.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

María Ægýptia duodecénnis, quinto sæculo, relíctis paréntibus, Alexandríam venit, fuítque per annos septémdecim ea in civitáte peccátrix. Cum áutem Jerosólymam profécta, Calváriæ templum in festo Exaltatiónis sanctæ Crucis íngredi tentásset, ter divínitus repúlsa est. His térrita, ac vitæ prætéritæ pertǽsa, in átrio coram imágine Deíparæ Vírginis vovit pœniténtiam, et templum ingréditur.

℟. Propter.

LECTIO V

Unde recédens ultra Jordánem in vastíssimam solitúdinem secéssit. Ibi, consúmpto viático quod secum túlerat, detritísque véstibus, ignóta permánsit annis quadragínta septem, donec Zozímus présbyter ei occúrrit, a quo obtínuit ut, véspere in Cœna Dómini, affÉrret sibi corpus et sánguinem Dómini, quorum participatióne tot annis carúerat. Quibus sumptis, super aquas ámbulans, íterum se in solitúdinem recépit.

℟. Dilexísti.

LECTIO VI

Deínde, ut María postuláverat, post annum rédiit Zozímus, et invénit

corpus ejus jacens in terra, in qua hæc scripta legit : Sépeli, Zozime, miseræ Mariæ corpúsculum : redde terræ quod suum est, et púlveri ádjice púlverem, orans Deum pro me, quæ mórior nocte salutiferæ Passiónis, post divínæ et sacræ cœnæ communiónem. Córpori ejus leo advéniens effóssa úngulis terra, parávit sepúlcrum, et illud Zozimus, decantátis psalmis et multis fusis précibus, Christianórum more sepelívit.

℟. Fallax grátia.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Simile est regnum. *de Comm. non Virg.*

In Quadrag. Lect. IX. *de Homil. Fer., cujus Commem. in Laud.*

Vesp. de seq. Commem. præced. et Fer. in Quadrag.

DIE IX

SANCTI GAUCHERII

CONF. NON PONT.

Semiduplex ad libitum.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Pridie, Vesp. de S. Gaucherio.

Orat. Deus, qui nos.

Commem. Fer. in Quadrag.

IN I. NOCTURNO

Orat. Beátus vir. *de Communi 2° loco. Extra Quadrag., de Script. occur.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Gauchérius, Meóthli, quod est óppidum in agro Rothomagénsi, natus, puer lítteris humanióribus eruditus, cum sese ad Raynárium, notæ sanctitátis virum, adjunxisset, ab eo pie et religióse vivéndi normam edóctus est. Annum agens duodevigésimum, strictióris et asperióris vitæ stúdio in solitúdinem ábdere se constituit. Cum áutem suum consilium communicásset Umbérto, Lemovicénsi canónico, in Normánnia tum forte degénti, ejus suásu e natáli solo digréssus, adhibito Germúndo sócio, in Lemovicénsem agrum secéssit.

℟. Honéstum.

LECTIO V

Dum iter ágeret, Nobiliácum venit, beáti Leonárdi, de cujus miráculis multa audíerat, sepúlcrum veneratúrus, ubi noctem insómnem in assídua precatióne tradúxit, ut suum propósitum ex Dei voluntáte succéderet. Inde se in finítimos saltus conjíciens, Chavanácum devénit, ibíque exstrúcto tuguríolo, per tres annos mansit in rerum cæléstium contemplatióne defíxus : multis intérea ex utróque sexu ad se confluéntibus viam salútis osténdens. Ad extrémum Salvatici, cui Auré-

lium póstea nomen inditum est, súbstitit : quam stábilem sibi sedem Deum fixisse crédidit non dúbio arguménto, colúmbæ scilicet stipulam avúlsam e tecto sui tuguríoli, rostro in eum locum idéntidem præferéntis.

℟. Amávit.

LECTIO VI

VERUM cum Lemovicénsis Ecclésiæ canonicórum, in quorum ditióne situm erat Salvatícum, necessárius esset assénsus, illum, adniténte præsértim Umbérto, fácile obtínuit Gauchérius; tamque benévolos invénit canónicos, ut eum étiam in suum númerum et órdinem cooptárent. Duplex ergo ibi monastérium ædificávit, unum pro viris, álterum pro féminis, utrúmque áutem sub régula sancti Augustíni. Quo in vitæ génere ipse réliquum ætátis exégit, ómnibus ómnium virtútum factus exémplar. Adjútor fuit sancti Stéphani in instituéndo órdine Grandimonténsi. Tandem sénio gravis, cum redíret aliquándo Lemóvicis, ex equo delápsus, ad lápidem caput allísit; quo vúlnere afflíctus, suscépto Festiáci sancto Eucharístiæ sacraménto, mox Aurélium a frátribus translátus, octogenárius, quinto Idus Aprílis beátam ánimam efflávit, statímque duóbus cláudis gressum, cæco visum, plúrimis febre laborántibus sanitátem restítuit. Ejus corpus Geráldus Lemovicénsis episcopus, túmulo compósuit, quod póstea Saibrándus præsul, Cæléstini tértii jussu, e terra ad veneratiónem sústulit. Flóruit circa annum millésimum centésimum trigésimum.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Sint lumbi. *de Comm.* 1° *loco. Lect.* IX. *de Homil. Fer., cujus fit Commem. in Laud. et Vesp., si in Quadrag.*

DIE XVIII

B. MARIÆ AB INCARNATIONE

VIDUÆ

Duplex.

Omnia de Communi non Virg., præter seq.

Pridie Vesp. de B. Maria ab Incarnatione.

ORATIO

DEUS, qui beátam Maríam ardénti honóris tui zelo, et mirábili in advérsis fortitúdine roborásti : cujus intercessióne concéde; ut advérsa ómnia fórtiter toleráre valeámus, et in sanctæ tuæ religiónis amóre persístere. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

MARÍA ab Incarnatióne, Lutétiæ Parisiórum, nobílibus piísque paréntì-

bus ortum hábuit. Jam a téneris annis, in patérna domo haud dúbia futúræ sanctitátis specimina dedit. Póstea duodecénnis puélla apud monastérium régium Longi Campi prope Parísios in disciplínam trádita est, ibique, inconsúltis paréntibus, religiósum hábitum suscípere decrévit; sed ubi agnóvit consílium illud matri suæ minus probári, a propósito suo statim recéssit, oblatísque núptiis acquiévit; vérita scílicet ne patérno repúgnans império, divínæ resísteret voluntáti. In matrimónio ita se gessit, ut, teste sancto Francísco Salésio, ómnibus qui in sǽculo vivunt, tamquam absolutíssimum christiánæ virtútis exémplum possit propóni. Etsi enim nihil magis optábat quam oratióni aliísque piis exercítiis vacáre, ómnia tamen cónjugis matrísve offícia fidéliter adimplévit.

℟. Propter.

LECTIO V

Potíssimum áutem Maríæ virtus enítuit, cum inter civílis belli tumúltus, viro primum éxsule, mox in cárcere detrúso, ipsa domo ejécta, ómnibus bonis spoliáta remánsit. Ad eam quippe inópiam redácta est, ut vix intérdum habéret unde sibi liberísque panem émeret; sed tota spe in Deum erécta, ánimum non despóndit, ac nulli pepércit labóri donec liberórum consúluit securitáti, virúmque in libertátem restítuit. Rebus ita compósitis, tota divíno cúltui augéndo et propagándo dédita, effécit ut nova religiósæ vitæ institúta in Gálliis stabiliréntur, in primis Carmelitárum excalceatárum ordo. Quod ut assequerétur, ex Hispánia accersívit venerábilem Annam a sancto Bartholomǽo et áliquot sanctæ Terésiæ alúmnas, quæ germánam régulæ formam afférrent. Plura, Deo favénte, hujus institúti monastéria brevi témporis spátio cóndita fuére, ubi tres ejus fíliæ hábitum religiónis suscepérunt.

℟. Dilexísti.

LECTIO VI

Viro póstea vita functo, ipsa in Ambianénse cœnóbium, ejus ópera fundátum, se recépit. Qua in occasióne insígne prǽbuit humilitátis exémplum : nam etsi ómnium fácile parens erat ac magístra, id unum in votis hábuit, et repetítis précibus consecúta est, ut inter soróres ínfimum locum tenéret, húmili moniális, ut vocant, convérsæ título gáudens ac ministério. Tanta in ea fuit obediéntia, ut fíliæ suæ, quæ in eódem cœnóbio priorissæ múnere áliquod tempus functa est, véluti cǽteræ

moniáles, demísse obtemperáret. Post triénnium, superiórum jussu, evocáta Pontisáram, cum ibi annum totum conversáta fuísset, diutúrno gravissimóque morbo patientíssime toleráto, inter sodálium preces et lácrymas ánimam Deo réddidit, die Aprílis décima octáva, anno Dómini millésimo sexcentésimo octávo décimo. Mórtuam Deus mirabílibus signis illustrávit : quibus rite probátis, a Pio Papa sexto inter beátos annumeráta est.

℟. Fallax grátia, et vana est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Símile est regnum thesáuro. *de Comm. non Virg.*

II. Vesp. de B. Maria ab Incarnatione.

DIE XXVI

B. M. V. DE BONO CONSILIO

Duplex majus.

Ut in Supplemento.

DIE XXVII

SANCTI ALPINIANI

CONF. NON PONT.

ET SOC. S. MARTIALIS

Semiduplex ad libitum.

Omnia ut in Communi Conf. non Pont., præter seq.

Pridie in II. Vesp. de B. M. V. de Bono Consilio, Commem. S. Alpiniani, Ant. Similábo. ℣. Amávit.

ORATIO

Deus, qui beátum Alpiniánum Confessórem tuum, dignitáte sacerdótii, glória discipulátus apostólici, ac sanctitátis munéribus adornásti : Ecclésiam tuam contínua fac celebritáte lætári; ut ejus précibus muniátur, cujus natalítiis gloriátur. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Alpiniánus una cum Austricliniáno, comes datus est Martiáli ad prædicándum Gallis Evangélium. Cum eo ígitur Roma proféctus in Gálliam, eidem in váriis labóribus et perículis quæ pro fide propagánda perpéssus est, indivíduus comes adhǽsit. Mórtuo sancto Apóstolo, non immemor eórum quæ a tanto magistro accéperat, vitæ quod supérfuit in verbi Dei prædicatióne tradúxit.

℟. Honéstum.

LECTIO V

Alpiniáni sanctitátem mirácula comprobárunt. Quemdam enim cui áltera manus arúerat, prístinæ sanitáti restítuit; álium a dǽmone vexátum liberávit; trium claudórum gressus firmávit; mórtuum infántem vitæ réddidit. Dénique cum instáre mortem, sancto Martiále reveláante, cognovísset, sodálibus suis fáu-

sta ómnia precátus, ac eósdem mœréntes consolátus, óculis ac mánibus in cælum inténtis, quinto Kaléndas Maii ad Beatórum sedes evolávit.

℟. Amávit.

LECTIO VI

Miráculis statim post mortem æque ac per vitam cláruit; nam ántequam corpus ejus tumularétur, cæco visum præbuit, cláudo gressum réddidit, paralýticos aliósque ægros sanávit, a dæmónibus vexátos liberávit. Sepúltus est juxta corpus beáti Martiális Apóstoli; póstea, circa médium noni sǽculi Roffiácum apud Bitúriges translátus est. Inde sacræ ejus relíquiæ in Occitániam ad Castrum Sarracénum, diœcésis Montis Albáni delátæ sunt.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Sint lumbi. *de Comm. Conf. non Pont.*

Vesp. de seq. Commem. præced. et S. Vitalis Mart. in Breviar.

DIE XXX

COMMEMORATIO

SANCTI EUTROPII

EPISC. ET MART.

Pridie, in Vesp. Ant. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, allelúia.

℣. Sancti et justi in Dómino gaudéte, allelúia. ℟. Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúia.

ORATIO

Deus, qui nos beáti Eutrópii Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

LECTIO IX

Eutrópius episcopus, a beáto Cleménte episcopáli consecratióne insignítus, in Gálliam ad fidem prædicándam diréctus est. Post adimplétum rite munus apud Sanctónes, illiso ab incrédulis cápite, martyr occúbuit; et, ob instántem persecutiónem, loco minus digno sepúltus est; cumque témporum lapsu, nulla nisi nóminis ejus et sanctitátis superésset memória, a fidélibus ut Conféssor Póntifex tantum, non ut Martyr habebátur, donec eum pro Christo sánguinem fudisse fuit revelátum. Refert Gregórius Turonénsis Palládium Sanctonénsem episcopum, qui concílio Parisiénsi quarto, et Matisconénsi secúndo intérfuit, in ejus honórem, labénte sǽculo quinto, basilicam exstruxisse, ad quam convocátis abbátibus, dum e túmulo sanctas Eutrópii relíquias honorificéntius collocándas transférret, duo ex

illis abbátibus, amóto opertório, conspexérunt ictu secúris illǽsum caput. Quibus étiam nocte sequénti idem sanctus appáruit, dicens : Scitóte me per eam cicatrícem quam vidístis in cápite martýrium consummásse. Ex quo, quod martyr esset, innótuit pópulis, quia non áderat história passiónis. Sancti Eutrópii memória sub sequéntibus témporibus in tota Gállia célebris facta est. Beáti Mártyris relíquiæ in ecclésia ipsi dicáta usque adhuc remansérunt, quamvis per duo sǽcula expilátæ et concremátæ créditæ fúerint. Médio fere sǽculo décimo nono sepúlcrum ejus, Deo providénte, fuit repértum, factáque sacrórum beatíssimi Mártyris pígnorum recognitióne, fidélium venerratióni rédditum est.

In Laud. Commem. S. Eutropii. Ant. Fíliæ Jerúsalem.

FESTA MAII

DIE X
SANCTI AURELIANI
LEMOVIC. EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter seq.

Pridie ad Vesp. fit a Capit. de S. Aureliano, cum Commem. præced. et SS. Gordiani et Epimachi Mm., in Breviar.

ORATIO

Deus, qui per beátum Martiálem, sanctum Aureliánum a mórtuis suscitásti, et eídem successórem elegísti : da, quǽsumus, ejus piis suffrágiis, nos de túmulo vitiórum resúrgere, sicque meritórum ejus partícipes fíeri, ut tandem te mereámur perpétuo contemplári. Per Dñm.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Aureliánus et Andréas apud Lemóvicos éthnicæ superstitiónis pontífices, beátum Martiálem fidem Christi prædicántem, flagris cæsum, cum Alpiniáno et Austricliniáno in obscúrum cárcerem conjecérunt. Quem cum claríssima lux divínitus affúsa postrídie collustrásset, et fores ad preces sanctíssimi antístitis sponte patuíssent, tota civitáte ingénti terræmótu concússa, horríbili tonítru personánte, Aureliánus et Andréas icti fúlmine periérunt.

℟. Invéni.

LECTIO V

Tanta rei novitáte permóti, pleríque sese ad Christi fidem adjunxére ;

quorum exémplum secúti sunt álii étiam pervicacióres, ubi vidérunt fúlmine percússos a mórtuis excitátos fuísse précibus beáti Martiális. Ex eo témpore Aureliánus et Andréas ab eódem sancto Martiále baptizáti ex vasis contuméliæ vasa honóris effécti, sese ei commisére formándos, ex cujus ductu anteáctæ vitæ commíssa expiárunt. Erant in précibus assídui, pane et aqua semel in die conténti.

℟. Pósui adjutórium.

LECTIO VI

Miraculórum glória máxime florére cœpit Aureliánus : quibus cum ejus sanctitátem testátam vidéret beátus Martiális, accedénte litterárum perítia, et prædicándi verbi divíni facultáte, eum sibi successórem designávit. Præcláre áutem et laudabíliter administráta per quíndecim annos Lemovicénsi Ecclésia, migrávit in cælum : cujus corpus prope sepúlcrum beáti Martiális cónditum est.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Vigiláte. *de Comm.* 2° *loco. Lect.* IX. *de SS. Gordiano et Epimacho, quorum Commem. in Laud.*

Vesp. a Capit. de seq. S. Antonino Episc. et Conf.

Commem. præced. et S. Mamerti Conf. Pont.

DIE XI

SANCTI ANTONINI

EPISC. ET CONF.

Duplex.

(*Dies fixa ex heri.*)

Omnia ut in Breviar. die 10 *hujus, præter seq.* (m. t. v.)

Pro S. Aureliano. Ant. Amávit. ℣. Justum. *Orat. ut supra.*

Pro S. Mamerto. Ant. Euge serve. *de Laud.* ℣. Elégit. *de II. Noct. in Comm. Conf. Pont.*

ORATIO

Clamántes ad te, quǽsumus Dómine, dignánter exáudi, et sicut ad preces beáti Pontíficis Mamérti, pópulo tuo in afflictióne pósito pepercísti, ita et nobis ejus intercessióne in omni tribulatióne succúrre. Per Dóminum.

IN III. NOCTURNO

Pro S. Mamerto Episc. et Conf.

LECTIO IX

Mamértus circa témpora Clodovǽi magni, post Simplícium Viennénsis epíscopus, ipsa domínicæ Resurrectiónis vigília, deflagránte regális palátii arce, cum cives facultátibus domibúsque suis metuéntes, ex ecclésia discessíssent, ipse solus in ea remánsit, et lácrymis ac oratiónibus incéndium exstinguere méruit. Sed jam ántea, fere per anni spátium, frequén-

tes terræ motus plures ejúsdem civitátis domos et basílicas concússerant, insóliti quoque sónitus noctúrni, et lupi, ursi ac cervi per urbem oberrántes exitiále quiddam ac ferále minitabántur. Quæ flagélla ut avérteret, eádem nocte, cívibus post exstínctum incéndium ad ecclésiam revérsis, ánimo concépit instítúere solémnes Litanías usitátis sanctióres. Has Litanías solemnióres Mamértus póstea indíxit tríduo ante Ascensiónem Dómini celebrándas in jejúniis, compunctióne cordis, précibus et eleemósynis, ad quas univérsis fidélibus concurréntibus, coórta cessávit calámitas. Eas supplicatiónes mox in tota Gállia præscríptas et observátas, Roma ipsa Leónis tértii auctoritáte ampléxa est. Hic étiam invéntum corpus sancti Ferréoli cum cápite sancti Juliáni Mártyris, in urbem suam tránstulit. Post mortem, corpus ipsíus in basílica Apostolórum extra muros Viénnæ sepúltum, deínde Auréliam ad ecclésiam sanctæ Crucis allátum est.

Ad Laud. Commem. S. Mamerti, Ant. Sacérdos. ℣. Amávit. *e I. Vesp. Orat. ut supra.*

In II. Vesp. Commem. SS. Nerei, etc., ut in Breviario.

DIE XIII

SANCTI GUALTERII
STIRPENSIS ABBATIS

Semiduplex ad libitum.

Omnia de Comm. Abbat., præter seq. (m. t. v.)

Pridie, Vesp. a Capit. de S. Gualterio, Commem. præced.

Orat. Intercéssio.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Gualtérius, Confluénti nobílibus paréntibus natus, ab ineúnte ætáte totum se ad pietátis et sacrárum litterárum stúdia cóntulit. Sub disciplína sancti Israélis, Ecclésiæ Doraténsis præcentóris, degens, hujus ecclésiæ factus est canónicus. Verum cum ejus verba et exémpla graváte ádmodum ferrent qui a virtútis sémita jam defécerant, in eórum ódium et inimicítias íncidit; quas ut declináret, in desértum locum secéssit, ædículæ sanctæ Catharínæ contíguum : unde a canónicis Stirpénsibus adscítus est, et mox eórum regímini præféctus.

℟. Honéstum.

LECTIO V

Hoc in múnere ea erga síngulos discretióne se gessit, ut illum omnes commúni amóre diligerent, acceptúsque fúerit Victóri secúndo, Summo Pontífici.

Quanto plus misericórdiæ impendébat in álios Gualtérius, eo magis in se sæviébat, jejúniis, vigíliis et flagéllis. Séptimo ante mortem anno, oculórum usu orbátus, præclára, in hac infirmitáte, ut in multis quibus virtus ejus probáta est advérsis, patiéntiæ specímina præbuit.

℟. Amávit.

LECTIO VI

Tandem, exáctis in cœnóbii præfectúra trigínta et octo annis, febre corréptus est, perceptísque sacraméntis, in ecclésia, in quam deférri se jússerat, cínere et cilício tectus, óbiit, quinto Idus Maii, anno septuagésimo supra millésimum, tantam suæ sanctitátis existimatiónem relínquens, ut brevi natális ejus solémnitas institúta fúerit, et a Stirpénsibus patrónus una cum sancto Petro Apóstolo, hábitus sit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus. *de Comm. pro Abbat.*

In II. Vesp. a Capit. de seq. Commem. præced. et S. Bonifacii Mart. in Breviar.

DIE XIV

SS. CLETI ET MARCELLINI

PONT. ET MART.

Semiduplex.

(*Dies fixa e* 26 *Aprilis.*)

Omnia ut in Breviar. ad diem 26 *Aprilis. Lect.* IX. *et Commem. S. Bonifacii Mart. hac die* 14 *Maii.*

Vesp. de seq. S. Isidoro Conf., Commem. præced.

DIE XV

S. ISIDORI AGRICOLÆ

CONFESSORIS

Duplex.

Ut in Supplem.

DIE XVI

S. JOANNIS NEPOMUCENI

MARTYRIS

Duplex.

Ut in Supplem. 1° *loco.*

DIE XXI

S. FELICIS A CANTALICIO

CONFESSORIS

Semiduplex.

Ut in Supplem.

DIE XXII

SANCTI LUPI

LEMOV. EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq.

ORATIO

Memóriam recoléntes beáti Lupi, quem in opus ministérii episcopális eléctum mirabíliter ostendísti; te Dómine exorámus: ut ejus intercessióne, per bona ópera, certam nostram vocatiónem et electiónem faciámus. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Lupus laudábilis vitæ présbyter, túmuli sancti Martiális fidélis custos, mira sanctitáte flóruit, et non sine miráculo Lemovicénsis Ecclésiæ factus est antístes. In locum episcopi vita functi ambigéntes clerus et pópulus quem sufficerent, postquam ad sepúlcrum beáti Apóstoli preces fudíssent, inter se tandem convenérunt ut probitáte insígnes duo, Lupus et álius ítidem sacérdos, ad regem mitteréntur, qui utrum vellet elígeret, plúribus tamen in Lupum propendéntibus. Cum eam legatiónem vir sanctus ab omni ambitióne aliénus, aliquámdiu recusásset, importúnis précibus exorátus, iter tandem suscépit. ℟. Invéni.

LECTIO V

Lupo nec nobilitáte, nec véstium splendóre insigni, fácilis ad regem non pátuit áditus. Verum, filio Clotárii gráviter ægrotánte, evénit ut regína post triduánum jejúnium divínitus admónita, ad Lupi preces confúgerit ut sanarétur; et vero, celebráto per virum Dei sacrifício, puer sanátus est. Eo miráculo rex permótus, de Lupo eligéndo libénter assénsit, eúmque nónnisi multis munéribus donátum dimísit.

℟. Pósui.

LECTIO VI

Opiniónem de se concéptam non feféllit novus epíscopus; nam qui dignitáte célsior, vitæ sanctitáte et pastoráli vigilántia éxstitit sublímior. Fundatióni Solemniacénsis monastérii, a sancto Elígio cónditi, consénsum præbuit, litterísque sancti Elígii, ea de re cum áliis epíscopis subscrípsit. Clarus dénique miráculis, óbiit undécimo Kaléndas Június. Ejus sacrum corpus, miráculis insígne, in basílica sancti Martiális tumulátum, e terra levávit Geráldus, Lemovicénsis epíscopus, anno millésimo centésimo quinquagésimo octávo, et in ecclésiam sancti Michaélis de Leónibus tránstulit, ubi usque in hodiérnum diem religiosíssime cólitur.

℟. Iste est qui ante Deum.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Vigiláte. *de Comm.* 2° *loco.*

In II. Vesp. Commem. seq.

DIE XXIII

SANCTI UBALDI

EPISC. ET CONF.

Semiduplex.

(*Dies fixa ex* 16 *hujus.*)

Omnia ut in Breviar., die 16 *hujus.*

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis.

DIE XXIV

B. MARIÆ VIRGINIS

SUB TITULO

AUXILIUM CHRISTIANORUM

Duplex majus.

Ut in Supplem.

Commem. S. Ubaldi Episc. et Conf. Ant. et ℣. ex II. Vesp. de Comm. Conf. Pont.

Postea Commem. S. Yvonis Conf. Ant. et ℣. e I. Vesp. de Comm. Conf. non Pont.

ORATIO

Deus, qui beátum Yvónem Confessórem tuum, piis opéribus, signis et virtútibus in Ecclésia tua clarére fecisti : præsta, quǽsumus; ut ejus méritis et précibus tua beneficia capiámus. Per Dóminum.

Pro S. Yvone.

LECTIO IX

Yvo, nobílibus paréntibus natus, in diœcési Trecorénsi, Lutétiæ et Aureliánis óperam lítteris dedit. Judex ecclesiásticus ab archidiácono Rhedonénsi primum est constitútus, deinde étiam a duóbus Trecorénsibus episcopis, Aláno scílicet et Gaufrédo. Fuit rector uníus paróchiæ, per octo annos, et póstea altérius per decem annos. Perpétuus viduárum, orphanórum, aliorúmque miserabílium fuit patrónus vigilantíssimus et indeféssus. Oratióni assídue vacábat sicut et verbi Dei prædicatióni. Cum Aureliánis versarétur, cœpit a cárnibus et vino abstinére; quod per totum vitæ tempus observávit, sǽpius pane solo conténtus. In páuperes fuit liberalíssimus, ita ut quidquid habéret, in eórum usus expénderet. Ejus domus erat páuperum hospítium. Aliquándo bis et ter in die conciónes habébat ad pópulum, nec ad concionándum accedébat, quin prius preces ad Deum fudísset; sǽpius étiam lácrymis obórtis inter concionándum multóties flere visus est. Tanta erat in eo dicéndi vis, ut ipsi Spíritus divínus loquénti verba suggérere viderétur. Multa mirácula per ipsum Deus operátus est. Prídie quam morerétur, extrémam unctiónem máxima cum reveréntia suscépit, super strámine jacens. Mórtuus est anno ætátis círciter quinquagésimo, et a Cleménte sexto sanctórum catálogo solémniter adscríptus est.

Si transferatur Festum B. M. V. Lect. IX. *ut in Supplem.*

In Laud. fit Commem. S. Yvonis Conf. Ant. Hic vir. ℣. Justum.

DIE XXVII

S^TÆ MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS VIRG.

Duplex.

Omnia ut in Breviar., hac eadem die, sub ritu Dupl.

Pridie, Vesp. a Capit. de

S. Maria Magdalena; Commem. præced. et S. Joannis Papæ et Mart., in Breviar.

DIE XXIX

B. JOANNIS BAPTISTÆ
DE LA SALLE
CONFESSORIS

Duplex.

(*Dies fixa e 4 Maii.*)

Omnia de Communi Conf. non Pont., præter seq.

Pridie, Vesp. a Capit. de seq. Commem. præced.

AD VESPERAS

HYMNUS

ALMA quem Sion célebrat beátum
Hac die festa decet, o Joánnes,
Nos tuas sacras memoráre dulci
Cármine láudes.

Degis in terra comes Angelórum,
Qui student flori juvenílis ævi,
Semper in cælis simul intuéntes
Núminis ora.

Dum tenent curæ vígiles scholárum,
Súblevat mentem fídei volátus;
Pro Deo pugnans, ánimas requíris
Inclytus heros.

Te pium láudant púeri patrónum,
Te ducem sanctum récolunt magístri,
Te vocant cuncti méritis poténtem :
Omnibus adsis.

Sit decus summæ Tríadi perénne,
Quæ dat infánti resonáre láudem
Integram; linguæ fateántur omnes
Cuncta regéntem.
Amen.

Ad Magnif. Ant. Sínite párvulos veníre ad me, et ne prohibuéritis eos : tálium est enim regnum Dei.

ORATIO

DEUS, qui ad salutárem páuperum eruditiónem, ac dandam párvulis sciéntiam, beátum Joánnem Baptístam Confessórem excitásti, et novam per eum in Ecclésia famíliam collegísti : da eos, quǽsumus, qui christiánam instítuunt infántiam, ejúsdem semper exémplis insístere, et intercessióne profícere. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Hymn. Alma quem Sion. *ut supra ad Vesp.*

IN I. NOCTURNO

Lect. Beátus vir. *de Communi 2° loco.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

JOÁNNES Baptísta de la Salle, Societátis Fratrum Scholárum Christianárum institútor, Rhemis ex claro génere ortus, se prǽstitit adhuc puer in pietátem pronum, a sǽculi illécebris omníno aliénum. Audíre et narráre Sanctórum gesta, dógmata religiónis edocéri,

litánti sacerdóti ministráre, púeris in choro canéntibus jungi, hæc fuérunt tenéllæ ejus ætátis delíciæ, quæ jam innuébant ipsum in sortem Dómini esse vocándum. Púerum vidére erat mitem docilémque apud magistros, comem cum sodálibus, sédulum in addiscéndis litterárum rudiméntis. In universitáte Rheménsi, ubi philosóphiæ óperam dedit, carus páriter ob virtútes animíque dotes magístris et æquálibus; a quorum tamen societáte abstinébat solitúdini pietatísque opéribus vacatúrus. Annum agens décimum séptimum clericáli coróna decorátur, et mox canonicátu in ecclésia metropolitána insignítur. Lutétiam Parisiórum deinde missus ut ad theológicas disciplínas ánimum convérteret, in seminário sancti Sulpítii commorátus est, ubi quaque excélluit regulárum custódia, contémptu fluxárum mundi rerum, humilitáte, comitáte, cæterísque cleri virtútibus. Paréntibus orbátus, in patérnam domum revértitur, ut fratrum sororúmque educatióni incúmberet. Neque tunc tamen relíquit sacram theologíam, cujus curriculum partim Rhemis, partim íterum Parísiis complévit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus.

LECTIO V

Sacerdótio demum áuctus, aram conscéndit seráphicæ velut caritátis igne flagrans. Nec umquam in eo tépuit divínus ille ardor pietátis : quotídie enim sacrum fecit non modo sanus, sed et advérsa valetúdine fractus, sempérque tanta religióne, ut non raro qui áderant, ad meliórem frugem revocáti discéderent. Et quóniam nóverat sacerdótis esse animárum salúti studére, non distulit óperam suam in id conférre cum omni quidem prudéntia, humilitáte, patiéntia et doctrína. Scholárum ab Infánte Jesu nuncupatárum, quas diréctor suus institúerat ad puellárum páuperum educatiónem procurándam, et caritáti suæ commendáverat, régimen suscépit, eásque prudentíssime moderári cœpit, strénue eásdem defféndens ab oppugnatiónibus, calúmniis et insídiis adversariórum. Hujúsmodi experiméntis et labóribus divína providéntia servum suum accingébat ad opus præcípuum, quod ipsíus curis paráverat, scilicet ad novam condéndam religiósam famíliam, quæ christiánas puerórum scholas institúeret ac dirígeret. Quod opus tunc solúmmodo incéptum, cum fúerit Joánni Baptístæ demandátum, ejus ópera absólvi tandem pó-

tuit, ac miro modo propagári cœpit.

℟. Amávit eum.

LECTIO VI

Servus igitur Dei adjúnxit sibi viros probos ac pios, quos domi recéptos, sumptu suo áluit, atque cum illis conversátus, favénte consórtio labórum, eos mente sua ímbuit et instrúxit. Hæc fuére incunábula congregatiónis Fratrum Scholárum Christianárum, quam approbávit Benedíctus tértius décimus, et rex ipse christianíssimus privilégiis dotávit régio diplómate. Régula, quam discípulis suis pius institútor trádidit observavítque ipse accuratíssime per quadragínta annos, páriter póstea confirmáta est auctoritáte Apostólica. Quot vero vir Dei exantláverit labóres, quantis calúmniis fúerit impetítus, quam sancte et generóse hæc ómnia toleráverit, quantum inter tot advérsa se exhibúerit minístrum irreprehensíbilem et virum juxta cor Dómini, verbis dícere árduum est. Cum esset sápiens, quæsívit verba utília et conscrípsit libros spirántes suavíssimos pietátis sensus, et tenérrimæ juventútis cáptui accommodátos. Sibi semper constans, simplex, rectus, húmilis et obédiens, terréna quæque contémnens, abhórrens pervérsas doctrínas, quæ tunc Ecclésiam vexáverant, sanctæ Sedi Apostólicæ fírmiter addíctus, ab honóribus aliénus, dimísso canonicátu, património paupéribus erogáto, ipsáque præpositúra suæ Congregatiónis abdicáta, quo rerum divinárum contemplatióni libérius vacáret, se recépit in domum sancti Iónii prope Rothómagum, quam sibi et frátribus comparáverat; et ibi Deo júgiter inténtus, quo die Christus ánimam pro nobis pósuit, eódem suam Christo réddidit, nondum septuagenárius, sed refértus opéribus bonis, de religióne óptime méritus. Quem heróicis floruísse virtútibus Pius nonus declarávit, ac Leo décimus tértius miráculis ejus intercessióne patrátis rite recógnitis, in Beatórum albo solémniter inscrípsit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

LECTIO VII. *Cap.* 18.

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno cælórum? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

In cap. 18. *Matth. Hom.* 60.

Vidéte ne áliquem istórum contempséritis parvulórum, quia eórum An-

geli Patris mei fáciem semper adspíciunt, et quia ego propter eos veni, et hæc Patris mei volúntas est. Ad tuéndos conservandósque pusíllos diligentióres nos reddit. Pérspicis quam ingéntia in tutélam tenúium mœnia eréxerit, et quantum stúdium curámque hábeat, ne perdántur, tum quia suprémas despiciéntibus eos pœnas státuit, tum quia summam pollicétur mercédem his qui curam eórum suscípiunt, idque tam suo quam Patris exémplo corróborat.

℟. Iste est.

LECTIO VIII

Dóminum ígitur étiam nos imitémur, et nihil pro frátribus omittámus, étiam eórum quæ humília vilíaque nímium vidéntur; sed si administratióne nostra étiam opus fúerit, quamvis ténuis atque abjéctus quidem, cui administrándum sit, fúerit, quamvis árdua nobis res, atque labóris plena esse videátur, ómnia hæc pro fratris salúte tolerabilióra facilióraque, oro, videántur; tanto enim stúdio tantáque cura Deus dignam esse ánimam osténdit, ut neque Fílio suo pepércerit.

℟. Sint lumbi.

LECTIO IX

Si non est nobis satis ad salútem, quod virtuóse ipsi vivámus, sed opórtet aliórum salútem re ipsa desideráre; cum neque nos recte vivámus, neque álios hortémur, quid respondébimus? Quæ nobis spes salútis réliqua erit? Quid majus, quam ánimis moderári, quam adolescentulórum fíngere mores? Omni certe pictóre, omni certe statuário, cæterísque hujúsmodi ómnibus excellentiórem hunc duco, qui júvenum ánimos fíngere non ignóret.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1. Qui ad justítiam erúdiunt multos : quasi stellæ in perpétuas æternitátes fulgébunt.

Ps. Dóminus regnávit, *cum reliq.*

2. Veníte fílii, audíte me: timórem Dómini docébo vos.

3. Beátus homo, quem tu erudíeris Dómine, et de lege tua docúeris eum.

4. Declarátio sermónum tuórum illúminat, et intelléctum dat párvulis.

5. Bonum est viro, cum portáverit jugum ab adolescéntia sua.

HYMNUS

Qui mente, factis, péctore
Totum tibi se trádidit,
Jesu, beátum férvidis
Hymnis Joánnem pángimus.

Pura ad fluénta cónvocans
Virtútis et sciéntiæ,
Ad te veníre párvulos
Amóre victos cómpulit.

Ut stilla rorans grámina,
Mentes tenéllas ímbuit;
Divísque sparsit flóribus
Arctam salútis sémitam.

At nunc supérno e lúmine,
Qui junctus adstat Angelis,
Hæc ipsa nobis ímpetrans
Pergat tuéri infántiam.

Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre et almo Spíritu :
Da, quo beántur cǽlites,
Vultu tuo nos pérfrui.
Amen.

Ad Bened. Ant. Non est volúntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, ut péreat unus de pusíllis istis.

IN II. VESPERIS

Omnia ut in primis, præter seq.

Ad Magnif. Ant. Amen dico vobis, qui suscéperit unum párvulum talem in nómine meo, me súscipit.

Commem. seq.

DIE XXX

S. FERDINANDI III.

REGIS ET CONF.

Ut in Supplem. sub ritu Semiduplici ad libitum.

Vesp. de seq., Commem. præced. et S. Petronillæ.

FESTA JUNII

DIE I

SANCTI CLARI

EPISC. ET MART.

Duplex majus.

Omnia de Comm. unius Mart. Temp. Pasch., præter seq.

ORATIO

Deus, qui beáti Clari Mártyris tui atque Pontíficis prædicatióne de infidelitátis ténebris pópulos in admirábile Evangélii lumen transtulísti : fac ut ejus intercessióne crescámus in grátia et cognitióne Dómini nostri Jesu Christi Fílii tui : Qui tecum vivit.

Et fit Commem. præced. S. Angelæ Mericiæ Virg.

IN I. NOCTURNO

Lect. A Miléto. *ut in Communi unius Mart.* ℟℟. *de Comm. Mart. in Tempore Pasch.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Clarus, in Africa natus, zelo animárum ǽstuans, et spíritu Dei ductus, cum sex áliis sóciis, Justíno, Gerúnto, Sevéro, Polycárpo, Joánne et Babílio, relícta pátria, iter versus Romam, ab Apostólica Sede missiónis obtinéndæ grátia, instituísse dícitur. Dum áutem vela fácerent, ad urbem Joppen appúlsi, plúrimos ibi infidéles ab idólis et dæmonum servitúte revocárunt. Commóta vero in eos civitátis príncipum ira, quod deórum cultum exstinguerent, hinc abíre coácti, Romam tandem de-

véniunt. Ibi Clarus sacris initiátus a Summo Pontífice et dignitáte episcopáli insignítus, ab eódem in Gállias míttitur. Primum Aquitániæ pópulis Christum annúntians, incredíbile dictu quot ex illis, præsértim inter Lemovicénses et Albiénses, pietátis luce, virtútum omnimodárum mirabílibus gestis, máxime vero ardénti prædicatióne, ad Evangélium tradúxerit.

℟. Lux perpétua.

LECTIO V

SED non intra fines Aquitániæ continéri pótuit tanti episcopi zelus vere apostólicus. Colóniam Agrippínam præ áliis civitátibus idololatríæ déditam, cum Babílio sócio proféctus, non cives modo, sed et ipsos idolórum pontífices exundántis doctrínæ efficácia, ac miraculórum multitúdine, ut uni vero Deo famularéntur indúxit. Inde ad Albiénses revérsus, Albigam urbem pene totam ad Dei cultum páriter adjúnxit, unde primus Albiénsium episcopus in dípticis Ecclésiæ repónitur. Tandem dum álias ex áliis urbes pervádit, magna utrobíque pro salúte animárum singuláris suæ caritátis relínquens vestígia, Lactóram in Vascónia áppulit; cumque ibi suo more christiánæ religiónis documénta próponit ad pópulum, acti in furórem idolórum sacrificuli, abréptum contumelióse detrúdunt in cárcerem. Ex hoc edúctum, ac Diánæ sacrificáre noléntem, per loca dumis et vépribus horréntia nudum trahi, repetitísque ictibus plumbatárum, in catásta exténtum illum contúndi júdices præcipiunt. Multa demum ália perpéssus, cum nec acerbitáte, nec diuturnitáte suppliciórum vincerétur, extra urbis mœnia cápite truncátus, martýrii palmam adéptus est.

℟. In servis.

LECTIO VI

CELEBRÁTUR sancti Clari memória ad diem primam Június, non Albigæ ac Lactóræ solum, sed et in multis áliis ecclésiis, præsértim vero Tutelénsi et Burdigalénsi, in quibus relíquiæ ejus asservántur. Solet imprimis invocári pro morbis oculórum sanándis, et quando propelléndа est plúvia, cælíque serénitas expétitur; in quo génere auxílium illíus Tutelénses sibi frequénter adésse sensérunt. Porro hujus sancti Mártyris reliquiárum translátio jam ab annis plusquam octingéntis facta, in vetustíssimo Tutelénsis Ecclésiæ Breviário notáta repétitur, die vigésima octáva mensis Maii. In eádem Ecclésia, síngulis recurréntibus septénniis,

juxta piam æque et antíquam consuetúdinem, beáti Clari cránii pars insígnis pópulis viṡénda et publícitus honoránda propónitur, atque ad fovéndam fidélium pietátem perpétuas indulgéntias pro septenária ejúsmodi solemnitáte Summi Pontífices concessére.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

LECTIO VII. *Cap.* 10.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Non est discípulus super magístrum, nec servus super dóminum suum. Et réliqua.

Homilía sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris.

Epist. 56. *quæ est de exhortatione ad Martyr. ad Thibaritanos.*

Gaudére nos in persecutiónibus vóluit Dóminus : quia tunc dantur corónæ fídei, tunc probántur mílites Dei, tunc martýribus patent cæli. Neque enim sic nomen milítiæ dédimus, ut pacem tantúmmodo cogitáre, et recusáre milítiam debeámus, quando in ipsa milítia primus ambuláverit Dóminus, humilitátis et tolerántiæ et passiónis magíster; ut quod fíeri dócuit, prior fáceret, et quod pati hortátur, prior pro nobis ipse paterétur. Sit ante óculos, fratres dilectíssimi, quod qui omne judícium a Patre solus accépit, et qui ventúrus est, et judicatúrus, jam judícii sui et cognitiónis futúræ senténtiam prætúlerit, prænúntians et contéstans confessúrum se coram Patre suo confiténtes, et negatúrum negántes.

℟. Ego sum vitis.

LECTIO VIII

Neque áliquis persecutiónis metu sic terreátur, ut non evangélicis exhortatiónibus et præcéptis, ac mónitis cæléstibus, ad ómnia inveniátur armátus; iráscitur adversárius et minátur, sed est qui possit de mánibus ejus liberáre. Ille metuéndus est cujus iram nemo potest evádere, ipso præmonénte et dicénte : Ne timuéritis eos qui occídunt corpus, ánimam áutem non possunt occídere; magis áutem metúite eum qui potest et corpus et ánimam occídere in gehénnam. Et íterum : Qui amat ánimam suam perdet illam; et qui odit ánimam suam in isto sǽculo, in vitam ætérnam conservábit illam. Ecce agon sublímis et magnus, et corónæ cæléstis prǽmio gloriósus. Præliántes nos spectat Deus, spectant Angeli, spectat et Christus. Quanta est glóriæ dígnitas, quanta felícitas, præsénte Deo, cóngredi, et Christo júdice coronári!

℟. Cándidi.

277

LECTIO IX

Armémur víribus totis, et parémur ad agónem mente incorrúpta, fide íntegra, virtúte devóta. Armat nos Apóstolus dicens : Indúite arma Dei, ut póssitis resístere in die nequíssimo. Induámur lorícam justítiæ, ut contra inimíci jácula munítum sit pectus et tutum. Calceáti sint evangélico magistério, et armáti pedes; ut cum serpens calcári a nobis cœperit, mordére et supplantáre non possit. Portémus scutum fídei, quo protegénte, quidquid jaculátur inimícus possit exstíngui. Accipiámus ad teguméntum cápitis gáleam salutárem, ut muniántur áures, ne áudiant edícta ferália : muniántur óculi ne vídeant detestánda simulácra : muniátur frons, ut signum Dei incólume servétur : muniátur os, ut Dóminum suum Christum victrix lingua fateátur. Armémus et déxteram gládio spirituáli, ut sacrifícia funésta fórtiter réspuat. Et Eucharístiæ memor, quæ Dómini corpus accépit, ipsum complectátur, póstea a Dómino sumptúra prǽmium cæléstium coronárum.

Te Deum laudámus.

In II. Vesp., Commem. SS. Pothini, Blandinæ etc. Mart. Ant. et ℣. de I. Vesp. plurim. Mart.

Deinde fit Commem. SS. Marcellini, Petri et Erasmi Mart. Ant. et ℣. de Laud., in Comm. plurim. Mart.

DIE II

SS. POTHINI EPISC. BLANDINÆ VIRGINIS ET SOCIOR. MARTYRUM

Semiduplex ad libitum.

Omnia de Comm. plur. Mart. Temp. Pasch., præter seq.

ORATIO

Mártyrum tuórum Dómine Pothíni, Blandínæ et Sociórum palmas ánnua celebritáte venerántes, súpplices te rogámus : ut, quos glória cæléstí sublimásti, nobis pérpeti suffrágio concédas subveníre. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Beatíssimus Pothínus, Lugdunénsis epíscopus, nonagenário major, ob córporis infirmitátem vix spíritum trahens, sed præ cupiditáte Martýrii mira alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal trahebátur. Quo perlátus, prosequéntibus ipsum magistrátibus civitátis, et univérsa plebe váriis eum clamóribus impeténte, tamquam ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium. Interrogátus a prǽside quisnam esset Christianórum Deus, respón-

dit: Si dignus fúeris, cognósces.

℟. Lux perpétua.

LECTIO V

Post hæc inhumáne raptátus, et innúmeris plagis afféctus est, cum ii quidem qui própius adstábant cálcibus et pugnis illum contumelióse appéterent, qui vero lóngius distábant, quidquid ad manum erat, in ipsum conjícerent; omnes dénique gravíssimi piáculi reos se existimárent nisi pro sua quisque parte ei petulánter insultáret. Exinde, vix adhuc spirans, in cárcerem projéctus est, tandémque post bíduum, ánimam exhalávit.

℟. In servis.

LECTIO VI

Matúrus neóphytus, et diáconus Ecclésiæ Viennénsis nómine Sanctus, cum Blandína ancílla, et Attalo, ducti sunt ad béstias in amphitheátrum. Et Matúrus quidem ac Sanctus consuéta illic flagrórum vérbera pertulérunt, et bestiárum ipsos trahéntium morsus, ipsam postrémo férream cathédram, cui superpósita Mártyrum membra cum torreréntur, illórum nares molestíssimus nidor implébat. Hi ergo máximo certámine perfúncti, cum vitálem spíritum diu protraxíssent, tandem juguláti sunt. Blandína áutem, post flagra, post béstias, post sartáginem, retículo inclúsa, táuro objécta est, a quo diu in altum jactáta, demum et ipsa víctimæ instar juguláta est.

℟. Fíliæ Jerúsalem.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ego sum vitis. *de Comm.* 2° *loco, Tempore Paschali.*

Lect. IX. (*duabus in unam junctis*) *de SS. Marcellino, Petro et Erasmo Mart., ut in Brev., hac die; quorum Commem. in Laud., per Ant. et* ℣. *de I. Vesp.*

Vesp. de seq. Commem. præced.

DIE III

SANCTÆ CLOTILDIS

REGINÆ ET VIDUÆ

Duplex.

Omnia de Communi non Virg. et non Mart., præter seq.

ORATIO

Réspice, quǽsumus Dómine, ad Francórum benígnus impérium; et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti, iísdem nunc per ejus intercessiónem tribue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Clotíldis, Chilperíci Burgundiónum regis fília, post paréntum necem a

pátruo Gundobáldo rege educáta, Clodovæo adhuc éthnico in cónjugem trádita est. Cum primogénitum peperisset, eum, toleránte magis quam approbánte Clodovæo, baptizári jussit. Quo infánte in albis defúncto, id ægre ádmodum tulit Clodovæus, ac baptísmo imputávit. Alterum filium regína cum genuísset, hunc quoque baptizári vóluit. Qui cum ægrotáre cœpisset, affirmánte rege fore ut idem ei quod fratri contingeret, matris précibus conváluit.

℟. Propter.

LECTIO V

At regína non cessábat hortári virum ut, abjécta idololatría, Deum verum cóleret : sed ille, superstitióni Francórum adhærére non déstitit, donec in expeditióne Alamánnica, inclinátam cernens suam áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Remos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium, a quo rex, fidem edóctus, baptizátus est et chrísmate sacro inúnctus.

℟. Dilexísti.

LECTIO VI

Post mortem Clodovæi, Túrones ádiit Clotíldis, ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni summa pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemósynis aliísque piis opéribus inténta, muníﬁca erga ecclésias et monastéria. Tandem plena diérum, Túronis migrávit ad Dóminum; et Parísios inter psalléntium choros transláta, sepúlta est a filiis suis Childebérto et Clotário régibus ad latus Clodovæi, in sacrário basílicæ beatórum Petri et Páuli, ubi corpus sanctæ Genovéfæ diu quiévit.

℟. Fallax.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Símile est thesáuro. *de Comm.*

In II. Vesp. a Capil. de seq., Commem. præced.

DIE VII

SANCTI LIPHARDI

CONF. NON PONT.

Semiduplex ad libitum.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq. (m. t. v.)

Pridie, ad Vesp. Commem. S. Liphardi. Orat. Intercéssio. *de Communi pro Abbatibus.*

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Sanctus Liphárdus, abbas, sancti Leonárdi frater, nobílibus paréntibus Aurélíæ natus, eam instituit in adolescéntia vitam ut propter exímiam eju prudéntiam et doctrinar adhuc júvenis in júdicer

ómnium suffrágio eléctus fúerit. Hoc in offício sic se hábuit, ut, némini moléstus, ómnibus amábilis esset : neque enim patiebátur se ábripi ullo ánimi motu qui supérbiam aut invídiam redoléret; sed lenitáte verbórum, æquitáte sententiárum, mansuetúdine morum et vitæ integritáte, ómnium ánimos et voluntátes sibi fácile devinciébat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus.

LECTIO V

Quamvis máximo cum urbis bono præésset ómnibus ut judex, máluit tamen subésse áliis tamquam Christi discípulus, ut daret aliquándo exémpla obediéntiæ religiósæ qui tóties exémpla déderat prudéntiæ christiánæ. Itaque pertǽsus vitæ sæculáris, ad ecclesiásticam tránsiit, in qua minóribus ordínibus primum, deínde diaconátui initiátus, secéssit in montem Magdúnum prope Auréliam situm, ut Deo sibíque víveret solus, qui áliis ad annum ætátis quadragésimum in urbe cum láude víxerat. In illo desérto inter feras degébat ut Angelus, hordeáceo pane et aqua conténtus, sacco indútus, et cilício non sine ómnium stupóre mirábilem ducébat vitam.

℟. Amávit eum Dóminus.

LECTIO VI

Non diu solus egit in desérto vitam : multi enim ejus sanctitátis fama permóti, ad eum convolárunt, ut virtútem doceréntur religiósam sub tanto præceptóre, qui verbo præíbat áliis et exémplo. Inter álios venit ad eum Marcus, Aurelianénsis episcopus, qui ejus sanctitátem admirátus, sacerdótem consecrávit. Miráculis clarus, serpéntem stupéndæ magnitúdinis précibus occídit: cláudos aridósque membris sanávit : res máxime ábditas prævídit: ánimam Theodémiri Abbátis inter Angelórum manus in cælum evolántem vidit, et a Deo mónitus ejus fúneri intérfuit. Tandem elécto in successórem Urbico, ejus discípulo, plenus diérum et óperum inter fratrum discipulorúmque suspíria, cæléstem ad pátriam, quam únice quærébat, circa médium sǽculi sexti transívit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ecce nos. *de Comm. Abbatum.*

DIE XIII

COMMEM. S. PSALMODII CONFESSORIS

Pridie, ad Vesp. Ant. Euge serve bone. *e Laud.* ℣. Os justi. *e II. Noct. de Communi Confessoris non Pontificis.*

ORATIO

Da nobis, quǽsumus Dómine, Spíritum cui beátus Psalmódius servívit : ut eódem repléti, débitas tibi láudes devóte persolvámus, et hujus mundi cadúca spernéntes, ad bona cæléstia júgiter adspirémus. Per Dóminum... ejúsdem Spíritus.

Si Festum S. Joannis a S. Facundo, vel Festum S. Antonii alia die celebretur, Ant. et ℣. immutentur juxta rubricas.

LECTIO IX

Psalmódius, Gregório Magno coætáneus, in Majóri Británnia claro génere natus, divínis lítteris et christiánis móribus educátus est. Adhuc júvenis, cum in líttore maris supra fascem algæ obdormísset, alga ab aquis eleváta támdiu illum sustínuit, donec recedéntes fluctus divínas láudes decantántem in líttore incólumem relínquerent. Ætáte crescens, in Aquitániam apud Sanctónes recéssit, ubi a beáto Leóntio epíscopo honorífice excéptus est, et aqua quæ ejus mánibus abluéndis insérvíerat, Leóntii jussu cæcæ mulíeris óculis adhíbita, ipsi visum restítuit. Verum cum ejus fama crebris miráculis propagarétur, in Lemovícium perréxit, et ibi, in némore densíssimo non longe ab Aentimonastério, locum aspérrimum solitáriæ vitæ idóneum nactus, remánsit. In oratióne ita fuit assíduus, ut quotídie præter cǽteras preces, intégrum Psaltérium recitáret: unde Psalmódii nomen sortítus est. Abstinéntia ejus mirábilis fuit, ita ut totam vitam, diébus solemnióribus excéptis, in jejúniis ágeret. Psalmódii sanctitátem étiam in Lemovício crebra et vária mirácula comprobárunt. Aquitániæ ducis fíliam colúbri morsu periclitántem aqua benedícta sanávit. Energúmenam a dǽmone liberávit. Alteri cæcæ visum réddidit. Tot dénique prodígiis cláruit, ut cum latére vellet, soliúsque Dei glóriam quǽreret, ejus humílitas a Deo pétere eum coégerit, ut nullum ámplius patráret miráculum. Vitæ cursu cum admirábili sanctitáte conficto, Idibus Június ad Beatórum sedes evolávit. Ejus corpus miráculis insígne Aentimonastérii cónditum est, ubi summa religióne cólitur.

Ad Laud. Ant. Similábo. *et* ℣. Amávit. *e I. Vesp.*

DIE XV

SANCTÆ GERMANÆ COUSIN VIRGINIS

Duplex.

Omnia de Comm. Virg., præter seq.

Pridie a Capit. de san-

cta Germana, ex Comm. Virg. non Mart., Commem. præced. et SS. Viti, etc., Mart., ut in Brev.

ORATIO

Deus, humílium celsitúdo, qui beátam Germánam Vírginem tuam caritátis et patiéntiæ decóre excéllere voluísti : ejus méritis et intercessióne concéde; ut crucem júgiter feréntes, te semper dilígere valeámus. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Germána Cousin Píbraci, quod óppidum est Tolosánæ diœcésis, húmili loco nata, ab ipsa pene infántia grávibus ærúmnis fuit obnóxia. Cum enim manca esset, et strumis inifécta, statim post óbitum matris in ódium novércæ íncidit, ejúsque ópera patérna domo ejécta et custodiéndis grégibus addícta, solo pane et aqua víctitans, et super stramen aut áridos pálmites in ipsa pécudum cáula somnum carpens, vitam in summa egestáte rerúmque ómnium inópia tolerávit. Hæc et ália, quibus quotídie premebátur, frígoris, æstus et ímbrium incómmoda, quin étiam domesticórum convícia et insectatiónes, forti semper ánimo, et ore ad hilaritátem compósito, non solum patientíssime tulit, sed majóra pati exoptávit, ut confórmis fíeret imágini Fílii Dei, quem únice toto cordis afféctu diléxit.

℟. Propter veritátem.

LECTIO V

Sive enim gregem ad páscua, sive in arvis stámina e colo dúceret, mente et cogitatióne in Deum defíxa, assíduas fundébat preces, et pósitis humi génibus ante crucis signum, ardentíssimi amóris æstus rerum cæléstium contemplatióne temperábat. Quotídie templum adíre, sacrifício Missæ interésse, et síngulis diébus festis se divínæ mensæ pábulo refícere in more hábuit. Deíparam Vírginem singulári religióne cóluit, eíque frequéntia exhíbuit obséquii et pietátis offícia. Caritáte erga omnes afféeta, púeros et puéllas christiánæ fídei mystériis erudíre, eorúmque ánimos ad virtútem et rectam vivéndi ratiónem informáre, egéntium inópiæ subveníre consuévit, detrácto étiam sibi panis frústulo, quo únice vescebátur. Castitátis vero et innocéntiæ láudem tantam proméruit, ut ad mortem usque illibátam serváverit.

℟. Dilexísti.

LECTIO VI

Hanc fámulæ suæ occúltam sanctitátem Deus, éditis e cælo signis, mira-

bíliter declarávit. Nam et flúvium aquis exundántem, dum Pibracénse templum péteret, Germána fixo gradu sæpius transívit, et panem paupéribus erogándum, ut novércam latéret, hibérno témpore in flores convértit. Virtútibus et prodígiis illustráta, ad cæléstis Agni núptias tandem inopináto éxitu emigrávit, annum agens secúndum supra vigésimum. Mortáles Vírginis exúviæ, anno quadragésimo et ultra postquam e vita decésserat, incorrúptæ et íntegræ, recentibúsque conspérsæ flóribus repértæ sunt. Huic prodígio ália multa, per annos ferme ducéntos, divína virtúte ad túmulum júgiter patráta, mirácula accessérunt, quæ innocéntis puéllæ famam et nomen longe latéque propagárunt. Quibus permótus Pius nonus, Póntifex Máximus, virtútibus et miráculis rite probátis, eámdem beatárum Vírginum fastis primum adscrípsit. Subinde vero novis fulgéntem prodígiis idem Póntifex anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo, ea ipsa die qua sæculária Apostolórum Príncipum solémnia agebántur, sanctórum albo accénsuit.

℟. Afferéntur Regi.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Simile est regnum. *de Comm. non Virg., cum* ℟℟. *de Comm. Virg.*

Lect. IX. (*ex duabus una*) *de S. Vito etc., quorum Commem. ad Laud., ut in Brev.*

Vesp. de seq. Commem. præced. sanctæ Germanæ Cousin.

DIE XVI

APPARITIONIS D. N. J. C. BEATO MARTIALI EP. ET AQUITANIÆ APOST.

Duplex majus.

Omnia ut in Comm. Conf. Pont., præter seq.

ORATIO

Deus, qui fidélibus tuis multíplices mansiónes in domo tua ab ætérno ordinásti: præsta quǽsumus; ut sanctíssimis précibus beáti Martiális Confessóris tui atque Pontíficis adjuvémur, quem hodiérna die ad convívium cæléstis dulcédinis vocáre dignátus est Jesus Christus Fílius tuus, Dóminus noster: Qui tecum.

IN I. NOCTURNO

Lect. Sic nos existimet. *de Comm. Apost.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Anno ab Ascensióne Dómini quadragésimo, oránti beáto Martiáli, ac dissólvi et esse cum Christo cupiénti, idem Dóminus Jesus admirábili splendóre circumfúsus apparuísse tráditur, ac ei diem quo e vita

migratúrus esset prænuntiásse his fere verbis : Quinto décimo abhinc die, caríssime, véniam ad te, ut recípiam cum Angelis et fáciam te herédem regni mei. Hujus áutem rei fama cum percrebuísset, úndique ad eum convenérunt Pictónes, Petrocórii, Bitúriges, Arvérni, aliíque quos ad Christum perdúxerat Aquitániæ pópuli, Apóstolum suum postrémo visúri.

℞. Invéni.

LECTIO V

Coácto ígitur pópulo, pródiit ad eum verba factúrus Martiális, ac, repetíta totíus disciplínæ christiánæ série, univérsos mónuit ut in ea fide perseveráreut quam ipsis prædicáverat; contéstans eam esse veram doctrínam a Christo Apóstolis tráditam. Cumque hæc per totum fere diem exposuísset, febre corréptus est : qua urgénte, fusis pro tota Aquitániæ Ecclésia précibus, diléctos pópulos, data eis benedictióne, dimísit.

℞. Pósui.

LECTIO VI

Porro ne concúrsu et frequéntia turbárum ad se veniéntium, ánimus, non nisi cæléstem vitam et supérnam Jerúsalem cógitans, ab illa meditatióne abstraherétur, secéssit in ædem quam Deo in beáti Stéphani honórem consecráverat, ubi tandem prídie Kaléndas Júlii, ut ipsi prænuntiátum fúerat, migrávit ad Dóminum.

℞. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Designávit. *de Comm. Evang.*

In II. Vesp. Commem. S. Joannis Francisci Regis Conf.

DIE XVII

S. JOANNIS FRANCISCI REGIS

CONFESSORIS

Duplex.

(*Dies fixa ex heri.*)

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq. (m. t. v.)

ORATIO

Deus, qui ad plúrimos pro salúte animárum perferéndos labóres, beátum Joánnem Francíscum Confessórem tuum mirábili caritáte et invícta patiéntia decorásti : concéde propítius; ut ejus exémplis instrúcti, et intercessiónibus adjúti, ætérnæ vitæ prǽmia consequámur. Per.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Joánnes Francíscus Regis, nóbili génere natus, in oppídulo Narbonénsis Gálliæ cui nomen Fonscopértus, exímiæ sanctitátis a téneris annis indícia prǽbuit. In eo jam tum eluxére mira morum inno-

céntia, flagrans oratiónis stúdium, pudor, et modéstia singuláris. Societátem Jesu ingréssus Tolósæ anno ætátis décimo nono, humilitáte, obediéntia, caritáte, ódio sui, cæterísque vitæ religiósæ virtútibus excélluit. Absolútis stúdiis, totum se procurándæ animárum salúti pénitus devóvit. Asperos Vivariénsium, Velaunórum, et Forénsium montes, et ingéntes Helviórum tractus, glácie nivibúsque fere perpétuis hórridos, eorúmque colónos inscítia, rusticitáte, barbárie intractábiles suscépit excoléndos, eo succéssu, ut innumerábiles hómines, aut calviniána lue inféctos, aut pérditis móribus corrúptos, ad cathólicam fidem et ad christiánam pietátem tradúxerit.

℟. Honéstum.

LECTIO V

Campéstribus missiónibus hibérno témpore perfúnctus, æstívo revertebátur Anícium, ibíque in nosocomíis, et in carcéribus, in privátis ǽdibus, in cómpitis ac templis omne hóminum genus, ómnibus ómnia factus, sublevábat. Páuperum greges corrogátis úndique subsídiis, præsértim cum sæviret fames, multiplicáto étiam non semel per miráculum fruménto, sustentábat, unde *illi* Patris páuperum cognómen índitum fuit. In flagitiósis homínibus, et pérditis præsértim muliérculis e vitiórum cœno educéndis, vix credíbile est quot probra ludibríaque pertúlerit, erécto semper et álacri vultu impertérritus, licet gládiis júgulo sæpe admótis, álapis ori impáctis, et fústibus córpori. Grassánte peste, infírmos eo morbo laborántes sédulo invísens, ardénti reficiébat caritáte. Erga álios blandus ac benéficus, in seipsum sæviébat acérrime, ásperis cilíciis, férreis caténis, cruéntis flagellatiónibus, somnum bréviter in nuda tábula aut humi carpens, semper abstémius, vilissimóque semper víctitans cibo, et ádeo ténui, ut arcéndæ morti pótius, quam sustentándæ vitæ sufficeret.

℟. Amávit eum.

LECTIO VI

Divíno amóre sic erat incénsus, ut illum unum spiráre, loqui, cogitáre viderétur. Plures noctis horas oratióni dabat, cæléstibus áffluens delíciis, et extra se sæpe raptus. Rem divínam ea ánimi attentióne, eo vultus ardóre faciébat, ut sacrum, quo effervescébat, ignem, étiam in adstántes diffúnderet. Miráculis aliísque donis supernaturálibus mire cláruit. Tandem vocátus ad

prǽmia labórum, in Viennénsis diœcésis pago, cui nomen est Lalovéscus, corréptus letháli morbo ex labóribus contrácto cum sævíret hiems frigidíssima, cæléstibus recreátus illustratiónibus, ad ætérna gáudia invitátus, spíritum Creatóri réddidit, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo, die trigésima prima Decémbris, vitæ suæ quadragésimo quarto. Ejus sepúlcrum incredíbili populórum per aspérrimos montes úndique confluéntium concúrsu, ob sanctitátis et miraculórum famam, quæ máxime percrebescébat, summa devotióne est frequentátum. Quibus ómnibus permótus Clemens undécimus, Póntifex Máximus, Joánnem Francíscum beatórum, Clemens vero duodécimus sanctórum fastis, solémni ritu adscrípsit, die décima sexta Június ejúsdem celebrándæ festivitáti a Benedícto décimo quarto assignáta.

℟. Iste homo ómnia perfécit.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Sint lumbi. *de Comm.* 1° *loco.*

In II. Vesp. Commem. SS. Marci et Soc. Mart. in Brev.

PRO CIVITATE TUTELENSI

IN FESTO EJUS LIBERATIONIS AB HÆRETICIS

IN II. NOCTURNO

Sermo sancti Thomæ Aquinátis.

In Opusculo 57.

LECTIO IV

Imménsa divínæ largitátis benefícia, exhíbita pópulo Christiáno, inæstimábilem ei cónferunt dignitátem. Neque enim est, aut fuit aliquándo tam grandis nátio, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Unigénitus siquidem Dei Fílius, suæ divinitátis volens nos esse partícipes, natúram nostram assúmpsit, ut hómines deos fáceret factus homo. Et hoc ínsuper, quod de nostro assúmpsit, totum nobis cóntulit ad salútem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatióne in ara crucis hóstiam óbtulit Deo Patri: sánguinem suum fudit in prétium simul et lavácrum: ut redémpti a miserábili servitúte, a peccátis ómnibus mundarémur. Ut áutem tanti benefícii jugis in nobis manéret memória, corpus suum in cibum, et sánguinem suum in potum, sub spécie panis et vini suméndum, fidélibus derelíquit.

℟. Cœnántibus.

LECTIO V

O PRETIÓSUM et admirándum convivium, salutiferum, et omni suavitáte replétum! Quid enim hoc convivio pretiósius esse potest? in quo non carnes vitulórum et hircórum, ut olim in lege, sed nobis Christus suméndus propónitur verus Deus. Quid hoc sacraménto mirabilius? In ipso namque panis et vinum in Christi corpus et sánguinem substantiáliter convertúntur : ideóque Christus Deus, et homo perféctus sub módici panis et vini spécie continétur. Manducátur itaque a fidélibus, sed mínime lacerátur, quinímo, diviso Sacraménto, sub quálibet divisiónis partícula intéger persevérat. Accidéntia áutem sine subjécto in eódem subsistunt, ut fides locum hábeat, dum visíbile invisibiliter súmitur aliéna spécie occultátum : et sensus a deceptióne reddántur immúnes, qui de accidéntibus júdicant sibi notis.

℟. Accépit.

LECTIO VI

NULLUM étiam Sacraméntum est isto salúbrius, quo purgántur peccáta, virtútes augéntur, et mens ómnium spirituálium charísmatum abundántia impinguátur. Offértur in Ecclésia pro vivis et mórtuis : ut ómnibus prosit, quod est pro salúte ómnium institútum. Suavitátem dénique hujus Sacraménti nullus exprímere súfficit, per quod spirituális dulcédo in suo fonte gustátur : et recólitur memória illius, quam in sua passióne Christus monstrávit, excellentíssimæ caritátis. Unde ut árctius hujus caritátis imménsitas fidélium córdibus infigerétur, in última cœna, quando Pascha cum discípulis celebráto, transitúrus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacraméntum instituit, tamquam passiónis suæ memoriále perénne, figurárum véterum impletívum, miraculórum ab ipso factórum máximum, et de sua contristátis abséntia solátium singuláre reliquit.

℟. Ego sum.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 6. *f*

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus : et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Episcopi.

Tract. 26. *in Joannem, sub finem.*

CUM cibo et potu id áppetant hómines, ut neque esúriant, neque sitiant : hoc veráciter non præstat, nisi iste cibus et potus, qui eos, a quibus súmitur, im-

mortáles et incorruptíbiles facit; id est, socíetas ipsa sanctórum : ubi pax erit, et únitas plena atque perfécta. Proptérea quippe, sicut étiam ante nos hoc intellexérunt hómines Dei, Dóminus noster Jesus Christus corpus et sánguinem suum in eis rebus commendávit, quæ ad unum áliquid redigúntur ex multis. Namque áliud in unum ex multis granis confícitur : áliud in unum ex multis ácinis cónfluit. Dénique jam expónit quómodo id fiat, quod lóquitur : et quid sit manducáre corpus ejus, et sánguinem bíbere.

℟. Qui mandúcat.

Bened. Divínum auxílium.

LECTIO VIII

Qui mandúcat carnem meam, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in illo. Hoc est ergo manducáre illam escam, et illum bíbere potum, in Christo manére, et illum manéntem in se habére. Ac per hoc, qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dúbio nec mandúcat spirituáliter carnem ejus, nec bibit ejus sánguinem, licet carnáliter et visibíliter premat déntibus sacraméntum córporis et sánguinis Christi : sed magis tantæ rei sacraméntum ad judícium sibi mandúcat et bibit, quia immúndus præsúmpsit ad Christi accédere sacraménta, quæ áliquis non digne sumit, nisi qui mundus est; de quibus dícitur : Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

℟. Misit me.

LECTIO IX

Sicut, inquit, misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Ac si díceret : Ut ego vivam propter Patrem, id est, ad illum tamquam ad majórem réferam vitam meam, exinanítio mea fecit, in qua me misit. Ut áutem quisquam vivat propter me, participátio facit, qua mandúcat me. Ego ítaque humiliátus vivo propter Patrem : ille eréctus vivit propter me. Si áutem ita dictum est, Vivo propter Patrem, quia ipse de illo, non ille de ipso est : sine detriménto æqualitátis dictum est. Nec tamen dicéndo, Et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me : eámdem suam et nostram æqualitátem significávit, sed grátiam mediatóris osténdit.

Te Deum laudámus.

PORRO cum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. suprema auctoritate sua Proprium ipsum Officiorum, antea a Sacra Rituum Congregatione accurate examinatum et dispositum, clementer deferens supplicibus votis Episcopi oratoris approbàverit, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, nedum utile verum omnino necessarium vidit pro Clero Tutelensi Kalendarium perpetuum insimul probare juxta præfinitas regulas a Sacra Rituum Congregatione concinnatum, quod juxta supra adnotatum exemplar typis cudi debeat, et editioni Proprii Officiorum præmitti. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16 Julii 1863.

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinæ CARD. PATRIZI
S. R. C. Præfectus.

Loco † sigilli.

D. BARTOLINI *S. R. C. Secretarius.*

INDEX OFFICIORUM

QUÆ IN HOCCE PROPRIO TUTELENSI LEGUNTUR
AUT SALTEM ADNOTANTUR

FESTA MOBILIA

FESTA SANCTORUM

285

26231. — Turonibus, typis Mame.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS TUTELENSIS

A S. R. CONGREGATIONE APPROBATA

AC DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DD. DOMINICI HENRICI DENÉCHAU

EPISCOPI TUTELENSIS

DENUO EDITA

PARS ÆSTIVA



PARISIIS

APUD CAR. POUSSIELGUE, EDITOREM

VIA DICTA CASSETTE, 15

M. D. CCC. XCVI



LICENTIA ET APPROBATIO ORDINARII

HENRICUS DOMINICUS, Miseratione divina et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia, Episcopus Tutelensis.

DILECTO nobis POUSSIELGUE editori jus et licentiam dedimus typis mandandi Kalendarium et Officia propria Diœcesis Tutelensis, a Sancta Sede specialiter concessa.

Cumque nobis constet per Presbyteros a nobis deputatos, Kalendarium istud et Officia propria jam excusa, diligenti collatione facta, cum originali suo convenire, illa approbavimus, evulgandique licentiam dedimus, prout per præsentes approbamus et licentiam damus.

Datum Tutelæ, sub signo sigilloque nostris ac Cancellarii Episcopatus nostri subscriptione, anno Domini millesimo octingentesimo nonagesimo sexto, die vero mensis Junii sextadecima.

† HENRICUS DOMINICUS Ep. Tutelensis.

De mandato Ill. ac Rev. DD. Ep. Tutelensis,

M. Soullier *Can. Secr. gen.*

KALENDARIUM PERPETUUM

AD USUM

CLERI DIŒCESIS TUTELENSIS

Monita. — **Festa in hocce Kalendario asterisco * notata, Ecclesiæ Tutelensi sunt propria, vel gradu superiori in Diœcesi gaudent. Festa autem quæ notantur linea —, sunt e propria die pro Ecclesia Tutelensi translata, sed in Breviario propria die inveniuntur.**

Quæ notantur *Semiduplicia ad libitum*, si non celebrentur die occurrentiæ, habeantur tamquam Simplicia de præcepto.

JANUARIUS

Litt. Dom.	Dies mensis	
A	1	Circumcisio Domini, *dupl.* 2. *cl.*
b	2	Octava S. Stephani Protom. *dupl.* Commem. Octavarum et * S. Vincentiani Conf.
c	3	Octava S. Joannis Apost. et Evang. *dupl.* Commem. Oct. SS. Innocentium et * S. Genovefæ Virg.
d	4	Octava SS. Innocentium Mm. *dupl.* * Commem. S. Faustæ Virg. et Mart.
e	5	Vigilia Epiphaniæ, *semid.* Commem. S. Telesphori Papæ et Mart.
f	6	EPIPHANIA D. N. J. C. *dupl.* 1. *cl.* cum Octava.
g	7	De Octava, *semid.* * Commem. S. Tillonis Conf.
A	8	De Octava, *semid.* * Commem. S. Valerici Conf.
b	9	De Octava, *semid.*
c	10	De Octava, *semid.* * Commem. S. Gulielmi Episc. et Conf.
d	11	De Octava, *semid.* Commem. S. Hygini Papæ et Mart.
e	12	De Octava, *semid.*
f	13	Octava Epiphaniæ, *dupl.*
g	14	S. Hilarii Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. S. Felicis Presbyt. et Mart.
A	15	S. Pauli primi Eremitæ, *dupl.* Commem. S. Mauri Abbatis.
b	16	S. Marcelli Papæ et Mart. *semid.* * Commem S. Boniti Episc. et Conf.
c	17	S. Antonii Abbat. et Conf. *dupl.* * Commem. S. Sulpitii Episc. et Conf.
d	18	*Cathedra S. Petri Romæ,* dupl. maj. Commem. S. Pauli Apost., et S. Priscæ Virg. et Mart.
e	19	S. Canuti Regis et Mart. *semid. ad libitum.* Commem. SS. Marii et Soc. Mm.
f	20	SS. Fabiani Papæ et Sebastiani Mart. *dupl.* * Commem. S. Fortunatæ Virg. et Mart.
g	21	S. Agnetis Virg. et Mart. *dupl.*
A	22	SS. Vincentii et Anastasii Mm. *semid.*
b	23	* *Desponsatio B. M. V.* dupl. maj. Commem. S. Joseph ejus Sponsi, ac S. Emerentianæ Virg. et Mart.

Litt. Dom.	Dies mensis.	
c	24	S. Timothei Episc. et Mart. *dupl.*
d	25	*Conversio S. Pauli Apost.* dupl. maj. Commem. S. Petri Apost. et * S. Præjecti Episc. et Mart.
e	26	S. Polycarpi Episc. et Mart. *dupl.* * Commem. S. Paulæ Viduæ.
f	27	S. Joannis Chrysostomi Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
g	28	S. Agnetis secundo, *simpl.*
A	29	S. Francisci Salesii Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
b	30	S. Martinæ Virg. et Mart. *semid.*
c	31	S. Petri Nolasci Conf. *dupl.*

FESTA MOBILIA

Dom. II. post Epiphaniam, SS. NOMINIS JESU, *dupl. 2. cl.*
* Dom. III. post Epiphaniam, *S. Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph,* dupl. maj.
* Dominica ante Septuagesimam, *Purissimi Cordis B. M. V.* dupl. maj.

FEBRUARIUS

d	1	S. Ignatii Episc. et Mart. *dupl.* * Commem. S. Sori Conf.
e	2	PURIFICATIO B. M. V. *dupl. 2. cl.*
f	3	S. Blasii Episc. et Mart. *simpl.*
g	4	* B. Joannæ Valesiæ Viduæ, *dupl.*
A	5	S. Agathæ Virg. et Mart. *dupl.*
b	6	* S. Hyacinthæ de Mariscottis Virg. *dupl.* Commem. S. Dorotheæ Virg. et Mart.
c	7	S. Romualdi Abbatis et Conf. *dupl.*
d	8	S. Joannis de Matha Conf. *dupl.*
e	9	S. Cyrilli Alexandrini Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. S. Apolloniæ Virg. et Mart.
		* — In civitate Tutelensi fit OFFICIUM SANCTISSIMI SACRAMENTI sub ritu *dupl. 1. cl.*
f	10	S. Scholasticæ Virg. *dupl.*
g	11	* *Apparitio B. M. V. Immaculatæ,* dupl. maj.
A	12	— S. Andreæ Corsini Episc. et Conf. *dupl.* (dies fixa e 4 huj.)
b	13	* S. Catharinæ de Ricciis Virg. *dupl.*
c	14	* SS. Viginti sex Martyrum Japonensium, *dupl.* (dies fixa e 5 hujus). Commem. S. Valentini Presbyt. et Mart.
d	15	— S. Raymundi de Pennafort Conf. *semid.* (dies fixa e 23 Jan.) Commem. SS. Faustini et Jovitæ Mm.
e	16	* S. Stephani de Mureto Conf. *semid. ad libitum.*
f	17	— SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. Conf. *dupl.* (dies fixa e 11 hujus). — In civitate Tutel. S. Cyrilli Alexandrini Episc. Conf. et Doct. *dupl.* (dies fixa e 9 hujus).
g	18	— S. Titi Episc. et Conf. *dupl.* (dies fixa e 6 hujus). Commem. S. Simeonis Episc. et Mart.
		— In civitate Tutel. SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. *dupl.* (dies fixa e 11 hujus).
A	19	* S. Bathildis Reginæ, *semid. ad libitum.*
b	20	— In civitate Tutel. S. Titi Episc. et Conf. *dupl.* (dies fixa e 6 hujus).
c	21	

Litt. Dom.	Dies mensis.	
d	22	*Cathedra S. Petri Antiochiæ,* dupl. maj. Commem. S. Pauli Apost.
e	23	S. Petri Damiani Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. Vigiliæ.
f	24	S. MATHIÆ APOSTOLI, *dupl.* 2. *cl.*
g	25	* S. Avertani Conf. *semid. ad libitum.*
A	26	* — S. Margaritæ de Cortona Pœnit. *semid.* (dies fixa e 23 hujus).
b	27	
c	28	

Quando Februarius habet dies 29, tunc de S. Mathia fit die 25, de S. Avertano die 26, et de S. Margarita die 27.

FESTA MOBILIA

* Feria III. post Dom. Septuagesimæ, *Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti,* dupl. maj.
* Feria III. post Dom. Sexagesimæ, *Commem. Passionis D. N. J. C.* dupl. maj.
* Feria VI. post Cineres, *SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C.* dupl. maj.
* Feria VI. post Dom. I. Quadragesimæ, *SS. Clavorum et Lanceæ D. N. J. C.* dupl. maj.

MARTIUS

d	1	
e	2	
f	3	
g	4	S. Casimiri Regis Conf. *semid.* Commem. S. Lucii Papæ et Mart.
A	5	
b	6	
c	7	S. Thomæ de Aquino Conf. et Doct. *dupl.* Commem. SS. Perpetuæ et Felicitatis Mm.
d	8	* S. Stephani Obazinensis Abbat. et Conf. *dupl.*
e	9	S. Franciscæ Romanæ Viduæ, *dupl.*
f	10	SS. Quadraginta Martyrum, *semid.*
g	11	— S. Joannis de Deo Conf. *dupl.* (dies fixa e 8 hujus).
A	12	S. Gregorii I. Papæ, Conf. et Doct. *dupl.*
b	13	
c	14	
d	15	* S. Sacerdotis Episc. et Conf. *dupl.* * Commem. S. Mundanæ Viduæ.
e	16	
f	17	S. Patritii Episc. et Conf. *dupl.*
g	18	* *S. Gabrielis Archangeli,* dupl. maj.
A	19	S. JOSEPH SPONSI B. M. V. *dupl.* 1. *cl.*
b	20	— S. Cyrilli Hierosolymitani Episc. Conf. et Doct. *dupl.* (dies fixa e 18 hujus).
c	21	*S. Benedicti Abbatis,* dupl. maj.
d	22	
e	23	* S. Cessatoris Episc. et Conf. *dupl.*
f	24	
g	25	ANNUNTIATIO B. M. V. *dupl.* 1. *cl.*
A	26	

Litt. Dom.	Dies mensis.	
b	27	S. Joannis Damasceni Conf. et Doct. *dupl.*
c	28	S. Joannis a Capistrano Conf. *semid.*
d	29	* S. Bertholdi Conf. *dupl.*
e	30	
f	31	

FESTA MOBILIA

* Feria VI. post Dom. II. Quadragesimæ, *Sacratissimæ Sindonis D. N. J. C.* dupl. maj.
* Feria VI. post Dom. III. Quadragesimæ, *SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C.* dupl. maj.
* Feria VI. post Dom. IV. Quadragesimæ, *Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.* dupl. maj.

Feria VI. post Dom. Passionis, *Septem Dolorum B. M. V.* dupl. maj.

APRILIS

g	1	
A	2	S. Francisci de Paula Conf. *dupl.*
b	3	* S. Mariæ Ægyptiacæ Pœnit. *semid. ad libitum.*
c	4	S. Isidori Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
d	5	S. Vincentii Ferrerii Conf. *dupl.*
e	6	
f	7	
g	8	
A	9	* S. Gaucherii Conf. *semid. ad libitum.*
b	10	
c	11	S. Leonis I. Papæ, Conf. et Doct. *dupl.*
d	12	
e	13	S. Hermenegildi Regis Mart. *semid.*
f	14	S. Justini Mart. *dupl.* Commem. SS. Tiburtii, Valeriani et Maximi Mm.
g	15	
A	16	
b	17	S. Aniceti Papæ et Mart. *simpl.*
c	18	* B. Mariæ ab Incarnatione Viduæ, *dupl.*
d	19	
e	20	
f	21	S. Anselmi Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
g	22	SS. Soteris et Caii Pont. et Mm. *semid.*
A	23	S. Georgii Mart. *semid.*
b	24	S. Fidelis a Sigmaringa Mart. *dupl.*
c	25	S. MARCI EVANG. *dupl. 2. cl.*
d	26	* *B. M. V. de Bono Consilio*, dupl. maj.
e	27	* S. Alpiniani, socii S. Martialis Conf. *semid. ad libitum.*
f	28	S. Pauli a Cruce Conf. *dupl.* Commem. S. Vitalis Mart.
g	29	S. Petri Mart. *dupl.*
A	30	S. Catharinæ Senensis Virg. *dupl.* * Commem. S. Eutropii Episc. et Mart.

FESTUM MOBILE

Dominica III. post Pascha, PATROCINII S. JOSEPH SPONSI B. M. V. *dupl. 2. cl.*

MAIUS

Litt. Dom.	Dies mensis.	
b	1	SS. Philippi et Jacobi Apost. *dupl.* 2. *cl.*
c	2	S. Athanasii Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
d	3	Inventio S. Crucis, *dupl.* 2. *cl.* Commem. SS. Alexandri Papæ ac Soc. Mm.
e	4	S. Monicæ Viduæ, *dupl.*
f	5	S. Pii V. Papæ et Conf. *dupl.*
g	6	*S. Joannis ante Portam Latinam,* dupl. maj.
A	7	S. Stanislai Episc. et Mart. *dupl.*
b	8	*Apparitio S. Machaëlis Archangeli,* dupl. maj.
c	9	S. Gregorii Nazianzeni Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
d	10	S. Aureliani Episc. et Conf. *dupl.* Commem. SS. Gordiani et Epimachi Mm.
e	11	— S. Antonini Episc. et Conf. *dupl.* (dies fixa ex heri). * Commem. S. Mamerti Episc. et Conf.
f	12	SS. Nerei, Achillei et Soc. Mm. *semid.*
g	13	* S. Gualterii Stirpensis Abbat. et Conf. *semid. ad libitum.*
A	14	— SS. Cleti et Marcellini Pont. et Mm. *semid.* (dies fixa e 26 Aprilis). Commem. S. Bonifacii Mart.
b	15	* S. Isidori Agricolæ Conf. *dupl.*
c	16	* S. Joannis Nepomuceni Mart. *dupl.*
d	17	S. Paschalis Baylon Conf. *dupl.*
e	18	S. Venantii Mart. *dupl.*
f	19	S. Petri Cælestini Papæ et Conf. *dupl.* Commem. S. Pudentianæ Virg.
g	20	S. Bernardini Senensis Conf. *semid.*
A	21	* S. Felicis a Cantalicio Conf. *semid.*
b	22	* S. Lupi Episc. et Conf. *dupl.*
c	23	— S. Ubaldi Episc. et Conf. *semid.* (dies fixa e 16 hujus).
d	24	* *B. M. V. sub titulo auxilium Christianorum,* dupl. maj. * Commem. S. Yvonis Conf.
e	25	S. Gregorii VII. Papæ et Conf. *dupl.* Commem. S. Urbani Papæ et Mart.
f	26	S. Philippi Nerii Conf. *dupl.* Commem. S. Eleutherii Papæ et Mart.
g	27	S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. *dupl.* * Commem. S. Joannis Papæ et Mart.
A	28	S. Augustini Cantuariensis Episc. et Conf. *dupl.*
b	29	— * B. Joannis Baptistæ de la Salle Conf. *dupl.* (dies fixa e 4 hujus).
c	30	* S. Ferdinandi Regis Conf. *semid. ad libitum.* Commem. S. Felicis Papæ et Mart.
d	31	S. Angelæ Mericiæ Virg. *dupl.* Commem. S. Petronillæ Virg.
		FESTUM MOBILE
		* Feria VI. post Oct. Sanctissimi Corporis Christi, SACRATISSIMI CORDIS JESU, *dupl.* 1. *cl.*

JUNIUS

Litt. Dom.	Dies mensis	
e	1	* *S. Clari Episc. et Mart.* dupl. maj.
f	2	* SS. Pothini Episc., Blandinæ Virg. ac Soc. Mm. *semid. ad libitum*. Commem. SS. Marcellini et Soc. Mm.
g	3	* S. Clotildis Reginæ Viduæ, *dupl.*
A	4	S. Francisci Caracciolo Conf. *dupl.*
b	5	S. Bonifacii Episc. et Mart. *dupl.*
c	6	S. Norberti Episc. et Conf. *dupl.*
d	7	* S. Liphardi Conf. *semid. ad libitum* (dies fixa e 5 hujus).
e	8	
f	9	SS. Primi et Feliciani Mm. *simpl.*
g	10	S. Margaritæ Reginæ Viduæ, *semid.*
A	11	*S. Barnabæ Apostoli*, dupl. maj.
b	12	S. Joannis a Sancto Facundo Conf. *dupl.* Commem. SS. Basilidis et Soc. Mm.
c	13	S. Antonii Patavini Conf. *dupl.* * Commem. S. Psalmodii Conf.
d	14	S. Basilii Magni Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
e	15	* S. Germanæ Cousin Virg. *dupl.* Commem. SS. Viti, Modesti et Crescentiæ Mm.
f	16	* *Apparitio D. N. J. C. beato Martiali Aquitaniæ Apost.* dupl. maj.
g	17	— * S. Joannis Francisci Regis Conf. *dupl.* (dies fixa ex heri).
A	18	SS. Marci et Marcelliani Mm. *simpl.*
b	19	S. Julianæ de Falconeriis Virg. *dupl.* Commem. SS. Gervasii et Protasii Mm.
c	20	* S. Rodulphi Episc. et Conf. *dupl.* Commem. S. Silverii Papæ et Mart.
d	21	S. Aloysii Gonzagæ Conf. *dupl.*
e	22	S. Paulini Episc. et Conf. *simpl.*
f	23	Vigilia.
g	24	NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ, *dupl. 1. cl.* cum Oct.
A	25	S. Gulielmi Abbatis, *dupl.* Commem. Octavæ.
b	26	SS. Joannis et Pauli Mm. *dupl.* Commem. Octavæ.
c	27	* S. Prosperi Episc. et Conf. *dupl.* Commem. Octavæ * et S. Domnoleni Conf.
d	28	S. Leonis II. Papæ et Conf. *semid.* Commem. Octavæ et Vigiliæ.
e	29	SS. PETRI ET PAULI APOSTOLORUM, *dupl. 1. cl.* cum Oct. * Commem. omnium SS. Apostolorum.
f	30	* S. MARTIALIS AQUITANIÆ APOST. *dupl. 1. cl.* cum Octava.

JULIUS

g	1	Dies Octava S. Joannis Baptistæ, *dupl.* Commem. Octavarum.
A	2	VISITATIO B. M. V. *dupl. 2. cl.* Commem. SS. Processi et Martiniani Mm.
b	3	— *Commemoratio S. Pauli Apost.* dupl. maj. (dies fixa e 30 Junii). Commem. S. Petri Apost. * et Oct. S. Martialis.

Litt. Dom.	Dies mensis.	
c	4	* Ordinatio et Translatio S. Martini, *dupl.* Commem. Oct.
d	5	— * S. Irenæi Episc. et Mart. *dupl.* (dies fixa e 3 hujus). Commem. Oct.
e	6	Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli, *dupl.* * Commem. Oct. S. Martialis.
f	7	* Octava S. Martialis, *dupl.*
g	8	S. Elisabeth Reginæ Portug. Viduæ, *semid.*
A	9	* *Festum Prodigiorum B. M. V.* dupl. maj.
b	10	SS. Septem Fratrum et Soc. Mm. *semid.*
c	11	— * S. Veronicæ de Julianis Virg. *dupl.* (dies fixa ex 9 huj.). Commem. S. Pii I. Papæ et Mart.
d	12	S. Joannis Gualberti Abbatis, *dupl.* Commem. SS. Naboris et Felicis Mm.
e	13	S. Anacleti Papæ et Mart. *semid.*
f	14	S. Bonaventuræ Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
g	15	S. Henrici Imperat. Conf. *semid.*
A	16	*B. M. V. de Monte Carmelo,* dupl. maj.
b	17	S. Alexii Conf. * *dupl.*
c	18	S. Camilli de Lellis Conf. *dupl.* Commem. SS. Symphorosæ cum septem Filiis Mm.
d	19	*S. Vincentii a Paulo Conf.* * dupl. maj.
e	20	S. Hieronymi Æmiliani Conf. *dupl.* Commem. S. Margaritæ Virg. et Mart.
f	21	* S. Roricii Episc. et Conf. *dupl.* Commem. S. Praxedis Virg.
g	22	*S. Mariæ Magdalenæ Pœnitent.* * dupl. maj.
A	23	S. Apollinaris Episc. et Mart. *dupl.* Commem. S. Liborii Episc. et Conf.
b	24	— SS. Cyrilli et Methodii Pont. et Conf. *dupl.* (dies fixa e 5 hujus). Commem. Vigil. et S. Christinæ Virg. et Mart.
c	25	S. JACOBI APOSTOLI, *dupl. 2. cl.* Commem. S. Christophori Mart.
d	26	S. ANNÆ MATRIS B. M. V. *dupl. 2. cl.*
e	27	S. Pantaleonis Mart. *simpl.*
f	28	SS. Nazarii, Celsi et Victoris I. Papæ, Mm., ac Innocentii I. Papæ et Conf. *semid.*
g	29	*S. Marthæ Virg.* * dupl. maj. Commem. SS. Felicis II. Papæ et Soc. Mm.
A	30	* S. Germani Antissiodorensis Episc. et Conf. *dupl.* Commem. SS. Abdon et Sennen Mm.
b	31	S. Ignatii de Loyola Conf. *dupl.*

FESTA MOBILIA

Dom. I. Julii, PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C. *dupl. 2. cl.*

* Dom. I. non impedita post Octavam SS. Apost. Petri et Pauli, *Omnium Sanctorum Summorum S. R. E. Pontificum,* dupl. maj.

AUGUSTUS

Litt. Dom.	Dies mensis.	
c	1	*S. Petri Apostoli ad Vincula,* dupl. maj. Commem. S. Pauli Apost. et SS. Machabæorum Mm.
d	2	S. Alphonsi Mariæ de Ligorio Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. S. Stephani I. Papæ et Mart.
e	3	Inventio S. Stephani Protomart. *semid.*
f	4	*S. Dominici Conf.* dupl. maj.
g	5	*Dedicatio S. Mariæ ad Nives,* dupl. maj.
A	6	*Transfiguratio D. N. J. C.* dupl. maj. Comm. SS. Xysti II. Papæ et Soc. Mm.
b	7	S. Cajetani Thienæi Conf. *dupl.* Commem. S. Donati Episc. et Mart.
c	8	SS. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm. *semid.*
d	9	* S. Martini Brivensis Mart. *dupl.* Commem. Vigiliæ et S. Romani Mart.
e	10	S. LAURENTII MART. *dupl. 2. cl.* cum Octava.
f	11	* S. Philumenæ Virg. et Mart. *dupl.* Commem. Oct. et SS. Tiburtii et Susannæ Mm.
g	12	S. Claræ Virg. *dupl.* Commem. Oct.
A	13	* S. Radegundis Reginæ Viduæ, *dupl.* Commem. Oct. et SS. Hippolyti et Cassiani Mm.
b	14	De Octava, *semid.* Commem. Vigiliæ et S. Eusebii Conf.
c	15	ASSUMPTIO B. M. V. *dupl. 1. cl.* cum Octava.
d	16	* S. Rochi Conf. *dupl.* Commem. Octav.
e	17	Octava S. Laurentii Mart. *dupl.* Commem. Octavæ Assumpt.
f	18	— S. Hyacinthi Conf. *dupl.* (dies fixa e 16 hujus). Commem. Oct. et S. Agapiti Mart.
g	19	* S. Calminii Conf. *dupl.* Commem. Oct.
A	20	S. Bernardi Abbatis Conf. et Doct. *dupl.* Commem. Oct.
b	21	S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Viduæ, *dupl.* Commem. Oct.
c	22	Octava Assumptionis Deiparæ, *dupl.* * Commem. Voti Ludovici XIII. et SS. Timothei et Soc. Mm.
d	23	S. Philippi Benitii Conf. *dupl.* Commem. Vigiliæ.
e	24	S. BARTHOLOMÆI APOST. *dupl. 2. cl.*
f	25	S. Ludovici Regis Conf. * *dupl.*
g	26	* S. Aredii Abbat. et Conf. *dupl.* Commem. S. Zephyrini Papæ et Mart. * et S. Pelagiæ Viduæ.
A	27	S. Josephi Calasanctii Conf. *dupl.*
b	28	S. Augustini Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. S. Hermetis Mart.
c	29	*Decollatio S. Joannis Baptistæ,* dupl. maj. Commem. S Sabinæ Mart.
d	30	S. Rosæ Limanæ Virg. *dupl.* Commem. SS. Felicis et Adaucti Mm. * et S. Fiacrii Conf.
e	31	S. Raymundi Nonnati Conf. *dupl.*

FESTUM MOBILE

Dominica infra Oct. Assumpt. S. JOACHIM PATRIS B. M. V. CONF. *dupl. 2. cl.*

SEPTEMBER

:t. m.	Dies mensis.	
	1	* S. Juliani Brivat. Mart. *dupl.* (dies fixa e 28 Augusti). Commem. S. Ægidii Abbat. et SS. duodecim Fratrum Mm.
g	2	S. Stephani Hungariæ Regis Conf. *semid.*
A	3	* S. Amatoris Conf. *dupl.*
b	4	* S. Rosæ Viterbiensis Virg. *dupl.*
c	5	S. Laurentii Justiniani Episc. et Conf. *semid.*
d	6	
e	7	
f	8	Nativitas B. M. V. *dupl.* 2. *cl.* cum Octava. Comm. S. Hadriani Mart.
g	9	De Octava, *semid.* Commem. S. Gorgonii Mart.
A	10	S. Nicolai de Tolentino Conf. *dupl.* Commem. Oct.
b	11	De Octava, *semid.* Commem. SS. Proti et Soc. Mm.
c	12	De Octava, *semid.*
d	13	De Octava, *semid.*
e	14	*Exaltatio SS. Crucis D. N. J. C.* dupl. maj. Commem. Oct.
f	15	Octava Nativitatis Deiparæ, *dupl.* Commem. S. Nicomedis Mart.
g	16	SS. Cornelii Papæ et Cypriani Episc. Mm. *semid.* Commem. SS. Euphemiæ et Soc. Mm.
A	17	Impressio sacrorum Stigmatum in corpore S. Francisci, *dupl.*
b	18	S. Josephi a Cupertino Conf. *dupl.* * Commem. S. Ferreoli Mart., ac * S. Ferreolæ Virg. et Mart.
c	19	SS. Januarii Episc. et Soc. Mm. *dupl.*
d	20	SS. Eustachii et Soc. Mm. *dupl.* Commem. Vigiliæ.
e	21	S. Matthæi Apost. et Evang. *dupl.* 2. *cl.*
f	22	S. Thomæ a Villanova Episc. et Conf. *dupl.* Commem. SS. Mauritii et Soc. Mm.
g	23	S. Lini I. Papæ et Mart. *semid.* Commem. S. Theclæ Virg. et Mart.
A	24	*B. M. V. de Mercede*, dupl. maj.
b	25	* S. Laudi Episc. et Conf. *dupl.* * Commem. S. Baumadi Conf.
c	26	* S. Ferreoli Episc. et Conf. *dupl.* Commem. SS. Cypriani et Justinæ Mm.
d	27	SS. Cosmæ et Damiani Mm. *semid.*
e	28	S. Wenceslai Ducis Mart. *semid.*
f	29	Dedicatio S. Michaelis Archangeli, *dupl.* 2. *cl.*
g	30	S. Hieronymi Presbyteri Conf. et Doct. *dupl.*

FESTA MOBILIA

* Dom. Kalendis Septembris proxima, ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS OMNIUM DIŒCESIS TUTELENSIS ECCLES. *dupl.* 1. *cl.* cum Octava.
* Dom. sequenti, Dies Octava Dedicat. Omnium Diœcesis Tutelensis Ecclesiarum, *dupl.*

Dom. infra Oct. Nativitatis Deiparæ, SS. Nominis B. M. V. * *dupl.* 2. *cl.*

Dom. III. Sept. *Septem Dolorum B. M. V.* dupl. maj.

OCTOBER

Litt. Dom.	Dies mensis.	
A	1	S. Remigii Episc. et Conf. *dupl.* * Commem. S. Vedasti Episc. et Conf.
b	2	*SS. Angelorum Custodum,* dupl. maj. * Commem. S. Leodegarii Episc. et Mart.
c	3	
d	4	*S. Francisci Assisiensis Conf.* dupl. maj.
e	5	* S. Pardulphi Conf. *dupl.* Commem. SS. Placidi et Soc. Mm.
f	6	S. Brunonis Conf. *dupl.*
g	7	* SS. Primi et Feliciani Mm. *dupl.* Commem. S. Marci Papæ et Conf., et SS. Sergii et Soc. Mm.
A	8	S. Birgittæ Viduæ, *dupl.*
b	9	SS. Dionysii et Soc. Mm. * *dupl.*
c	10	* *Translatio et Relatio S. Martialis,* dupl. maj.
d	11	— S. Francisci de Borgia Conf. *semid.* (ex heri).
e	12	
f	13	* S. Geraldi Conf. *dupl.* * Commem. S. Leoboni Conf.
g	14	S. Callisti I. Papæ et Mart. *dupl.*
A	15	S. Teresiæ Virg. *dupl.* * Commem. S. Austricliniani Conf.
b	16	* SS. Juniani et Amandi Conf. *dupl.*
c	17	* B. Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. *dupl.*
d	18	S. LUCÆ EVANGELISTÆ, *dupl. 2. cl.*
e	19	S. Petri de Alcantara Conf. *dupl.*
f	20	S. Joannis Cantii Conf. *dupl.*
g	21	* SS. Ursulæ et Soc. Virg. et Mart. *dupl.* Commem. S. Hilarionis Abbatis.
A	22	— S. Eduardi Regis Conf. *semid.* (dies fixa e 13 hujus).
b	23	* *SS. Redemptoris,* dupl. maj.
c	24	* *S. Raphaëlis Archangeli,* dupl. maj.
d	25	* S. Frontonis Episc. et Conf. *semid. ad libitum.* Commem. SS. Chrysanthi et Dariæ Mm.
e	26	S. Hedwigis Reginæ Viduæ, *semid.* (dies fixa e 17 hujus). Commem. S. Evaristi Papæ et Mart.
f	27	Vigilia.
g	28	SS. SIMONIS ET JUDÆ APOST. *dupl. 2. cl.*
A	29	
b	30	
c	31	Vigilia.

FESTA MOBILIA

Dominica I. Octobr. SS. ROSARII B. M. V. *dupl. 2. cl.*
* Dominica II. Octobr. *Maternitatis B. M. V.* dupl. maj.
* Dominica III. Octobr. *Puritatis B. M. V.* dupl. maj.
* Dominica IV. vel V. Octobr. *Patrocinii B. M. V.*

NOVEMBER

d	1	SOLEMNITAS OMNIUM SANCTORUM, *dupl. 1. cl.* cum Oct.
e	2	De Octava, *semid.* Commemoratio omnium Fidelium defunctorum, *sub ritu duplici.*
f	3	De Octava, *semid.*

Litt. Dom.	Dies mensis.	
g	4	S. Caroli Episc. et Conf. *dupl.* Commem. Oct. et SS. Vitalis et Soc. Mm.
A	5	* S. Austremonii Episc. et Mart. *semid. ad libitum.* Commem. Oct. * et S. Gonsaldi Conf.
b	6	* S. Leonardi Conf. *dupl.* Commem. Oct.
c	7	De Octava, *semid.*
d	8	Octava omnium Sanctorum, *dupl.* Commem. SS. Quatuor Coronatorum Martyrum.
e	9	*Dedicatio Basilicæ SS. Salvatoris,* dupl. maj. Commem. S. Theodori Mart.
f	10	S. Andreæ Avellini Conf. *dupl.* Commem. SS. Tryphonis et Soc. Mm.
g	11	S. MARTINI EPISC. TURONENSIS CONF., TOTIUS DIŒCESIS PATRONI, *dupl. 1. cl.* cum Oct.
A	12	S. Martini I. Papæ et Mart. *semid.* * Commem. Oct.
b	13	* S. Duminii Conf. *dupl.* * Commem. Oct. * et S. Brictii Episc. et Conf.
c	14	* — S. Stanislai Kostka Conf. *dupl.* (ex heri). * Commem. Oct.
d	15	S. Gertrudis Virg. *dupl.* * Commem. Oct.
e	16	— S. Didaci Conf. *semid.* (e 13 hujus). * Commem. Oct.
f	17	S. Gregorii Thaumaturgi Episc. et Conf. *semid.* * Commem. Oct.
g	18	* Octava S. Martini Episc. et Conf. *dupl.*
A	19	S. Elisabeth Viduæ, *dupl.* Commem. S. Pontiani Papæ et Mart.
b	20	S. Felicis de Valois Conf. *dupl.*
c	21	*Præsentatio B. M. V.* dupl. maj. * Commem. S. Liberalis Episc. et Conf.
d	22	S. Cæciliæ Virg. et Mart. *dupl.*
e	23	S. Clementis I. Papæ et Mart. *dupl.* Commem. S. Felicitatis Mart.
f	24	S. Joannis a Cruce Conf. *dupl.* Commem. S. Chrysogoni Mart.
g	25	S. Catharinæ Virg. et Mart. *dupl.*
A	26	S. Silvestri Abbatis, *dupl.* Commem. S. Petri Alexandrini Episc. et Mart. * et S. Justi Conf.
b	27	* S. Odonis Abbat. et Conf. *dupl.*
c	28	— S. Josaphat Episc. et Mart. *dupl.* (dies fixa e 14 hujus).
d	29	* S. Saturnini Episc. et Mart. *semid. ad libitum.* Commem. Vigiliæ, et alterius S. Saturnini Mart.
e	30	S. ANDREÆ APOSTOLI, *dupl. 2. cl.*

FESTUM MOBILE

* Dom. infra Oct. Omnium Sanctorum, Festum SS. Reliquiarum in Ecclesiis Diœcesis Tutelen. asservatarum, *dupl.*

DECEMBER

Litt. Dom.	Dies mensis.	
f	1	* S. Eligii Episc. et Conf. *dupl.*
g	2	S. Bibianæ Virg. et Mart. *semid.*
A	3	S. Francisci Xaverii Conf. *dupl.*
b	4	S. Petri Chrysologi Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. S. Barbaræ Virg. et Mart.
c	5	— *Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli Apost.* dupl. maj. (dies fixa e 8 Nov.). Commem. S. Sabbæ Abbatis.
d	6	S. Nicolai Episc. et Conf. *dupl.*
e	7	Vigilia. S. Ambrosii Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
f	8	IMMACULATA CONCEPTIO B. M. V. *dupl.* 1. *cl.* cum Octava.
g	9	De Octava, *semid.*
A	10	* *Translatio Almæ Domus Lauretanæ,* dupl. maj. Commem. S. Melchiadis Papæ et Mart.
b	11	S. Damasi I. Papæ et Conf. *semid.* Commem. Oct.
c	12	* S. Valeriæ Virg. et Mart. *dupl.* Commem. Oct.
d	13	S. Luciæ Virg. et Mart. *dupl.* Commem. Oct.
e	14	De Octava, *semid.*
f	15	Octava Immaculatæ Conceptionis B. M. V. *dupl.*
g	16	S. Eusebii Episc. et Mart. *semid.*
A	17	* S. Lazari resuscitati Episc. et Mart. *dupl.*
b	18	* *Exspectatio Partus B. M. V.* dupl. maj.
c	19	
d	20	* SS. Israëlis et Theobaldi Conf. *semid. ad libitum.* Commem. Vigiliæ.
e	21	S. THOMÆ APOST. *dupl.* 2. *cl.*
f	22	
g	23	* S. Asclepii Episc. et Conf. *dupl.*
A	24	Vigilia Nativitatis.
b	25	NATIVITAS D. N. J. C. *dupl.* 1. *cl.* cum Octava.
c	26	S. STEPHANI PROTOMART. *dupl.* 2. *cl.* cum Oct. Commem. Oct. Nativitatis et * Omnium Sanctorum Martyrum.
d	27	S. JOANNIS APOST. ET EVANG. *dupl.* 2. *cl.* cum Oct. Commem. Octavarum.
e	28	SS. INNOCENTIUM MM. *dupl.* 2. *cl.* cum Oct. Commem. Octavarum.
f	29	S. Thomæ Cantuariensis Episc. et Mart. *semid.* Commem. Octavarum.
g	30	Dom. infra Oct. Nativitatis, vel de Oct. Nativitatis, *semid.* Commem. Octavarum.
A	31	S. Silvestri Papæ et Conf. *dupl.* Commem. Octavarum.

OFFICIA VOTIVA

Qualibet Feria V non impedita Festo novem lectionum etiam translato, extra tamen Adventum, Quadragesimam, Octavas, Vigilias et Ferias privilegiatas, excepta etiam Feria in qua, secundum Rubricas, Officium Dominicæ aliquando erit appositum, fit Officium votivum SS. Sacramenti, sub ritu semiduplici.

Item quolibet sabbato, ut supra non impedito, sub iisdem limitationibus et ritu, fit Officium votivum Immaculatæ Conceptionis B. M. V.

(Ex concessione S. R. C., die 16 julii 1863).

OFFICIA PROPRIA
)IŒCESIS TUTELENSIS
A SANCTA SEDE APPROBATA

PARS ÆSTIVA

FESTA MOBILIA

:R. VI. POST OCT.
CORPORIS CHRISTI
ATISSIMI CORDIS JESU
)uplex 1. *classis.*
cium aliud in Supple-
.
. *Vesp.* De torrénte.
Matut. Invit. Cor Jesu
tis victimam, etc.

DOM. I. NON IMPEDITA
POST OCTAVAM SS. APOST.
PETRI ET PAULI
COMMEMORATIO
OMNIUM
SS. ROMANÆ ECCLESIÆ
SUMMORUM PONTIFICUM
Duplex majus.
Ut in Supplem. inter Festa mobilia.

FESTA FIXA SANCTORUM

FESTA MAII

DIE XVI
ANNIS NEPOMUCENI
MARTYRIS
Duplex.
Supplemento, 1° *loco.*

DIE XXI
'ELICIS A CANTALICIO
CONFESSORIS
Semiduplex.
Supplemento.

. DIE XXII
SANCTI LUPI
)V. EPISC. ET CONF.
Duplex.
nia de Comm. Conf.
, *præter seq.*

ORATIO

MEMÓRIAM recoléntes beáti Lupi, quem in opus ministérii episcopális eléctum mirabíliter ostendísti; te Dómine exorámus, ut ejus intercessióne, per bona ópera, certam nostram vocatiónem et electiónem faciámus. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO
Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO
LECTIO V

LUPUS laudábilis vitæ présbyter, túmuli sancti Martiális fidélis custos,

294

mira sanctitáte flóruit, et non sine miráculo Lemovicénsis Ecclésiæ factus est antístes. In locum episcopi vita functi ambigéntes clerus et pópulus quem sufficerent, postquam ad sepúlcrum beáti Apóstoli preces fudíssent, inter se tandem convenérunt ut probitáte insígnes duo, Lupus et álius ítidem sacérdos, ad regem mitteréntur, qui utrum vellet elígeret, plúribus tamen in Lupum propendéntibus. Cum eam legatiónem vir sanctus, ab omni ambitióne aliénus, aliquámdiu recusásset, importúnis précibus exorátus, iter tandem suscépit.

℟. Invéni.

LECTIO V

Lupo nec nobilitáte, nec véstium splendóre insígni, fácilis ad regem non pátuit áditus. Verum, fílio Clotárii gráviter ægrotánte, evénit ut regína post triduánum jejúnium divínitus admónita, ad Lupi preces confúgerit ut sanarétur; et vero, celebráto per virum Dei sacrifício, puer sanátus est. Eo miráculo rex permótus, de Lupo eligéndo libénter assénsit, eúmque nónnisi multis munéribus donátum dimísit.

℟. Pósui.

LECTIO VI

Opiniónem de se concéptam non feféllit novus episcopus; nam qui dignitáte célsior, vitæ sanctitáte et pastoráli vigilántia éxstitit sublímior. Fundatióni Solemniacénsis monastérii, a sancto Elígio cónditi, consénsum præbuit, litterísque sancti Elígii, ea de re cum áliis epíscopis subscrípsit. Clarus dénique miráculis óbiit undécimo Kaléndas Júnii. Ejus sacrum corpus, miráculis insígne, in basílica sancti Martiális tumulátum, e terra levávit Geráldus, Lemovicénsis episcopus, anno millésimo centésimo quinquagésimo octávo, et in ecclésiam sancti Michaélis de Leónibus tránstulit, ubi usque in hodiérnum diem religiosíssime cólitur.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Vigiláte. *de Comm.* 2º *loco.*

In II. Vesp. Commem. seq.

DIE XXIII

SANCTI UBALDI

EPISC. ET CONF.

Semiduplex.

(*Dies fixa ex* 16 *hujus.*)

Omnia ut in Brev., die 16 *hujus.*

Vesp. de seq., Commem. præced.

DIE XXIV

B. MARIÆ VIRGINIS

SUB TITULO

AUXILIUM CHRISTIANORUM

Duplex majus.

Ut in Supplem.

Commem. S. Ubaldi Ant. et ℣. ex II. Vesp. de Comm. Conf. Pont.

Postea, Commem. S. Yvonis Conf. Ant. et ℣. e I. Vesp. de Comm. Conf. non Pont.

ORATIO

Deus, qui beátum Yvónem Confessórem tuum, piis opéribus, signis et virtútibus in Ecclésia tua clarére fecísti: præsta, quǽsumus; ut ejus méritis et précibus tua benefícia capiámus. Per Dóminum.

Pro sancto Yvone.

LECTIO IX

Yvo, nobílibus paréntibus natus, in diœcési Trecorénsi, Lutétiæ et Aureliánis óperam lítteris dedit. Judex ecclesiásticus ab archidiácono Rhedonénsi primum est restitútus, deinde étiam a duóbus Trecorénsibus epíscopis, Aláno scílicet et Gaufrédo. Fuit rector uníus paróchiæ, per octo annos, et póstea altérius per decem annos. Perpétuus viduárum, orphanórum, aliorúmque miserabílium fuit patrónus vigilantíssimus et indeféssus. Oratióni assídue vacábat sicut et verbi Dei prædicatióni. Cum Aureliánis versarétur, cœpit a cárnibus et vino abstinére; quod per totum vitæ tempus observávit, sǽpius pane solo conténtus. In páuperes fuit liberalíssimus, ita ut quidquid habéret, in eórum usus expénderet. Ejus domus erat páuperum hospítium. Aliquándo bis et ter in die conciónes habébat ad pópulum, nec ad concionándum accedébat, quin prius preces ad Deum fudísset; sǽpius étiam lácrymis obórtis inter concionándum multóties flere visus est. Tanta erat in eo dicéndi vis, ut ipsi Spíritus divínus loquénti verba suggérere viderétur. Multa mirácula per ipsum Deus operátus est. Prídie quam morerétur, extrémam unctiónem máxima cum reveréntia suscépit, super strámine jacens. Mórtuus est anno ætátis círciter quinquagésimo, et a Cleménte sexto sanctórum catálogo solémniter adscríptus est.

Si transferatur Festum B. M. V., Lect. IX. *ut in Supplem.*

In Laud., fit Commem. S. Yvonis Conf. Ant. Euge. ℣. Justum.

DIE XXVII

SANCTÆ MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS VIRG.

Duplex.

Omnia ut in Brev. hac eadem die, sub ritu Duplici.

Pridie, Vesp. a Capit. de sancta Maria Magdalena; Commem. præced. et S. Joannis Papæ et Mart., in Breviario.

In II. Vesp. a Capit. de seq. Commem. præced.

295

DIE XXIX

B. JOANNIS BAPTISTÆ
DE LA SALLE
CONFESSORIS

Duplex.

(*Dies fixa e 4 Maii.*)

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

IN I. VESPERIS

Pridie, a Capit. de B. Joanne Baptista de la Salle, Commem. præced.

HYMNUS

Alma quem Sion célebrat beátum
Hac die festa decet, o Joánnes,
Nos tuas sacras memoráre dulci
Cármine láudes.

Degis in terra comes Angelórum,
Qui student flori juvenilis ævi,
Semper in cælis simul intuéntes
Núminis ora.

Dum tenent curæ vigiles scholárum,
Súblevat mentem fídei volátus;
Pro Deo pugnans, ánimas requiris
Inclytus heros.

Te pium láudant púeri patrónum,
Te ducem sanctum récolunt magistri,
Te vocant cuncti méritis poténtem:
Omnibus adsis.

Sit decus summæ Tríadi perénne,
Quæ dat infánti resonáre láudem
Integram; linguæ fateántur omnes
Cuncta regéntem.
Amen.

Ad Magnif. Ant. Sínite párvulos veníre ad me, et ne prohibuéritis eos; tálium est enim regnum Dei.

ORATIO

Deus, qui ad salutárem páuperum eruditiónem, ac dandam párvulis sciéntiam, beátum Joánnem Baptistam Confessórem excitásti, et novam per eum in Ecclésia famíliam collegísti: da eos, quǽsumus, qui christiánam instituunt infántiam, ejúsdem semper exémplis insístere, et intercessióne profícere. Per.

AD MATUTINUM

Hymn. Alma quem Sion, *ut supra ad Vesp.*

IN I. NOCTURNO

Lect. Beátus vir. *de Communi 2º loco.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Joánnes Baptista de la Salle, Societátis Fratrum Scholárum Christianárum institútor, Rhemis ex claro génere ortus, se præstitit adhuc puer in pietátem pronum, a sǽculi illécebris omníno aliénum. Audíre et narráre Sanctórum gesta, dógmata religiónis edocéri, litánti Sacerdóti ministráre, púeris in choro canéntibus jungi, hæc fuérunt tenéllæ

ejus ætátis delíciæ, quæ jam innuébant ipsum in sortem Dómini esse vocándum. Púerum vidére erat mitem docilémque apud magistros, comem cum sodálibus, sédulum in addiscéndis litterárum rudiméntis. In universitáte Reménsi, ubi philosóphiæ óperam dedit, carus páriter ob virtútes animíque dotes magistris et æquálibus; a quorum tamen societáte abstinébat solitúdini pietatísque opéribus vacatúrus. Annum agens décimum séptimum clericáli coróna decorátur, et mox canonicátu in ecclésia metropolitána insignítur. Lutétiam Parisiórum deínde missus ut ad theológicas disciplínas ánimum convérteret, in seminário sancti Sulpítii commorátus est, ubi quaque excélluit regulárum custódia, contémptu fluxárum mundi rerum, humilitáte, comitáte, cæterísque cleri virtútibus. Paréntibus orbátus, in patérnam domum revértitur, ut fratrum sororúmque educatióni incúmberet. Neque tunc tamen relíquit sacram theológiam, cujus currículum partim Rhemis, partim íterum Parísiis complévit.

℟. Honéstum.

LECTIO V

Sacerdótio demum áuctus, aram conscéndit seráphicæ velut caritátis igne flagrans. Nec umquam in eo tépuit divínus ille ardor pietátis: quotídie enim sacrum fecit non modo sanus, sed et advérsa valetúdine fractus, sempérque tanta religióne, ut non raro qui áderant, ad meliórem frugem revocáti discéderent. Et quóniam nóverat sacerdótis esse animárum salúti studére, non dístulit óperam suam in id conférre cum omni quidem prudéntia, humilitáte, patiéntia et doctrína. Scholárum ab Infánte Jesu nuncupatárum, quas diréctor suus institúerat ad puellárum páuperum educatiónem procurándam, et caritáti suæ commendáverat, régimen suscépit, eásque prudentíssime moderári cœpit, strénue eásdem deféndens ab oppugnatiónibus, calúmniis et insídiis adversariórum. Hujúsmodi experiméntis et labóribus divína providéntia servum suum accingébat ad opus præcípuum, quod ipsíus curis paráverat, scilicet ad novam condéndam religiósam famíliam, quæ Christiánas puerórum Scholas institúeret ac dirígeret. Quod opus tunc solúmmodo incéptum, cum fúerit Joánni Baptístæ demandátum, ejus ópera absólvi tandem pótuit, ac miro modo propagári cœpit.

℟. Amávit eum.

296

LECTIO VI

SERVUS igitur Dei adjúnxit sibi viros probos ac pios, quos domi recéptos, sumptu suo áluit, atque cum illis conversátus, favénte consórtio labórum, eos mente sua imbuit et instrúxit. Hæc fuére incunábula congregatiónis Fratrum Scholárum Christianárum, quam approbávit Benedíctus tértius décimus, et rex ipse christianíssimus privilégiis dotávit régio diplómate. Régula, quam discípulis suis pius institútor trádidit observavítque ipse accuratíssime per quadragínta annos, páriter póstea confirmáta est auctoritáte Apostólica. Quot vero vir Dei exantláverit labóres, quantis calúmniis fúerit impetítus, quam sancte et generóse hæc ómnia toleráverit, quantum inter tot advérsa se exhibúerit minístrum irreprehensíbilem et virum juxta cor Dómini, verbis dícere árduum est. Cum esset sápiens, quæsívit verba utília et conscrípsit libros spirántes suavíssimos pietátis sensus, et tenérrimæ juventútis cáptui accommodátos. Sibi semper constans, simplex, rectus, húmilis et obédiens, terréna quæque contémnens, abhórrens pervérsas doctrínas, quæ tunc Ecclésiam vexáverant, sanctæ Sedi Apostólicæ fírmiter addítus, ab honóribus aliénus, dimisso canonicátu, património paupéribus erogáto, ipsáque præpositúra suæ Congregatiónis abdicáta, quo rerum divinárum contemplatióni libérius vacáret, se recépit in domum sancti Iónii prope Rothómagum, quam sibi et frátribus comparáverat; et ibi Deo júgiter inténtus, quo die Christus ánimam pro nobis pósuit, eódem suam Christo réddidit, nondum septuagenárius, sed refértus opéribus bonis, de religióne óptime méritus. Quem heróicis floruísse virtútibus Pius nonus declarávit, ac Leo décimus tértius miráculis ejus intercessióne patrátis rite recógnitis, in Beatórum albo solémniter inscrípsit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

LECTIO VII. *Cap.* 18.

IN illo témpore : Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes : Quis, putas, major est in regno cælórum? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

In cap. 18. *Matth. Hom.* 60.

VIDÉTE, ne áliquem istórum contempséritis parvulórum, quia eórum Angeli Patris mei fáciem semper adspíciunt, et quia ego propter eos veni, et

hæc Patris mei volúntas est. Ad tuéndos conservandósque pusíllos diligentióres nos reddit. Pérspicis quam ingéntia in tutélam tenúium mœnia eréxerit, et quantum stúdium curámque hábeat, ne perdántur, tum quia suprémas despiciéntibus eos pœnas státuit, tum quia summam pollicétur mercédem his, qui curam eórum suscípiunt, idque tam suo, quam Patris exémplo corróborat.

℟. Iste est.

LECTIO VIII

Dóminum ígitur étiam nos imitémur, et nihil pro frátribus omittámus, étiam eórum quæ humília villáque nímium vidéntur: sed si administratióne nostra étiam opus fúerit, quamvis ténuis atque abjéctus quidem, cui administrándum sit, fúerit, quamvis árdua nobis res atque labóris plena esse videátur, ómnia hæc pro fratris salúte tolerabilióra faciliórаque, oro, videántur; tanto enim stúdio tantáque cura Deus dignam esse ánimam osténdit, ut neque Fílio suo pepércerit.

℟. Sint lumbi.

LECTIO IX

Si non est nobis satis ad salútem, quod virtuóse ipsi vivámus, sed opórtet aliórum salútem re ipsa desideráre; cum neque nos recte vivámus, neque álios hortémur, quid respondébimus? quæ nobis spes salútis réliqua erit? Quid majus, quam ánimis moderári, quam adolescentulórum fíngere mores? Omni certe pictóre, omni certe statuário, cæterísque hujúsmodi ómnibus excellentiórem hunc duco, qui júvenum ánimos fíngere non ignóret.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

ET PER HORAS

Ant. 1. Qui ad justítiam erúdiunt multos : quasi stellæ in perpétuas æternitátes fulgébunt.

Ps. Dóminus regnávit.

2. Veníte fílii, audíte me : timórem Dómini docébo vos.

3. Beátus homo, quem tu erudíeris Dómine, et de lege tua docúeris eum.

4. Declarátio sermónum tuórum illúminat, et intelléctum dat párvulis.

5. Bonum est viro, cum portáverit jugum ab adolescéntia sua.

HYMNUS

Qui mente, factis, péctore
Totum tibi se trádidit,
Jesu, beátum férvidis
Hymnis Joánnem pángimus.

Pura ad fluénta cónvocans
Virtútis et sciéntiæ,
Ad te veníre párvulos
Amóre victos cómpulit.

Ut stilla rorans grámina,
Mentes tenéllas ímbuit;

Divísque sparsit flóribus
Arctam salútis sémitam.
At nunc supérno e lúmine,
Qui junctus adstat Angelis,
Hæc ipsa nobis ímpetrans
Pergat tuéri infántiam.
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre et almo Spíritu :
Da, quo beántur Cǽlites,
Vultu tuo nos pérfrui.
Amen.

Ad Bened. Ant. Non est volúntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, ut péreat unus de pusillis istis.

IN II. VESPERIS

Omnia ut in primis, præter seq.

Ad Magnif. Ant. Amen dico vobis, qui suscéperit unum párvulum talem in nómine meo, me súscipit.

Commem. seq.

DIE XXX

S. FERDINANDI III.

REGIS, CONF.

Ut in Supplemento sub ritu Semiduplici ad libitum.

FESTA JUNII

DIE I

SANCTI CLARI

EPISCOPI ET MARTYRIS

Duplex majus.

Omnia de Comm. unius Mart., præter seq.

ORATIO

Deus, qui beáti Clari Mártyris tui atque Pontíficis prædicatióne, de infidelitátis ténebris pópulos in admirábile Evangélii lumen transtulisti : fac ut ejus intercessióne crescámus in grátia et cognitióne Dómini nostri Jesu Christi Filii tui : Qui tecum vivit.

In I. Vesp. fit Commem. præced. sanctæ Angelæ Mericiæ Virg.

IN I. NOCTURNO

Lect. A Miléto. *ut in Communi unius Mart.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV.

Clarus in Africa natus, zelo animárum æstuans, et spíritu Dei ductus, cum sex áliis sóciis, Justino, Gerúnto, Sevéro, Polycárpo, Joánne et Babilio, relicta pátria, iter versus Romam, ab Apostólica Sede missiónis obtinéndæ grátia, instituisse dicitur. Dum áutem vela fácerent, ad urbem Joppen appúlsi, plúrimos ibi infidéles ab idólis et dæmonum servitúte revocárunt. Commóta vero in eos civitátis príncipum ira, quod deórum cultum exstinguerent, hinc abire coácti, Romam tandem devéniunt. Ibi Clarus sacris initiátus a Summo Pontífice et dignitáte episcopáli insi-

gnitus, ab eódem in Gállias míttitur. Primum Aquitániæ pópulis Christum annúntians, incredíbile dictu quot ex illis, præsértim inter Lemovicénses et Albiénses, pietátis luce, virtútum omnimodárum mirabílibus gestis, máxime vero ardénti prædicatióne, ad Evangélium tradúxerit.

℟. Honéstum.

LECTIO V

Sed non intra fines Aquitániæ continéri pótuit tanti epíscopi zelus vere apostólicus. Colóniam Agrippínam præ áliis civitátibus idololatríæ déditam, cum Babílio sócio proféctus, non cives modo, sed et ipsos idolórum pontífices exundántis doctrínæ efficácia, ac miraculórum multitúdine, ut uni vero Deo famularéntur indúxit. Inde ad Albiénses revérsus, Albigam urbem pene totam ad Dei cultum páriter adjúnxit, unde primus Albiénsium epíscopus in díptycis Ecclésiæ repónitur. Tandem dum álias ex áliis urbes pervádit, magna utrobíque pro salúte animárum singuláris suæ caritátis relínquens vestígia, Lactóram in Vascónia áppulit; cumque ibi suo more christiánæ religiónis documénta própenit ad pópulum, acti in furórem idolórum sacrificuli, abréptum contumeliόse detrúdunt in cárcerem. Ex hoc edúctum, ac Diánæ sacrificáre noléntem, per loca dumis et vépribus horréntia nudum trahi, repetitísque íctibus plumbatárum in catásta exténtum illum contúndi júdices præcípiunt. Multa demum ália perpéssus, cum nec acerbitáte, nec diuturnitáte suppliciórum vincerétur, extra urbis mœnia cápite truncátus, martýrii palmam adéptus est.

℟. Desidérium.

LECTIO VI

Celebrátur sancti Clari memória ad diem primam Júnii, non Albigæ ac Lactóræ solum, sed et in multis áliis Ecclésiis, præsértim vero Tutelénsi et Burdigalénsi, in quibus relíquiæ ejus asservántur. Solet imprímis invocári pro morbis oculórum sanándis, et quando propelléndа est plúvia, cælíque serénitas expétitur; in quo génere auxílium illíus Tutelénses sibi frequénter adésse sensérunt. Porro hujus sancti Mártyris reliquiárum translátio jam ab annis, plusquam octingéntis facta, in vetustíssimo Tutelénsis Ecclésiæ Breviário notáta repéritur, die vigésima octáva mensis Maii. In eádem Ecclésia, síngulis recurréntibus septénniis, juxta piam æque et antíquam consuetúdinem, beáti Clari cránii pars insígnis pópulis

viscénda et publicitus honorånda propónitur, atque ad fovéndam fidélium pietátem, perpétuas indulgéntias pro septenária ejúsmodi solemnitáte Summi Pontifices concessére.

℟. Stola.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

LECTIO VII. *Cap.* 10.

In illo témpore : Dixit Jesus discipulis suis : Non est discipulus super magistrum, nec servus super dóminum suum. Et réliqua.

Homilia sancti Cypriáni Episcopi et Mártyris.

(*Epist.* 56. *quæ est de exhortatione ad Martyr. ad Thibaritanos.*)

Gaudére nos in persecutiónibus vóluit Dóminus : quia tunc dantur corónæ fidei, tunc probántur milites Dei, tunc martýribus patent cæli. Neque enim sic nomen militiæ dédimus, ut pacem tantúmmodo cogitáre, et recusáre militiam debeámus, quando in ipsa milítia primus ambuláverit Dóminus, humilitátis et tolerántiæ et passiónis magister; ut quod fieri dócuit, prior fáceret, et quod pati hortátur, prior pro nobis ipse paterétur. Sit ante óculos, fratres dilectissimi, quod qui omne judicium a Patre solus accépit, et qui ventúrus est, et judicatúrus, jam judicii sui et cognitiónis futúræ senténtiam prætúlerit, prænúntians et contéstans confessúrum se coram Patre suo confiténtes, et negatúrum negántes.

℟. Coróna.

LECTIO VIII

Neque áliquis persecutiónis metu sic terreátur, ut non evangélicis exhortatiónibus et præcéptis, ac mónitis cæléstibus, ad ómnia inveniátur armátus; iráscitur adversárius et minátur, sed est qui possit de mánibus ejus liberáre. Ille metuéndus est cujus iram nemo potest evádere, ipso præmonénte et dicénte : Ne timuéritis eos qui occidunt corpus, ánimam áutem non possunt occidere; magis áutem metúite eum qui potest et corpus et ánimam occídere in gehénnam. Et íterum : Qui amat ánimam suam perdet illam; et qui odit ánimam suam in isto sǽculo, in vitam ætérnam conservábit illam. Ecce agon sublímis et magnus, et corónæ cæléstis prǽmio gloriósus. Præliántes nos spectat Deus, spectant Angeli, spectat et Christus. Quanta est glóriæ dignitas, quanta felicitas, præsénte Deo, cóngredi, et Christo júdice coronári !

℟. Hic est.

LECTIO IX

Armémur viribus totis, et parémur ad agónem

mente incorrúpta, fide íntegra, virtúte devóta. Armat nos Apóstolus dicens: Indúite arma Dei, ut possítis resístere in die nequíssimo. Induámur loricam justítiæ, ut contra inimíci jácula munítum sit pectus et tutum. Calceáti sint evangélico magistério, et armáti pedes; ut cum serpens calcári a nobis cœperit, mordére et supplantáre non possit. Portémus scutum fídei, quo protegénte, quidquid jaculátur inimícus possit exstíngui. Accipiámus ad teguméntum cápitis gáleam salutárem, ut muniántur áures, ne áudiant edícta ferália: muniántur óculi, ne videant detestánda simulácra: muniátur frons, ut signum Dei incólume servétur: muniátur os, ut Dóminum suum Christum victrix lingua fateátur. Armémus et déxteram gládio spirituáli, ut sacrifícia funésta fórtiter réspuat. Et Eucharistiæ memor quæ Dómini corpus accépit, ipsum complectátur, póstea a Dómino sumptúra prǽmium cæléstium coronárum.

In II. Vesp. Commem. SS. Pothini, Blandinæ etc. Mart. Ant. et ℣. *de I. Vesp. plurim. Mart.*

Deinde fit Commem. SS. Marcellini, Petri et Erasmi Mart. Ant. et ℣. *de Laud., in Comm. plurim. Mart.*

DIE II

SS. POTHINI EPISC. BLANDINÆ VIRGINIS ET SOC. MART.

Semiduplex ad libitum. Omnia de Comm. plur. Mart., præter seq.

ORATIO

Mártyrum tuórum, Dómine, Pothíni, Blandínæ et sociórum palmas ánnua celebritáte venerántes, súpplices te rogámus: ut, quos glória cæléstí sublimásti, nobis pérpeti suffrágio concédas subvenire. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

IN I. NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Beatíssimus Pothínus, Lugdunénsis episcopus, nonagenário major, ob córporis infirmitátem vix spíritum trahens, sed præ cupiditáte Martýrii mira alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal trahebátur. Quo perlátus, prosequéntibus ipsum magistrátibus civitátis, et univérsa plebe váriis eum clamóribus impeténte, tamquam ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium. Interrogátus a prǽside quisnam esset Christianórum Deus, respóndit: Si dignus fúeris, cognósces.

℟. Sancti.

LECTIO V

Post hæc inhumáne raptátus, et innúmeris plagis afféctus est, cum ii quidem qui própius adstábant cálcibus et pugnis illum contumelióse appéterent, qui vero lóngius distábant, quidquid ad manum erat, in ipsum conjícerent; omnes dénique gravíssimi piáculi reos se existimárent nisi pro sua quisque parte ei petulánter insultáret. Exínde, vix adhuc spirans, in cárcerem projéctus est, tandémque post bíduum, ánimam exhalávit.

℟. Vérbera.

LECTIO VI

Matúrus neóphytus, et diáconus Ecclésiæ Viennénsis nómine Sanctus, cum Blandína ancílla, et Attalo, ducti sunt ad béstias in amphitheátrum. Et Matúrus quidem ac Sanctus, consuéta illic flagrórum vérbera pertulérunt, et bestiárum ipsos trahéntium morsus, ipsam postrémo férream cáthedram, cui superpósita mártyrum membra cum torreréntur, illórum nares molestíssimus nidor implébat. Hi ergo máximo certámine perfúncti, cum vitálem spíritum diu protraxíssent, tandem juguláti sunt. Blandína áutem, post flagra, post béstias, post sartáginem, retículo inclúsa, táuro objécta est, a quo diu in altum jactáta, demum et ipsa víctimæ instar juguláta est.

℟. Tamquam.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Descéndens Jesus. 2º *loco.*

Lect. IX. (*duabus in unam junctis*) *de SS. Marcellino, Petro et Erasmo Mart., ut in Breviar., hac die; quorum Commem. in Laud., per Ant. et* ℣. *de I. Vesp.*

Vesp. de seq. Commem. præced.

DIE III

SANCTÆ CLOTILDIS

REGINÆ ET VIDUÆ

Duplex.

Omnia de Communi non Virg. et non Mart., præter seq.

ORATIO

Réspice, quæsumus Dómine, ad Francórum benígnus impérium; et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti, iísdem nunc per ejus intercessiónem tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Clotíldis, Chilperici Burgundiónum regis fília, post paréntum necem, a pátruo Gundobáldo rege educáta, Clodovǽo adhuc

éthnico in cónjugem trádita est. Cum primogénitum peperísset, eum toleránte magis quam approbánte Clodovǽo, baptizári jussit. Quo infánte in albis defúncto, id ægre ádmodum tulit Clodovǽus, ac baptísmo imputávit. Alterum fílium regína cum genuísset, hunc quoque baptizári vóluit. Qui cum ægrotáre cœpísset, affirmánte rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus convàluit.

℟. Propter.

LECTIO V

At regína non cessábat hortári virum ut, abjécta idololatría, Deum verum cóleret; sed ille, superstitióni Francórum adhærére non déstitit, donec in expeditióne Alamánnica, inclinátam cernens suam áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Remos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium, a quo rex, fidem edóctus, baptizátus est et chrísmate sacro inúnctus.

℟. Dilexísti.

LECTIO VI

Post mortem Clodovǽi, Túrones ádiit Clotíldis, ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni, summa pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemósynis aliísque piis opéribus inténta, munífica erga ecclésias et monastéria. Tandem plena diérum, Túronis migrávit ad Dóminum; et Parísios inter psalléntium choros transláta, sepúlta est a fíliis suis Childebérto et Clotário régibus ad latus Clodovǽi, in sacrário basílicæ beatórum Petri et Páuli, ubi corpus sanctæ Genovéfæ diu quiévit.

℟. Fallax.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Símile est thesáuro. *de Comm.*

In II. Vesp. a Capit. de seq., Commem. præced.

DIE VII

SANCTI LIPHARDI

CONF. NON PONT.

Semiduplex ad libitum.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq. (m. t. v.)

Pridie, ad Vesp. Commem. S. Liphardi. Orat. Intercéssio. *de Communi pro Abbatibus.*

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Sanctus Liphárdus abbas, sancti Leonárdi frater, nobílibus paréntibus Aurélíæ natus, eam instítuit in adolescéntia vitam, ut propter exímiam ejus prudéntiam et doctrínam adhuc júvenis in júdicem ómnium suffrágio eléctus fúerit. Hoc

300

in officio sic se hábuit, ut, némini moléstus, ómnibus amábilis esset : neque enim patiebátur se ábripi ullo ánimi motu qui supérbiam aut invídiam redoléret; sed lenitáte verbórum, æquitáte sententiárum, mansuetúdine morum et vitæ integritáte, ómnium ánimos et voluntátes sibi fácile devinciébat.

℟. Honéstum.

LECTIO V

QUAMVIS máximo cum urbis bono præésset ómnibus ut judex, máluit tamen subésse áliis tamquam Christi discípulus, ut daret aliquándo exémpla obediéntiæ religiósæ qui tóties exémpla déderat prudéntiæ christiánæ. Itaque pertǽsus vitæ sæculáris, ad ecclesiásticam tránsiit, in qua minóribus ordínibus primum, deínde diaconátui initiátus, secéssit in montem Magdúnum prope Auréliam situm, ut Deo sibíque víveret solus, qui áliis ad annum ætátis quadragésimum in urbe cum láude víxerat. In illo desérto inter feras degébat ut Angelus, hordeáceo pane et aqua conténtus, sacco indútus, et cilicio non sine ómnium stupóre mirábilem ducébat vitam.

℟. Amávit.

LECTIO VI

NON diu solus egit in desérto vitam : multi enim, ejus sanctitátis fama permóti, ad eum convolárunt, ut virtútem doceréntur religiósam sub tanto præceptóre, qui verbo præíbat áliis et exémplo. Inter álios venit ad eum Marcus, Aurelianénsis epíscopus, qui ejus sanctitátem admirátus, sacerdótem consecrávit. Miráculis clarus, serpéntem stupéndæ magnitúdinis précibus occídit: cláudos aridósque membris sanávit; res máxime ábditas prævídit; ánimam Theodémiri abbátis inter Angelórum manus in cælum evolántem vidit, et a Deo mónitus ejus fúneri intérfuit. Tandem elécto in successórem Urbico, ejus discípulo, plenus diérum et óperum inter fratrum discipulorúmque suspíria cæléstem ad pátriam, quam única quærébat, circa médium sǽculi sexti transívit.

℟. Iste homo ómnia perfécit.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ecce nos reliquimus. *de Comm. Abbatum.*

DIE XIII

COMMEMORATIO

SANCTI PSALMODII

CONFESSORIS

Pridie, ad Vesp. Ant. Euge serve bone. *e Laud.* ℣. Os justi. *e II. Noct. de Comm. Conf. non Pont.*

ORATIO

Da nobis, quǽsumus Dómine, spíritum cui beátus Psalmódius servívit : ut, eódem repléti, débitas tibi láudes devóte persolvámus, et hujus mundi cadúca spernéntes, ad bona cæléstia júgiter adspirémus. Per... ejúsdem Spíritus.

Si Festum S. Joannis a S. Facundo vel Festum S. Antonii transferatur, Ant. et ℣. immutentur juxta rubricas.

LECTIO IX

Psalmódius, Gregório Magno coætáneus, in Majóri Británnia claro génere natus, divínis lítteris et christiánis móribus educátus est. Adhuc júvenis, cum in líttore maris supra fascem algæ obdormísset, alga ab aquis eleváta támdiu illum sustínuit, donec recedéntes fluctus divínas láudes decantántem in líttore incólumem relínquerent. Ætáte crescens, in Aquitániam apud Sanctónes recéssit, ubi a beáto Leóntio epíscopo honorífice excéptus est, et aqua quæ ejus mánibus abluéndis inservíerat, Leóntii jussu cæcæ mulíeris óculis adhíbita, ipsi visum restítuit. Verum cum ejus fama crebris miráculis propagarétur, in Lemovícium perréxit, et ibi in némore densíssimo non longe ab Aentimonastério, locum aspérrimum solitáriæ vitæ idóneum nactus, remánsit. In oratióne ita fuit assíduus, ut quotídie præter cǽteras preces, íntegrum Psaltérium recitáret : unde Psalmódii nomen sortítus est. Abstinéntia ejus mirábilis fuit, ita ut totam vitam diébus solemnióribus excéptis, in jejúniis ágeret. Psalmódii sanctitátem étiam in Lemovício crebra et vária mirácula comprobárunt. Aquitániæ ducis fíliam cólubri morsu periclitántem aqua benedícta sanávit. Energúmenam a dǽmone liberávit. Alteri cæcæ visum réddidit. Tot dénique prodígiis cláruit, ut cum latére vellet, soliúsque Dei glóriam quǽreret, ejus humílitas a Deo pétere eum coégerit, ut nullum ámplius patráret miráculum. Vitæ cursu cum admirábili sanctitáte conf écto, Idibus Június ad Beatórum sedes evolávit. Ejus corpus miráculis insígne Aentimonastérii cónditum est, ubi summa religióne cólitur.

Ad Laud. Ant. Similábo. ℣. Amávit. *e I. Vesp.*

DIE XV

SANCTÆ GERMANÆ COUSIN

VIRGINIS

Duplex.

Omnia de Comm. Virg., præter seq.

Pridie, a Capit. de sancta Germana, ex Comm. Virg. non Mart.; Commem. præced., et SS. Viti etc. Mart. ut in Breviar.

ORATIO

Deus humílium celsitúdo, qui beátam Germánam Vírginem tuam caritátis et patiéntiæ decóre excéllere voluisti : ejus méritis et intercessióne concéde; ut crucem júgiter feréntes, te semper dilígere valeámus. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Germána Cousin Pibraci, quod óppidum est Tolosánæ diœcésis, húmili loco nata, ab ipsa pene infántia grávibus ærúmnis fuit obnóxia. Cum enim manca esset, et strumis inféctа, statim post óbitum matris in ódium novércæ íncidit, ejúsque ópera, patérna domo ejécta, et custodiéndis grégibus addicta, solo pane et aqua victitans, et super stramen aut áridos pálmites in ipsa pécudum cáula somnum carpens, vitam in summa egestáte, rerúmque ómnium inópia tolerávit. Hæc et ália, quibus quotídie premebátur, frígoris, æstus et ímbrium incómmoda, quin étiam domesticórum convícia et infestatiónes, forti semper ánimo, et ore ad hilaritátem compósito, non solum patientíssime tulit, sed majóra pati exoptávit, ut confórmis fíeret imágini Fílii Dei, quem únice toto cordis afféctu diléxit.

℟. Propter.

LECTIO V

Sive enim gregem ad páscua, sive in arvis stámina e colo dúceret, mente et cogitatióne in Deum defíxa, assíduas fundébat preces, et pósitis humi génibus ante crucis signum, ardentíssimi amóris æstus rerum cæléstium contemplatióne temperábat. Quotídie templum adíre, sacrifício Missæ interésse, et síngulis diébus festis se divínæ mensæ pábulo refícere in more hábuit. Deíparam Vírginem singulári religióne cóluit, eíque frequéntia exhíbuit obséquii et pietátis offícia. Caritáte erga omnes afféctа, púeros et puéllas christiánæ fídei mystériis erudíre, eorúmque ánimos ad virtútem et rectam vivéndi ratiónem informáre, egéntium inópiæ subveníre consuévit, detrácto étiam sibi panis frústulo, quo únice vescebátur. Castitátis vero et innocéntiæ láudem tantam proméruit, ut ad mortem usque illibátam servárerit.

℟. Dilexísti.

LECTIO VI

Hanc fámulæ suæ occúltam sanctitátem Deus,

Éditis a cælo signis, mirabíliter declarávit. Nam et flúvium aquis exundántem, dum Pibracénse templum péteret, Germána sicco pede sǽpius transívit, et panem paupéribus erogándum, ut novércam latéret, hibérno témpore in flores convértit. Virtútibus et prodígiis illustráta, ad cæléstes Agni núptias tandem inopináto éxitu emigrávit, annum agens secúndum supra vigésimum. Mortáles Vírginis exúviæ, anno quadragésimo et ultra postquam e vita decésserat, incorrúptæ et intégræ, recentibúsque conspérsæ flóribus repértæ sunt. Huic prodígio ália multa, per annos ferme ducéntos divína virtúte ad túmulum júgiter patráta, mirácula accessérunt, quæ innocéntis puéllæ famam et nomen longe latéque propagárunt. Quibus permótus Pius nonus Póntifex Máximus, virtútibus et miráculis rite probátis, cámdem beatárum Vírginum fastis primum adscrípsit. Subínde vero novis fulgéntem prodígiis idem Póntifex anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo, ca ipsa die qua sæculária Apostolórum Príncipum solémnia agebántur, sanctórum albo accénsuit.

℟. Afferéntur Regi vírgines.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Simile est. *de Comm. non Virg., cum* ℟℟. *de Comm. Virg.*

Lect. IX. (*ex duabus una*) *de SS. Vito etc., quorum Commem. ad Laud., ut in Breviar.*

Vesp. de seq. Commem. præced. sanctæ Germanæ Cousin.

DIE XVI

APPARITIONIS D. N. J. C.

B. MARTIALI

EP. ET AQUITANIÆ APOST.

Duplex majus.

Omnia ut in Comm. Conf. Pont., præter seq.

ORATIO

Deus, qui fidélibus tuis multíplices mansiónes in domo tua ab ætérno ordinásti : præsta, quǽsumus; ut sanctíssimis précibus beáti Martiális Confessóris tui atque Pontíficis adjuvémur, quem hodiérna die ad convívium cæléstis dulcédinis vocáre dignátus est Jesus Christus Fílius tuus, Dóminus noster : Qui tecum vivit.

IN I. NOCTURNO

Lect. Sic nos exístimet. *de Comm. Apost.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Anno ab Ascensióne Dómini quadragésimo, oránti beáto Martiáli, ac dissólvi et esse cum Christo cupiénti, idem Dóminus Jesus admirábili splendóre

circumfúsus apparuísse tráditur, ac ei diem quo e vita migratúrus esset prænuntiásse his fere verbis : Quinto décimo abhinc die, caríssime, véniam ad te, ut recípiam cum Angelis et fáciam te herédem regni mei. Hujus áutem rei fama cum percrebuísset, úndique ad eum convenérunt Pictones, Petrocórii, Bitúriges, Arvérni, aliíque quos ad Christum perdúxerat Aquitániæ pópuli, Apóstolum suum postrémo visúri.

℟. Invéni.

LECTIO V

Coácto ígitur pópulo, pródiit ad eum verba factúrus Martiális, ac, repetíta totíus disciplínæ christiánæ série, univérsos mónuit ut in ea fide perseverárent quam ipsis prædicáverat: contéstans eam esse veram doctrínam a Christo Apóstolis tráditam. Cumque hæc per totum fere diem exposuísset, febre corréptus est : qua urgénte, fusis pro tota Aquitániæ Ecclésia précibus, diléctos pópulos, data eis benedictióne, dimísit.

℟. Pósui.

LECTIO VI

Porro ne concúrsu et frequéntia turbárum ad se veniéntium, ánimus, non nisi cæléstem vitam et supérnam Jerúsalem cógitans, ab illa meditatióne abstraherétur, secéssit in ædem quam Deo in beáti Stéphani honórem consecráverat, ubi tandem prídie Kaléndas Júlii, ut ipsi prænuntiátum fúerat, migrávit ad Dóminum.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Designávit. *de Comm. Evang.*

In II. Vesp. Commem. S. Joannis Francisci Regis Conf.

DIE XVII

S. JOANNIS FRANCISCI REGIS

CONFESSORIS

(*Dies fixa ex heri.*)

Ut in Supplem. die 16.

DIE XX

SANCTI RODULPHI

CONF. ET PONT.

Duplex.

Omnia ut in Comm. Conf. Pont., præter seq.

Pridie, ad Vesp. a Capit. de S. Rodulpho cum Commem. præced., et S. Silverii Papæ et Mart., ut in Brev.

ORATIO

Deus, qui inter príncipes gentis nostræ beátum Rodúlphum Confessórem tuum atque Pontíficem elegísti, ut sacris adstáret altáribus et templa erígeret nómini sancto tuo : concéde propítius; ut ejus méritis et imitatióne, in ómnibus nos exhibéntes sicut tui minístros, templum sanctum tuum éffici mereámur. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

(*Ex Bolland. et ejus vita, Secul. 4. Benedict.*)

RODÚLPHUS seu Radúlphus, nóbili et antíqua prosápia natus, Rodúlphi, cómitis Turénnæ et Cadúrci, ex Aygua fílius, Bertrándo, viro religióso, a paréntibus instituéndus tráditus est : quo ductóre, progréssum in lítteris ac pietáte non vulgárem fecit. Aigúlfo, epíscopo Bituricénsi, suffféctus, Ecclésiam sibi créditam singulári sapiéntia, ac virtútis láude sic administrávit, ut a cunctis pater pátriæ vocátus fúerit.

℟. Invéni.

LECTIO V

PLURA cóndidit virórum ac mulíerum monastéria, in quibus píetas egrégie flóruit. In eis éminet præsértim Bellilocénse in Lemovícibus, quod in patérno fundo cóndidit, accersítis a cœnóbio Solemniacénsi quibúsdam mónachis, quodque non amplis prǽdiis tantum, sed étiam insígnibus relíquiis ditávit. Váriis intérfuit concíliis, Tulléensi præsértim, in quo judex eléctus est cum Remígio Lugdunénsi aliísque præsúlibus in cáusa Wenilónis, Senonénsis epíscopi.

℟. Pósui.

LECTIO VI

HUIC scripsit Hincmárus, Reménsis archiepíscopus, pro rebus ad Ecclésiam suam, in pago Lemovicénsi, spectántibus. Scripsit et ipse vária de rebus ecclesiásticis capítula in quibus pastóris óptimi doctrína, vigilántia et zelus elúcent. Scribens ad eum Nicoláus primus Papa, et primátem Aquitaniárum ipsum agnóvit, et patriarchàli título decorávit. Tandem, multis pie functus labóribus, obdormívit in Dómino, anno salútis octingentésimo sexagésimo sexto, undécimo Kaléndas Júlii, et sepúltus est in basílica sancti Ursíni, apud Bitúricas, ubi magna veneratióne cólitur.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Vigiláte. *de Comm.* 2° *loco.*

Lect. IX. (*e duabus una*) *de S. Silverio Pont. et Mart., cujus Commem. ad Laud. ut in Brev.*

In II. Vesp. a Capit. de seq., Commem. præced.

DIE XXVII

SANCTI PROSPERI

EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter seq.

Oratio. Exáudi.

Pridie, ad Vesp., a Capit. de S. Prospero. Post Commem. præced. et Oct., fit

303

Commem. S. Domnoleni Conf. Ant. Similábo. *e I. Vesp.* ℣. Justum. *e Laud. Orat.* Deus qui nos.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

PROSPER, vir egrégie doctus, et beáti Augustini Hipponénsis doctrínæ acérrimus defénsor, Lemóvicis, in Aquitánia, nóbili família natus est. Jam a pueritia sacrárum litterárum imbútus disciplina, frequénti eárum lectióne tantum profécit, ut nihil quod Deum perfécte coléndum eique toto corde inserviéndum fácere posset, prætermitténdum sibi putáret. Quare bona ex evangélico consílio véndita paupéribus erogávit, et mox Romam, quo jam semel peregrinatiónis cáusa sub Cælestíno Summo Pontifice devénerat, rursum pétiit, ad sanctum Leónem primum cum canónicis Lateranénsibus deputátus.

℟. Invéni.

LECTIO V

EUM benigne humanitérque excéptum idem Summus Póntifex, ob prudéntiam et sapiéntiam in consiliórum partem adscivit, et ejus ópera in epistolis ad várias ecclésias conscribéndis usus est; in quibus plúrimas hǽreses tunc témporis grassántes mirabíliter confutávit. Pelagiánam præsértim sæpe exstinctam, dénuo renascéntem prorsus delévit. Hærésibus áutem Nestoriána, et Eutychiána invalescéntibus, Summus Póntifex Prósperum cum multis áliis Ecclésiæ præsúlibus ad concilium Chalcedonénse misit advérsus hǽreses disputatúrum. Exinde divinitus sanctus Leo mónitus, eum Reggiénsi Ecclésiæ valde reluctántem episcopum præfécit. Quocirca, Roma relicta, Réggium advertánti tota óbviam cívitas magno cum pláusu procéssit.

℟. Pósui adjutorium super poténtem.

LECTIO VI

PROSPER áutem, in episcopáli cáthedra Reggiénsi constitútus, sana cælestíque doctrina pópulum sibi commíssum páscere curábat, et eúmdem ad sancte piéque vivéndum multo magis vita sanctísque móribus provocábat. In oratióne assiduus, in eleemósynis largus, in Ecclésiæ sollicitúdine impiger, in ómnibus ut lucérna super candelábrum pósita, seípsum præbébat exémplum bonórum óperum, méritoút commúnis ómnium parens ab ómnibus prædicarétur. Dénique, cum circiter quátuor et vigínti annos Reggiénsi Ecclésiæ præfuisset, miráculis clarus, in cælum, octávo Kaléndas Július, circa

finem sæculi quinti, evolávit.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Vigiláte. *de Comm. 2° loco.*

Ad Laud. Commem. Oct., et S. Domnoleni. Ant. Euge serve. *e Laud.* ℣. Amávit. *e I. Vesp.*

In II. Vesp. Commem. seq. et Oct.

DIE XXIX

IN FESTO

SS. APOST. PETRI ET PAULI

COMMEMORATIO OMNIUM SS. APOST.

AD I. VESPERAS

Ant. In hoc cognóscent omnes quia discípuli mei estis, si dilectiónem habuéritis ad ínvicem.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

ORATIO

Exáudi nos Deus salutáris noster : et ómnium sanctórum Apostolórum tuórum tuére præsídiis, quorum donásti fidéles esse doctrínis : Qui vivis et regnas.

AD LAUDES

Ant. Vos qui secúti estis me, sedébitis super sedes judicántes duódecim tribus Israël.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Orat. Exáudi. *supra.*

AD II. VESPERAS

Fit Commem. S. Martialis, Aquitaniæ Apostoli et Lemovicum Protopræsulis.

Ant. Venerándam beatíssimi patróni nostri Martiális excipiéntes solemnitátem, devotíssime celebrémus, ut ipse qui, jubénte Dómino, Aquitániæ gentis pastor et doctor éxstitit primus, suis obtíneat méritis, ut consórtes ipsíus efficiámur in cæléstibus.

℣. Ora pro nobis, beáte Martiális. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

ORATIO

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Martiálem Confessórem tuum atque Pontíficem Ecclésiæ tuæ sanctæ præésse voluísti, quæsumus; ut nobis, ejus suffragántibus méritis, pietátis tuæ grátiam largiáris. Per Dóminum.

Deinde omnium SS. Apostolorum, Ant. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis, dicit Dóminus.

℣. Glorióus in sanctis suis, fáciens mirabília. ℟. Hic Deus meus, et glorificábo eum.

Orat. Exáudi. *ut supra.*

Ubi I. Vesp. dicuntur integræ, Ant. et Capit. de Laud.; Hymn. Festiva lux. *de Matut.; ℣. Ant., ad Magnif., Orat. ut supra.*

DIE XXX
SANCTI MARTIALIS
AQUITANIÆ APOSTOLI ET LEMOVICUM PROTOPRÆSULIS
Duplex 1. *classis cum Oct.*

AD MATUTINUM

Invit. Regem omnipoténtem Dóminum, qui pópulo Aquitániæ Martiálem dedit Apóstolum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

HYMNUS

Festíva lux emícuit,
Dies præclára spléndui,
Qua Martiális ánima
Regna conscéndit cælica.

Hunc devótis obséquiis,
Honóribus hunc cóngruis,
Nostra catérva celébret,
Deóque gáudens júbilet.

Hic vir tantis virtútibus,
Tam probis fulsit móribus,
Ut terris adhuc pósitus,
Hæréret Deo pénitus.

Jam dénique miráculis
Inter mortáles cláruit,
Ut Galliárum pópulum
Convérteret ad Dóminum.

Vitæ defúnctos révocans,
Ægris salútem réparans,
Obséssis ex corpóribus
Immúndos pellens spíritus.

Ejus nos Christe méritis
Cunctis emúnda vítiis,
Et décoris virtútibus
Cæli conjúnge cívibus.

Laudémus rerum Príncipem,
Trinum Deum ac símplicem,
Cui decus et glória
Per infiníta sǽcula.
Amen.

IN I. NOCTURNO

Ant. Martiális, adhuc quíndecim annórum puer ínnocens, ad baptísmi grátiam, Deo inspiránte, pérvenit.

Pss. de Comm. Apost.

Ant. Est hic puer unus habens quinque panes et duos pisces. Accépit ergo Jesus panes, benedíxit et dedit turbis.

Ant. Advocans Jesus párvulum, státuit eum in médio eórum, et dixit: Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Lect. de Comm. Apost. Sic nos existimet.

℟. I. Venerándam beatíssimi Martiális solemnitátem devotíssime celebrémus, ut pro nobis intercédat ad Dóminum: * Qui Aquitánico pópulo ipsum dedit primum pastórem atque doctórem. ℣. Tota ígitur men-

tis devotióne Deum collaudémus, sanctúmque nomen ejus benedicámus ovánter. Qui Aquitánico.

℟. II. Salvátor noster Christus Dóminus, missus ad oves quæ períerant domus Israël, * Púerum Martiálem cum utróque pa：rénte ad sui nóminis agnitiónem et ad sacri baptismi grátiam perdúxit. ℣. Abjécta nostræ mortalitátis pérpeti non dedígnans, et Evangélica documénta in Judǽa prǽdicans. Púerum.

℟. III. Percépit, jubénte Christo, Martiális cum utróque parénte a beáto Petro, Apostolórum príncipe, sanctæ regeneratiónis grátiam; * Et, relíctis patre et matre, secútus est Dóminum. ℣. Díxerat namque Dóminus : Omnis qui relíquerit patrem et matrem propter nomen meum, centúplum accípiet, et vitam ætérnam. Et, relíctis. Glória Patri. Et, relíctis.

IN II. NOCTURNO

Ant. Sanctus Martiális ad prædicándum Gálliis delegátus, Lemovícibus, jubénte Petro Apóstolo, sémina fídei erogánda suscépit.

Ant. Aquitánia, multórum tunc témporis idolórum addícta cúltui, a divínis in ómnibus oberrábat mystériis.

Ant. Cernens beátus Petrus gentem tanto sacrilégio subjacére, ad prædicándum Jesum Christum misit Martiálem Apóstolum.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

LECTIO IV

Martiális, ut antíqua et constans fert tradítio insígnis Ecclésiæ Lemovicénsis et totíus fere Aquitániæ, unus fuit ex septuagínta duóbus discípulis Christi, consanguíneus Petri Apóstoli et Protomártyris Stéphani; patre Marcéllo et matre Elísabeth, de tribu Bénjamin, natus prope urbem Rama, ubi Cárolus Magnus póstea ædificávit ecclésiam in ipsíus honórem. Juxta eámdem traditiónem, anno ætátis décimo quinto, jussu Dómini, baptizátus est a beáto Petro cum paréntibus suis; quibus ad própria revérsis, ipse Christo adhǽsit, quámdiu in terris versátus est, salutáris illíus doctrínæ párticeps, et inspéctor miraculórum toto réliquo triénnio, atque ab eo virgo eléctus, virgo usque ad mortem permánsit. Dícitur étiam fuísse puer ille seu adoléscens, juxta multos intérpretes, præsértim juxta divum Thomam, qui quinque panes hordeáceos et duos pisces áttulit, cum Christus in monte quinque hóminum míllia satiávit, et quem a passiónibus immú-

nem ut exémplum humilitátis discípulis exhibuit. Tráditur ínsuper, ut constat ex áctibus concílii Lemovicénsis et áliis monuméntis, eum últimæ Cœnæ et Resurrectiónis atque Ascensiónis Christi testem fuísse, et in die Pentecóstes Spíritu sancto replétum fuísse.

℟. Véspere áutem facto, discúbuit Jesus cum duódecim Apóstolis, ut manducáret Pascha. * Martiális vero erat unus ex ministrántibus. ℣. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum pater meus. Martiális vero.

LECTIO V

Post áutem Christi in cælum ascensiónem, adjúngens se beáto Petro, Jerosólymis annos quinque, Antiochiæ septem, Romæ unum, fidélis ubíque ac strénuus Evangélii administer mansit Martiális. Beátus Petrus, Christi mónitu, ad Aquitániæ gentes converténdas Martiálem diréxit, duóbus presbýteris Alpiniáno et Austricliniáno ei in subsídium datis. Ut audívit a summo Christi Vicário Aquitánicis convertēndis se esse destinátum, eis promulgándi Evangélii cáusa statim proféctus est. Cumque primo itíneris die, Austricliniánus ex morbo repénte obiisset, atque ídeo Martiális ádmodum mœstus, ad beátum Petrum ejus imploratúrus opem rediísset, ab eo scipiónem, quo pius senex utebátur, accépit, ut ejus contáctu mórtuum sócium excitáret; quod revéra divína virtúte statim factum est. Ut áutem cum comítibus fines Lemóvicum áttigit Martiális, in óppidum Tullum, quod nunc Tutéla cívitas est, se primum cóntulit, ubi Arnúlphi hóspitis fíliam a dæmónio arréptam sanávit. Príncipis Nervæ, Nerónis imperatóris consanguínei fílium únicum vita functum suscitávit : ipsum Nervam cum tota família, necnon quamplúrimos regiónis íncolas ad Christum convértit et sacro fonte expiávit. Ideo gloriántur Tutelénses se primos inter Galliárum pópulos audivísse nomen Christi. Inde Martiális Agedúnum cum sóciis proféctus, ab idolórum sacrificulis primo male mulctátus verbéribus, mox tamen, cum ejus prædicatióne et miráculis ipsi cum magna pópuli parte convérsi essent ad fidem Christi, benígne hábitus est. Póstmodum, Deo inspiránte, civitátem Lemóvicam ádiit, ubi pontifícium et præcípuam apostolátus sui sedem constítuit.

℟. Eúntibus Apóstolis in mundum, ut Christi fidem prædicárent, venérunt Romam beátus Petrus et co-

mes illíus Martiális, * Veritátem annuntiántes géntibus Deum ignorántibus. ℣. Præcéperat enim Dóminus Jesus : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Veritátem.

LECTIO VI

Erat tunc régio tota immérsa ténebris idololatríæ, sed magnis et frequéntibus miráculis, plúrimos ad fidem addúxit. In illis fuit Leocádii fília, quæ étiam, hortátu Martiális, virginitátem Deo vovit. Quare ira pércitus, Stéphanus, Leocádii in gubernatióne Aquitániæ succéssor, cui jam desponsáta erat, Valériam cápite truncári jussit; sed, repentína morte carníficis, et ejus per Martiálem a mórtuis suscitatióne convíctus, Stéphanus ipse Christo nomen dedit, atque ad propagándam fidem póstea plúrimum cóntulit. Martiális tamen, Alpiniánus et Austricliniánus, multa ínterim passi sunt ab idolórum cultóribus : nam et ab eórum sacerdótibus crudéliter verberáti, et in cárcerem conjécti sunt, sed ab Angelo liberáti. Andréas áutem et Aureliánus, præcípui falsórum deórum sacrificuli, de cælo repénte tacti, exspirárunt; quos tamen Martiális revocávit in vitam. His miráculis, non solum ipsi, sed étiam álii, ad duódecim míllia, convérsi ferúntur. Tunc Martiális cœpit passim evértere dæmonum delúbra, et uni Deo templa ædificáre; jamque innumerábiles pópulos tota in Aquitánia convérterat ad fidem, cum a Christo præmónitus de die mortis, anno ætátis suæ quinquagésimo nono, apostolátus sui in Aquitánia vigésimo octávo, ab Ascensióne Dómini quadragésimo, óbiit Lemóvicæ, prídie Kaléndas Júlii, morte naturáli. Quod privilégium advértunt ei atque áliis ómnibus fuísse qui Christo in cruce moriénti religióse adstíterant, tamquam jam martýrium passis cum ipso. Exstant in bibliothéca Patrum duæ Epístolæ, una ad Burdigalénses, ad Tolosátes áltera, fidem et pietátem redoléntes, et plúrimum cathólico dógmati propugnándo inserviéntes, quas tradítio grávibus roboráta testimóniis, beatíssimo Aquitániæ Apóstolo constánter adscrípsit.

℟. Missus in Aquitániam, Deo inspiránte, Apóstolus Martiális sedem apostolátus sui elégit Lemóvicæ : * Ut ubi abundábat delíctum sacrilégæ superstitiónis, ibi abundáret et grátia evangélicæ veritátis. ℣. Hinc cœpit tota Aquitánia spárgere lumen fídei, et ténebras dissipáre idolo-

306

latríæ. Ut ubi. Glória Patri. Ut ubi.

IN III. NOCTURNO

Ant. Romam regréssus sanctus Martiális, beáto Petro mœstus núntiat sui cómitis óbitum.

Ant. Accépto Petri báculo, Austricliniánum a mórtuis revocávit, et cum eo gáudens in Aquitániam pervénit.

Ant. O felix Aquitánia, tanti Prǽsulis illustráta doctrínis et exémplis, oratiónibus fulta, decoráta miráculis!

℣. Nimis honoráti sunt amici tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Homil. in Evang. Designávit Dóminus. *de Comm. Evang.*

℟. VII. O sancte et gloriósе Martiális Apóstole, per quem Aquitánia suum agnóvit Creatórem, et per cujus multitúdinem miraculórum * Lomóvices in suum crédere cœpérunt Salvatórem. ℣. O vere per ómnia ínclyte et ineffábilis vir, per cujus virtútem prodigiórum. Lemóvices.

℟. VIII. O Præsul beatíssime, o Martiális Doctor et Pastor Aquitániæ! áudi preces nostras, * Et intercéde pro salúte ómnium. ℣. O gemma Prǽsulum, præfúlgens in conspéctu Dómini, súscipe preces servulórum. Et. Glória Patri. Et.

AD LAUDES

Ant. 1. Cum oráret * beátus Martiális, appárens ei Dóminus, dixit: Pax tibi sit, caríssime; gáudens eris mecum in splendóre magno.

Pss. de Dominica.

2. Beátus Apóstolus * exsúltans dixit: Dómine, déprecor tuam cleméntiam ut júbeas me récipi in tua claritáte.

3. Quinto décimo die, * caríssime, véniam ut recípiam te cum Angelis, et fáciam herédem regni mei.

4. Sanctíssimus Præsul, * convocátis discípulis, indicávit eis dissolutiónem sui córporis imminére.

5. Cum advenísset * extrémus dies, sanctus Martiális orábat, dicens: Dírigas iter meum ad te, Deus meus, ut tecum váleam semper gaudére.

CAPITULUM. *Ephes.* 2.

FRATRES: Jam non estis hóspites et ádvenæ; sed estis cives sanctórum et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo anguláriláре lápide Christo Jesu.

HYMNUS

MARTIÁLI Apóstolo,
Aquitanórum dómino,
Psallat mater Ecclésia,
Colens ejus solémnia.

Hic adoléscens nóbilis,
Usus Christi collóquiis,
Adamávit cæléstia,
Parvipéndens terréstria.

Linquens Judǽæ pátriam,
Devénit Antiochiam,
Apostolórum príncipi
Corde junctus unánimi.
Cum ipso Romam pétiit,
Hinc Aquitános ádiit,
Datus Pastor divínitus
Lemovicínis cívibus.
Frangens idololatríam,
Consecrávit Ecclésiam;
Quam pie semper díligat,
Et ad supérna dírigat.
Sit in excélsis glória
Deo qui fecit ómnia;
In terra pax homínibus
Sursum corda levántibus.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Martiális. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Bened. Ant. O magnum Primátem, virtúte miraculórum ineffábilem, Martiálem Apóstolum! tua nos súblevet píetas, quos nímia mergit právitas, omnémque gregem tibi commíssum dignéris perdúcere ad gáudia Sanctis præparáta.

ORATIO

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Martiálem Confessórem tuum atque Pontíficem Ecclésiæ tuæ sanctæ præésse voluísti; quǽsumus, ut nobis ejus suffragántibus méritis, pietátis tuæ grátiam largiáris. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Nulla fit Commem., nisi sit Dominica.

AD HORAS

Ant. de Laud., cœtera de Comm. Apost.

AD II. VESPERAS

Ant. et Capit. de Laud., Pss. de Comm. Apost.

HYMNUS

Jucúndis pangat méntibus
Pius Ecclésiæ chorus
Láudum Christo præcónia,
Hac die celebérrima.
Qua Martiális ínclytus,
Vir Deo dilectíssimus,
Carnis solútus néxibus,
Cæli succédit sédibus.
Hujus præcláris áctibus
Ac divínis affátibus,
Vana detéstans idóla,
Christum recépit Gállia.
Exsúltet Aquitánia
Tanto Patróno dédita;
Gens máxime Lemóvica
Læta deprómat cántica.
Huic devóta súpplicet,
Hunc incessánter ínvocet,
Quo piis sese précibus
Cæli conjúngat cívibus.
O Martiális óptime,
Pastor et dux egrégie,
Pro nostris facinóribus
Intérveni propítius.
Impétra nobis véniam
Apud Christi cleméntiam,
Ut, expiátis sórdibus,
Deo fruámur plénius.
Præstet ætérna Trínitas,
Eadem simplex Unitas:
Parens, Natus et Cáritas;
Cuncta gubérnans Déitas.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Martiális. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

307

Ad Magnif. Ant. O Pastor egrégie! O spéculum Præsulum! O Martiális Doctor et dux Aquitániæ! Súscipe preces te deprecántium, et intercéde pro salúte ómnium.

Fit Commem. Oct. S. Joannis Baptistæ, ut in I. Vesp. Festi.

Diebus Festis infra Oct., fit Commem. SS. Apost. Petri et Pauli, et Oct. S. Martialis, in Laudibus et Vesperis per Ant., ℣. *et Orat. de Festo.*

FESTA JULII

DIE III

IN COMMEM. S. PAULI APOSTOLI

Duplex majus.

(*Dies fixa ex* 30 *Junii.*)

Omnia ut in Brev., præter seq.

Pridie, in II. Vesp. Visitationis B. M. V., fit primo Commem. seq. S. Pauli Apost. Ant. Sancte Páule Apóstole. *etc.* ℣. Tu es vas. *in Brev.*

Deinde, pro Commem. S. Petri Ant. Tu es Pastor. *etc. in Brev.*

Et tandem, Commem. S. Martialis.

In II. Vesp., Commem. S. Petri, Ant. Tu es pastor.; *ac tandem Oct. S. Martialis.*

DIE IV

ORDINATIONIS ET TRANSLATIONIS

SANCTI MARTINI EPISCOPI ET CONFESSORIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq. (m. t. v.)

ORATIO

Quæsumus Dómine cleméntiam tuam, ut in hac die quam Ordinatióne et Translatióne beáti Pontíficis Martíni consecrásti, des nobis illam sequi doctrínam quam ille et verbo dócuit, et ópere complévit. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. Fidélis sermo. *de Communi.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Martínus a sancto Hilário Pictaviénsi epíscopo, cui adhǽserat, exorcísta ordinátus, constitúto prope civitátem monastério, vicínis pópulis prædicáre exórsus est. Mox virtútum ómnium splendóre, ac præsértim suscitátis duóbus mórtuis, cum ipsius fama longe latéque diffunderétur, vita functo sancto Lidório, Turonénsi epíscopo, in hanc sedem ut imponerétur, expetítus est. Itaque Rurícii civis Turonénsis indústria de cœnóbio evéllitur, et ne effúgere possit, per viam dispósitis cívium turmis, in urbem dedúcitur. Congregátis íllico præ-

súlibus cum clero et pópulo, una ómnium senténtia renuntiátur episcopátu digniórem Martíno esse néminem. Et tamen, instínctu Defensóris, Andegavénsis epíscopi, objécta est a quibúsdam plebéiis incúlta fácies, véstium squalor, capillíque defórmitas. Quæ cum a sapiéntibus irrísa mérito fuíssent, confirmáta est quæ jam præcésserat eléctio.

℟. Invéni David servum meum.

LECTIO V

Páucis interjéctis diébus, quarto scílicet Július, anno Valéntis et Valentiniáni octávo, episcopáli ordinatióne consecrátus fuit Martínus. Quam quidem largíssima in Gálliis divinárum benedictiónum cópia secúta est. Cujus tanti benefícii memor Ecclésia Turonénsis, Ordinatiónem sancti Martíni exínde solémni ritu quotánnis veneráta est, ut memóriæ prodidérunt vetustióra martyrológia. Cum annos vigínti sex, menses quátuor et dies vigínti septem in episcopátu sedísset, gloriosíssimum vitæ cursum beáto éxitu consummávit in Condaténsi vico. Corpus ejus Túrones ea ipsa nocte relátum fuit, et quingéntis infra civitátem pássibus honorífice túmulo cónditum: super quod sanctus Bríctius, beáti Martíni succéssor, exíguam ecclésiam ædificávit.

℟. Pósui.

LECTIO VI

Cum áutem ad sanctíssimi Præsulis túmulum prodígia increbréscerent, prædictaque ædícula capiéndis fidélibus undequáque affluéntibus jam impar esset, nec satis digna tam sancto pígnore viderétur, sanctus Perpétuus, anno post beáti Martíni decéssum quarto et sexagésimo, ampliórem basílicam cœpit exstrúere. Quæ cum demum, anno quadringentésimo septuagésimo tértio mirábili esset ópere perfécta, ad ipsíus dedicatiónem complúres epíscopos, abbatúmque et clericórum magnam frequéntiam convocávit. Jamque celebrátis Július primo die vigíliis, omnes ad túmulum accésserant; sed loco movéri nullis víribus pótuit. Attónitis ómnibus qui áderant, quidam monet cléricus in diem quartum incídere festum Ordinatiónis sancti Martíni: ad quem diem Perpétuus translatiónem differéndam cénsuit. In jejúniis, vigíliis et oratiónibus tríduum exígitur intermédium. Quarto die, sacro ferétro manus admovéntur; sed írrito ad exportándum conátu. Iterum suspénsi hærébat ánimi, cum média de turba exsúrgit senex, beátum Martínum vi-

déri a se affírmans parátum ad opem adstántibus feréndam. Nec mora : ipso sene cum sacerdótibus anniténte, corpus nullo labóre levátum est, atque in novam basilicam solémniter translátum.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 11.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nemo lucérnam accéndit et in abscóndito ponit, neque sub módio : sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur lumen vídeant. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 26. *in* 2. *ad Cor.*

Christus discípulis suis concéssit ut étiam post mortem clare lucérent, et célebres essent. Christi enim servórum et sepúlcra spléndida sunt, ut quæ urbem ómnium præstantíssimam maximéque régiam occupárint, et dies noti atque perspécti, qui festi a toto orbe agántur. Sepúlcra, inquam, servórum crucifíxi régias áulas splendóre vincunt, non solum magnitúdine et pulchritúdine ædificiórum, nam étiam in hoc súperant, sed, quod multo majus est, accedéntium stúdio. Nam et is qui púrpura indútus est, ad illa sepúlcra se confert ut ea amplectátur, abjectóque fastu stans, sanctos deprecátur ut ipsi apud Deum sibi præsídio sint.

℟. Amávit.

LECTIO VIII

Sanctórum ossa et dæmones sistunt et crúciant, acerbissimísque illis vínculis eos qui adstricti sunt, solvunt. Quid hoc tribunáli terribílius? Cum nemo cernátur, nemo láteri dæmonis incúmbat, voces et dilaceratiónes, vérbera, cruciátus, linguæ conflagrántes audiúntur, dæmone admirábilem poténtiam non ferénte. Atque qui córpora gestárunt, virtútes córpore vacántes súperant, pulvis et ossa, et cinis invisíbiles illas natúras excarníficant.

℟. Sint lumbi.

LECTIO IX

Ideóque nemo est, qui peregrinatiónem umquam iníre sustíneat, ut imperiáles áulas vídeat; contra, multi plerúmque imperatóres péregre profécti sunt ut hoc spectáculo frueréntur. Sanctórum enim Mártyrum templa, futúri judícii vestígia et signa exhíbent dum dæmones flagris cædúntur, hómines castigántur ac liberántur. Viden, quæ sit vis sanctórum étiam defunctórum?

In Laud. Commem. Oct.

In II. Vesp. a Capit. de seq.: Commem. præced. et Oct.

DIE V

SANCTI IRENÆI

EPISC. ET MART.

Duplex.

(*Dies fixa ex* 3 *hujus.*)

Ut in Supplem.

AD LAUDES

Fit Commem. Oct. SS. Apost. Petri et Pauli, et Octavæ S. Martialis.

IN II. VESPERIS

A Capit. de die Octava SS. Apost. Petri et Pauli.

Commem. S. Irenæi, ac deinde Oct. S. Martialis.

DIE VI

IN OCTAVA SS. APOST. PETRI ET PAULI

Commem. S. Martialis, ad Laudes Ant., ℣. *et Oratio Festi.*

In II. Vesp. a Capit. de die Octava S. Martialis. Commem. præced.

DIE VII

IN OCTAVA S. MARTIALIS

EPISC. ET AQUITANIÆ APOSTOLI

Omnia ut in Festo, præter seq.

Pridie ad Vesp. Ant. et Capit. de Laud.; Hymnus Festiva lux. *de Matut.* ℣. Ora pro nobis. *Ant.* Venerándam. *supra.* 36.

ORATIO

Deus, qui Ecclésiam tuam in Apostólicis disposuísti consístere fundaméntis: præsta, quǽsumus; ut, qui devóte ad beáti Apóstoli Aquitániæ Martiális convenérunt natalítia, tuo auxílio muniántur; et grátia Spíritus sancti repleántur. Per Dóminum.

Pro Commem. Oct. SS. Apost. Ant., ℣. *et Orat. in Brev.*

IN I. NOCTURNO

Lect. Sic nos existimet homo. *de Comm. Apost.*

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Petrum Apóstolum imitátus Martiális, nudis pédibus incedébat solóque pane et aqua vitam susténtans, lucem Evangélii per omnes Aquitániæ pópulos circumferébat. Non enim Lemóvices solum, sed étiam Bitúriges, Píctones, Sánctones, Engolisménses, Burdigalénses, Aginnénses, Tolosátes, Cadúrcos, Ruthenénses, Arvérnos, omnésque pópulos, a Rhódano usque ad Océanum, a Pyrenǽis móntibus usque ad Lígerim longe latéque dispérsos, Evangélii luce perfúdit; atque ita in tota fere Gállia exímia Apostolátus sui signa relíquit; unde mérito Galliárum nuncupátus est Apóstolus. Quamóbrem cum anno Christi millésimo vigésimo nono, nonnúlli impugnárent nomen et honórem Apóstoli, sub quo illum ab inítio Ecclésia Lemovicénsis invocábat, consúltus ea de re Joánnes Papa décimus nonus, beátum Mar-

309

tiálem Apóstolum nominári posse definívit, et Officia apostólica in divínis mystériis illi exhibénda esse declarávit in bulla cujus autógraphum servabátur Lemóvicæ, in archivio ecclésiæ collegiátæ sancti Martiális. In conciliis quoque Bituricénsi, bino Lemovicénsi et áliis, Apostólica glória eidem sancto vindicáta est. Primus ómnium in Gállia Martiális templum excitávit in honórem sancti Stéphani protomártyris, et de ipsíus sánguine, quem secum detúlerat ex Judǽa, fertur in altári illíus partem reposuísse, sicut et in áliis ecclésiis quas sub ipsíus nómine álibi Deo sacrávit.

LECTIO V

Cum áutem Pictávis prædicáret, ædem sacram, reveláNte Dómino martýrium sancti Petri, in ejus honórem primus exædificávit. Quod et Engolismæ et Sanctónæ in honórem ejúsdem Principis Apostolórum fecit. Et cum Burdigalæ primum protomártyri Stéphano dedicásset ecclésiam, et ampliórem beáto Petro vellet dedicáre, divínitus de martýrio sancti Andréæ mónitus, in ejus honórem consecrávit. Vírgini Deíparæ Claromontánam, Aniciénsem, Mimaténsem, et apud Cadúrcos, in rupe quæ nómine Amatóris nuncupátur, oratórium magno fidélium concúrsu et plúrimis insignítum miráculis, dedicávit. Stéphano dénique, Mártyrum primicério, præter Lemovicénsem, étiam Petrocorénsem, Cadurcénsem, Aginnénsem, Bituricénsem et Tolosánam consecráre curávit. In quibus ómnibus episcopátibus incipiéndis et promovéndis, quot labóres exantlárit, quot mirácula fécerit totis vigínti et octo annis sui in Aquitánia Apostolátus, propémodum incredíbile est.

LECTIO VI

Semper tamen præ áliis cara ei fuit sua Lemovicénsis Ecclésia, in qua Apostolátus sui primáriam sedem elégerat : quæ étiam proptérea, in secúndo concílio Lemovicénsi de Apostolátu sancti Martiális, dícitur prima ómnium Ecclesiárum Gálliæ. Quamóbrem semper signa singuláris sui in eam amóris ac protectiónis exhibuit. Unde et Lemovicénses numquam ad illum devóti confúgiunt, quin in eo præsens statim in ómnibus suis perículis auxílium adésse séntiant. Vix étiam credi potest quo ardóre ánimi et sensu pietátis sacras ejus relíquias omnes venerántur, præsértim cum quotánnis, olim Féria tértia Páschatis, et nunc Domínica in Albis, in solémni supplicatióne per

vicos et cómpita urbis deferúntur cum áliis sanctórum Relíquiis; aut síngulis septénniis, majóre exhíbita solemnitáte, publícitus aperiúntur ad veneratiónem, totis septem hebdómadis post Pascha.

In II. Vesp., Commem. seq.

DIE IX

PRODIGIORUM B. M. V.

Duplex majus.

Ut in Festis B. M. V., cum seq.

In Ant. ad Magnif. I. Vesp., et in ℟. VII. *dicitur :*

Tuum sanctum Patrocínium.

Commem. S. Elisabeth, in Brev.

In II. Vesp., fit Commem. SS. Septem Fratrum, ac SS. Rufinæ et Secundæ Virg. et Mm.

Ant. Istórum. ℣. Lætámini. *et Orat.* Præsta. *in Brev.*

DIE XI

S. VERONICÆ DE JULIANIS VIRGINIS

Duplex.

(Dies fixa ex 9 hujus.)

Ut in Supplemento, die 9 Julii.

DIE XVII

SANCTI ALEXII CONF.

Duplex.

Omnia ut in Brev., hac die 17 Julii, sub ritu duplici. Non dicuntur Suffrag. nec Preces.

Vesp. a Capit. de seq.; Commem. præced. et SS. Symphorosæ etc. in Brev.

DIE XIX

S. VINCENTII A PAULO

Duplex majus.

Omnia ut in Brev., præter seq.

Pridie, I. Vesp. integræ de S. Vincentio, ut in I. Vesp. de Comm. Conf. non Pont. Commem. præced.

Ad Matut. Lect. I. Noct. de Comm. **Beátus vir.** *2° loco.*

In II. Vesp., Commem. seq. et S. Margaritæ Virg. et Mart., ut in Brev.

DIE XXI

SANCTI RORICII

LEMOV. EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter seq.

Oratio Exáudi.

Pridie, Vesp. a Capit. de S. Roricio; Commem. præced. et S. Praxedis Virg.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Roricius, primus nómine, avíta nobilitáte conspícuus, Aniciorúmque famíliæ conjúnctus, teste Fortunáto, ante episcopátum uxórem duxit Ibériam, Ommátii nóbilis civis fíliam, quibus conjúgibus

epithalámium cécinit Sidónius Apollináris. Ambo póstea, Deo religiósius servíre decernéntes, sǽculi curas abjecérunt, et jejúniis, oratióni, eleemósynis, aliisque piis opéribus exercéndis toti incubuére.

℟. Invéni.

LECTIO V

Ut áutem se in sancto propósito confirmáret Roricius, sacris codícibus, scriptísque Patrum pervolvéndis totum se dedit. Ob istud quo flagrábat salutáris doctrínæ desidérium, arctíssimam junxit consuetúdinem cum celebrióribus Ecclésiæ Galliárum præsúlibus, Lupo Trecénsi, Leóntio Arelaténsi, Fáusto Regiénsi, præcípue vero Sidónio Claromonténsi, quo ad arctam et sublímem perfectiónis viam duce uti vóluit. Tali magistro, eos in pietáte et doctrína progréssus fecit ut Ecclésiæ Lemovicénsis, ab annis áliquot pontífice viduátæ, regímini præféctus fúerit. Hoc in múnere ómnibus exímii pastóris dótibus ènituit, gregémque sibi commíssum, et mónitis et exémplis ad omne opus bonum strénue informávit.

℟. Pósui.

LECTIO VI

Multa scripsit in quibus singuláris eloquéntiæ specímina dedit, quam plúrimum comméndans Sidónius Apollináris, ait: Sermo quidem pulcher, vita vero púlchrior. Vocátus ad concílium Agathénse, anno quingentésimo sexto congregátum, non accéssit. Qua de cáusa cum a Cæsário Arelaténsi amánter fuísset objurgátus, ad excusándam abséntiam suam causátus est ætátem gravem et córporis infirmitátem. Nec diu supérstes, vitam mortálem cum ætérna commutávit. Sepúltus est in monastério sancti Augustíni, quod extra muros urbis fundáverat, et cujus ecclésia prima in Gálliis in honórem Dei sub patrocínio sancti Doctóris dicáta perhibétur: ubi olim asservabántur et pie colebántur sancti Roricii relíquiæ.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Vigiláte. *de Comm. 2º loco.*

Lect. IX. *de S. Praxede Virg., ut in Brev.*

Ad Laud. Commem. S. Praxedis Virg.

Vesp. de seq. cum Commem. præced.

DIE XXIX

SANCTÆ MARTHÆ VIRGINIS

Duplex majus.

Omnia ut in Brev., præter seq.

Pridie, Vesp. de S. Martha, ut in Comm. Virg. non Mart., cum Commem. præ-

ced. Non dicuntur Suffragia nec Preces.

Lect. I. Noct. de Comm. 1° loco.

In II. Vesp. Commem. seq. et SS. Abdon et Sennen Mart., ut in Brev.

DIE XXX

SANCTI GERMANI

ANTISSIODORENSIS EPISC. ET CONFESSORIS

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., præter seq.

Orat. Da, quǽsumus.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Germánus nóbili génere Antissiodóri natus, post auditória Gallicána, Romæ jurisperítiam adéptus, cáusas egit, ibíque uxórem duxit. Províncíæ suæ visitátor constitútus, in Gálliam rédiit. Ibi venatióni nímium déditus, ab Amatóre Antissiodorénsi epíscopo reprehénsus est, quod ferárum quas venándo céperat, truncáta cápita, ex ritu gentílium de árbore quæ in médio civitátis erat, non sine fidélium offensióne suspénderet. Sed ubi Germánum successórem futúrum divínitus cómperit Amátor, Augustodúnum se cóntulit, ut Germáni in clerum adsciscéndi potestátem a Júlio præfécto impetráret. Quod ut obtínuit, eum, rescísso capillítio, clericáli veste índuit.

℟. Invéni.

LECTIO V

Páucis post diébus, mórtuo Amatóre, Germánus creátus epíscopus, súbito mutátur in virum álterum; exínde namque cœpit uxórem habére pro soróre, sǽculi pompam adspernári, vitam ásperam dúcere, sua in páuperes erogáre, ómnibus sine personárum acceptióne hospítium præbére, et oratiónem vix umquam intermíttere. Illum Hilárius Arelaténsis afféctu ut patrem cóluit, reveréntia ut Apóstolum. In Británniam majórem, Cælestíni Summi Pontíficis, et Galliárum episcopórum rogátu, bis proféctus, ibi pelagiánam hǽresim profligávit, multísque miráculis cláruit.

℟. Pósui.

LECTIO VI

In Gálliam redux, ut cívitas Antissiodorénsis, tribútis ádmodum pressa, prístinæ immunitáti redderétur, obtínuit ab Auxiliário, Gálliæ præfécto, cujus uxórem quartána febre dudum laborántem sanávit. Alemannórum exércitum in Armóricos, tum rebélles, ab Actio præfécto missum, avocávit. Dénique Ravénnam proféctus, ut a Valentiniáno imperatóre véniam rebéllibus péteret, ab ipso ejúsque matre Placídia, si-

mul et a Petro Chrysólogo, Ravennátum episcopo, honoríﬁce est excéptus. Ibi, páucis post diébus, ex hac vita decéssit, anno episcopátus trigésimo primo, Christi quadringentésimo octávo. Corpus ejus póstea honoríﬁco comitátu Antissiodórum delátum est.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Homo péregre. *de Comm.* 1° *loco.*

Lect. IX. *de SS. Abdon et Sennen, ut in Brev.*

Ad Laud. Commemoratio SS. Abdon et Sennen Martyribus.

In II. Vesp. a Capit. de seq. cum Commemoratione præcedentis.

FESTA AUGUSTI

DIE IX

S. MARTINI BRIVENSIS

MARTYRIS

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. non Pont., præter seq.

Pridie, Vesp. de S. Martino, cum Commem. præced. et S. Romani Mart.

ORATIO

CONCÉDE, quǽsumus omnípotens et miséricors Deus, per mérita beáti Martini Mártyris, cui vívere Christus fuit et mori lucrum, ut, nobis ipsis moriéntes, Christo veráciter vivámus. Per eúmdem Dóminum.

Deinde, post Commem. SS. Martyrum Cyriaci etc. fit Commem. S. Romani Mart. Ant. Qui odit. ℣. Justus. *e Laud. Orat.* Præsta. *in Brev.*

IN I. NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

MARTÍNUS, in Hispánia, nobilissimis et, ut tradunt, régiis, sed gentílibus paréntibus natus est. Adhuc puer in christiána religióne eruditus et baptizátus, relictis ob amórem Christi pátria et paréntibus, in Itáliam secéssit. Inde in Gálliam conténdens, Saviniaci apud Petrocórios súbstitit, ubi, Lauréntio, exímiæ sanctitátis presbýtero, duce ac magístro, ómnium virtútum exémplar efféctus est. Mirábilis erat ejus in prósperis et in advérsis æquanímitas. Sibi parcus, in páuperes diffúsus, in oratióne ac jejúnio perpétuus erat.

℟. Honéstum.

LECTIO V

APUD Brivénses non longe dissitos tunc grassabátur infidelitátis lues : patérno enim famulátu et im-

pia eruditióne didícerant síngulis sábbatis Satúrno immoláre. Quo audíto, Martínus zelo incénsus, nec difficultátibus térritus, nec perículis commótus, de móribus eórum in mélius mutándis meditátur. Lauréntio propósitum áperit, et quem repugnántem primo ínvenit, póstea itíneris ac labóris sócium facit. Itaque, ambo auxílio divíno freti, viam ingrediúntur, et Brivam celériter conténdunt. Accidit áutem ut primo ingréssu pópulus inánium deórum simulácris immoláret, quod non sine mœróre ferens Martínus, fanum ingréssus, abominándi sacrifícii pompam voce manúque distúrbans, mensas sacrificulórum evértit. Illum turba furens a templo expéllit, et probris ac minis ónerans, lapídibus primum ímpetit. Dumque pro lapidántibus, ut olim beátus Stéphanus, eníxe deprecarétur, unus e circumstántibus erúmpens, gládio caput ejus amputávit. Lauréntius vero truncátum corpus et caput Brivæ sepelívit.

℟. Desidérium.

LECTIO VI

Tot prodígiis deínceps sanctus Martyr coruscávit, ut ejus fama ad áures usque Valentiniáni imperatóris pervénerit, qui, ob victóriam sub ejus præsídio de Bárbaris partam, ad illíus túmulum múnera misit. In ejus honórem sanctus Rorícius, Lemovicénsis epíscopus, basílicam marmóreis colúmnis suffúltam ædificávit, quam, ut scribit Gregórius Turonénsis, ímpetu hostíli cremátam, sanctus Ferréolus, Lemovicénsis ítidem antístes, omníno instaurávit. In ea beáti Martíni corpus magna religióne servátur et cólitur.

℟. Stola.

IN III. NOCTURNO

Homilia S. Hilarii in Evang. Nihil est opértum. *ut in Comm.* 3° *loco.*

Lect. IX. *de Vigilia S. Laurentii, ut notatur in Brev.*

Ad Laud. post Commem. Vigil., fit Commem. S. Romani Mart. Ant. Iste sanctus. ℣. Glória et honóre. *e I. Vesp. in Communi.*

Vesp. de seq. cum Commem. præced.

DIE XI

SANCTÆ PHILUMENÆ

VIRG. ET MART.

Duplex.

Ut in Supplemento.

DIE XIII

SANCTÆ RADEGUNDIS REGINÆ

Duplex.

Omnia de Communi non Virg., præter seq.

ORATIO

Deus, pro cujus amóre beáta Radegúndis ex áulæ tumúltu, sprétis mundi

312

illécebris, in solitúdinem evolávit : tribue nobis, et ejus imitatióne terréna despícere, et amáre cæléstia. Per Dóminum.

Pridie ad Vesp., a Capit. de S. Radegunde; Commem. præced. S. Claræ, Octavæ et SS. Hippolyti et Cassiani Mart., ut in Brev.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Radegúndis, filia Berthárii, Thuringórum príncipis, Clotárii primi ex captiva conjux, beneficéntiam in páuperes, vigilias statas et crebras oratiónes, cilícii usum, vini abstinéntiam, jejúnia, summámque dénique vitæ asperitátem cum régia dignitáte conjúnxit.

℟. Propter.

LECTIO V

Occíso fratre jussu Clotárii, ipso permitténte, ab áula discédens, sanctum Medárdum ádiit : cumque monásticam vitam suscepísset, in diáconam ab eo benedícta est. Pictávium profécta, ibi ex munificéntia régia, monastérium vírginum sub régula sancti Cæsárii Arelaténsis cóndidit; impetravítque póstea a concilio Turonénsi secúndo congregatiónis suæ tutélam et confirmatiónem. Cœnóbio sorórem Agnétem abbatissam præfécit, quam consecrávit sanctus Germánus Parisiénsis.

℟. Dilexísti.

LECTIO VI

Ea áutem pietáte Radegúndis sacrifícium Eucharistiæ prosequebátur, ut in illius usum panes própriis mánibus confíceret, quos divérsis suppeditábat ecclésiis; ac præter cætera pietátis officia, id illi máximæ curæ erat ut pro régibus indesinénter preces fierent in monastério. Abiit ad Dóminum anno quingentésimo octogésimo séptimo. Ejus corpus terræ mandávit Gregórius Turonénsis, occupáto in diœcési obeúnda Merovæo Pictaviénsi, cui tamen reservátum est ut, revérsus, missam celebráret, tumulóque opérculum impóneret.

℟. Fallax.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Simile est regnum. *de Comm. non Virg.*

Lect. IX. *de SS. Hippolyto etc. Mart., in Brev.*

Ad Laud. fit Commem. Oct. et SS. Mart. Hippolyti et Cassiani.

In II. Vesp. Commem. Oct. et S. Eusebii, ut in Breviar.

DIE XVI

SANCTI ROCHI

CONF. NON PONT.

Duplex.

Ut in Supplemento.

DIE XVIII

SANCTI HYACINTHI

CONF. NON PONT.

Duplex.

(*Dies fixa ex* 16 *hujus.*)

Omnia ut in Breviario, die 16 *hujus.*

Pridie ad Vesp. a Capit. de S. Hyacintho, cum Commem. præced. et Oct. Assumptionis, atque S. Agapiti Mart., ut in Brev.

Lect. IX. *de S. Agapito Mart., ut in Brev.*

Vesp. a Capit. de seq. Commem. præced. et Oct.

DIE XIX

SANCTI CALMINII

CONF. NON PONT.

Duplex.

Omnia ut in Comm. Conf. non Pont., præter seq.

ORATIO

Ecclésiam tuam, Dómine, beáti Calmínii Confessóris tui votíva solémnitas lætíficet; ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Calmínius, qui et Calmélius dícitur, præcláris ortus natálibus, ad amórem sui conditóris, ab ipsis pene infántiæ suæ rudiméntis omnímode exársit. Qui regéndam próprio moderámine provínciam suscépit Aquitániam, in quo principátu ea vir sanctus se moderátus est discretióne, ut ita uterétur hoc mundo quátenus non displicéret Deo. Actio ejus semper paupéribus et peregrínis satagébat: cléricis quoque et univérsis Deo devóte serviéntibus sese præbuit munífícum. Necnon ecclésiis antíquis reædificándis tantum sollícitus instábat, sed novis ecclésiis ac monastériis idem ipse construéndis insístere solébat; sicque Offícium temporále quod administrándum in terris suscéperat, tamquam fidélis servus, Deo et homínibus gratus, exercébat. Inter quæ insígnia pietátis et misericórdiæ stúdia et bonórum óperum exercítia, in loco cujúsdam fundi sui, ex própriis súmptibus ædificáre decrévit monastérium quoddam, cui sancti Theóphredi nomen supervénit, cum prius Calminiácum, ex nómine fundatóris, vocátum esset. Apud Velâunos, non longe a civitáte Aniciénsi, in honórem Príncipis Apostolórum (cujus límina non semel adíerat), cœnóbium istud ædificávit Calmínius, et a Lirinénsi abbáte virum obtínuit qui huic monastério præficerétur, Eudónem scilicet, cui succéssit beátus Theóphredus.

℟. Honéstum.

LECTIO V

In Arvérnia áliud monastérium constrúxit Calmínius, in loco qui vocátur Mosiácus. Frátribus provídit necessária, et quæ ad ecclésiæ cultum pertinébant mirábili efféctu óperis prosecútus est; et quo magnificéntius cœnóbium insigníret, Romam remeávit, ut relíquias inde reférret. A Summo Pontífice relíquias sancti Petri, de maxílla vidélicet ejus, accépit. Aginnénses bráchium sancti Caprásii Mártyris intérea concessére. Consecrávit igitur Mosiacénsem ecclésiam Claromonténsis præsul, et altáre majus dicávit in honórem Príncipis Apostolórum et beáti Caprásii, quorum sacrátas relíquias in eo cóndidit. Sed et Tutelénse monastérium, jamprídem a beáto Martino Turonénsi cónditum, instaurátum póstea vel áuctum fuísse a beáto Calmínio constans tradítio permánsit in Lemovicíno. Fertur étiam et pie créditur, ipsum aliquámdiu secessísse, in montem Montánæ et Valúsiæ, amniculórum ad illíus radíces confluéntium, undis rigátum, prope Aquínam et non longe ab urbe Tutéla. Ibi exstat adhuc, lapsu licet témporum perésa, vetus spelúnca quam Calmínius, ut volunt véteres traditiónes, sæpius frequentáverit, et dícitur étiam nunc sancti Calmínii specus, quem incolárum píetas, sacéllo ibídem exstrúcto, célebrem fecit.

℟. Amávit.

LECTIO VI

Quos fovébat vir sanctus mónachos, hos sæpius visitátor pius adíbat: in solitúdine cum Deo familiáris, in cœnóbio cum frátribus de Deo devóte cónferens. Obiit áutem Mosiáci décimo quarto Kaléndas Septémbris, sexto sæculo in finem vergénte. Cujus venerábile corpus in ecclésia beáti Petri, in capsa lígnea, retro altáre majus sepúltum est, ibíque per annos plúrimos requiéscens, rogántibus divína benefícia obtinébat. Deínde, regnánte Ludovíco sexto, Francórum rege, capta Mosiacénsi ecclésia, quam rebéllis Arvérnus comes muníerat, audácter scrínium sacrum sacrílego áusu effríngunt cúpidi mílites. Pertérriti fratres sacras exúvias in tutiórem locum deferéndas curavérunt, sicque Tutelénses mónachi corpus beáti Calmínii obtinuérunt, quod pie servándum Benedictínis frátribus Aquínæ degéntibus commisére. Qui sacrum pignus infra ecclésiam suam, beáto Martino dicátam, juxta altáre majus cáute deposuérunt: unde solémniter levátum est anno millésimo

centésimo septuagésimo secúndo. Ex tunc sacrum corpus, vel saltem ipsíus insígnes partes, religiosíssime tenuérunt Aquinénses, beátum Calmínium patrónum óppidi celebrántes.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia. *de Comm. pro Abbat.*

Ad Laud. Commem. Oct.

Vesp. a Capit. de S. Bernardo; Commem. S. Calminii et Oct.

DIE XXII

IN DIE OCT. ASSUMPT.

COMMEMORATIO

VOTI LUDOVICI XIII.

PRIDIE AD VESPERAS

Ant. Reges et regínæ, vultu in terram demísso, adorábunt te, et fílios tuos ego salvábo.

℣. Thronus ejus sicut sol in conspéctu meo. ℟. Et sicut luna perfécta in ætérnum.

ORATIO

Deus, qui sanctíssimam Vírginem Maríam, Genitrícem tuam, super choros Angelórum exaltátam, fidélibus tuis patrónam providísti : óculis misericórdiæ Francórum respícere dignéris impérium, quod tutélæ ejúsdem Vírginis rex piíssimus voto perpétuo commendávit : Qui vivis et regnas.

Deinde fit Commem. SS. Timothei et Soc. Mart., in Brev.

AD LAUDES

Ant. Dixit ad regem : Si invéni grátiam in óculis tuis, o rex, et si tibi placet, dona mihi pópulum meum pro quo óbsecro.

℣. Tríbuat tibi Dóminus secúndum cor tuum. ℟. Et omne consílium tuum confírmet.

Orat. Deus, qui. *ut supra.*

AD II. VESPERAS

Ant. Beáti servi tui qui assístunt coram te. Quia díligit Deus Israël, et vult serváre eum in ætérnum, idcírco pósuit te super eum.

℣. Glóriam regni tui dicent. ℟. Et poténtiam tuam loquéntur.

Orat. Deus, qui. *ut supra.*

DIE XXV

S. LUDOVICI REGIS

CONFESSORIS

Duplex.

Omnia ut in Brev., sub ritu duplici.

In II. Vesp. a Capit. de seq., cum Commem. præced. et S. Zephyrini Papæ et Mart., ut in Brev.; ac tandem S. Pelagiæ Viduæ.

DIE XXVI

S. AREDII ABBATIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

ORATIO

Piíssima nos, quǽsumus Dómine, beáti Arédii Abbátis, cujus sanctitátem

colúmba de cælo delápsa mirabíliter designávit, comméndet intercéssio: ut quod nostris víribus non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Ludovici. Ant. Hic vir. ℣. Justum.

Deinde fit Commem. S. Zephyrini, Ant. Iste sanctus. ℣. Glória. *et tandem S. Pelagiæ Matris S. Aredii. Ant.* Símile est regnum. ℣. Spécie tua.

Oratio Exáudi nos. *de Comm. non Virg.*

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Arédius, Lemóvicæ natus, paréntibus Jocúndo et Pelágia, virtúte non minus quam nobilitáte claris, in Theodebérti, Austrásiæ regis, áulam missus, inter ejus cancellários aliquámdiu egit. Inde a beáto Nicétio, Trevirénsi epíscopo, qui in ejus vultu áliquid divínum deprehénderat, in clericórum órdinem adscíscitur. Quo témpore ejus sanctitátem Deus declarávit mirábili signo, quod refert sanctus Gregórius Turonénsis. Quadam die, inquit, psalléntibus cléricis in ecclésia, descéndit colúmba quæ léviter vólitans circa Arédium, resédit super caput ejus, velut índicans eum Spíritus sancti grátia jam replétum. Quam cum ille, non sine pudóre, conarétur abígere, hæc, páululum circúmvolans, iterum super caput ejus aut super scápulam residébat; quæ non modo ibi, sed étiam cum domum epíscopi ingrederétur, júgiter comitabátur. Quod per dies plúrimos factum, non sine admiratióne, epíscopus intendébat.

℟. Honéstum.

LECTIO V

Exínde Arédius, genitóre ac fratre defúnctis, ad pátriam regréditur, matrem Pelágiam consolatúrus. Ab ea impetrávit ut ipse, abjécta omni rei familiáris cura, soli Deo vacáret, et ecclésiis ac sacris ædifíciis construéndis præésset. Cœnóbium in primis excitári curávit, in quo domésticos, a sæculári ad religiósam vitam tradúctos, beáti Basílii, Cassiáni, et aliórum abbátum, qui monásticam vitam instituérunt, sanctíssimis légibus et institútis adstrinxit. Mater áutem ejus Pelágia ómnibus necessária vitæ subsídia suppeditábat. Increbrescénte sanctitátis fama, innumerábilis ad Arédium fiébat infirmórum concúrsus, eósque crucis signo sanitáti reddébat; quorum, inquit idem Gregórius Turonénsis, si singulátim nómina scríbere velim, nec núme-

rum percúrrere váleam, nec vocábula memoráre; unum tamen novi, quod quicúmque ad eum æger advénit, sospes abscéssit.

℟. Amávit.

LECTIO VI

ITA Deo accéptus erat in suis précibus ut, eórum vi, aliquándo virga quam manu gerébat, in terra aréuti defíxa, ingéntem cópiam aquárum edúxerit; et áltera die, dum in honórem beáti Juliáni Mártyris cónderet oratórium, plúvia gravis repénte írruit, quam orándo lóngius propulsávit. Multis áliis clarus miráculis, magno pietátis sensu sepúlcrum beáti Martíni, quem præcípuo cultu venerabátur, religióse ádiit. Inde regréssus in monastérium, cóndito testaménto, quo sanctos Hilárium et Martínum herédes instítuit, ordinátis ómnibus, post conflictatiónem gravis morbi, octávo Kaléndas Septémbris, anno salútis quingentésimo nonagésimo primo, evolávit in cælum. Ad honórem exsequiárum, ad quas celebrándas venit sanctus Ferréolus, epíscopus Lemovicénsis, visus est Deus insígne miráculum reservásse. Tunc enim mulíerem energúmenam, quam ad sancti Arédii, dum víveret, oratiónem, sanáre distúlerat, ipsíus demórtui précibus, una cum áltera mulíere nequióri spíritu vexáta, ab inféstí dæmónii nequítia liberávit. Sacrum ejus corpus e sepúlcro levávit Saibrándus, Lemovicénsis epíscopus, Domínica post Rogatiónes, décimo sexto Kaléndas Június, anno millésimo centésimo octogésimo primo.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus. *pro Abbat.*

Lect. IX. *de S. Zephyrino, ut in Brev.*

Ad Laud. Commem. S. Zephyrini, Ant. Qui odit. ℣. Justus. *et S. Pelagiæ. Ant.* Date ei. ℣. Diffúsa est. *de Comm. non Virg.*

Vesp. a Capit. de S. Josepho Calasanctio. Commem. præced.

DIE XXX

COMMEMORATIO

SANCTI FIACRII CONF.

Una cum Commem. SS. Felicis et Adaucti Mart.

Pridie, Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

ORATIO

MAJESTÁTEM tuam Dómine súpplices exorámus: ut sicut nos júgiter Sanctó-

rum tuórum commemoratióne lætíficas, ita semper supplicatióne defėndas. Per Dóminum.

Pro SS. Martyribus Felice et Adaucto, et S. Fiacrio Conf.

LECTIO IX

Felix, Diocletiáno et Maximiniáno imperatóribus, propter suscéptam Christi religiónem comprehénsus, in Serápidis templum addúctus est. Cui sacrificáre cum juberétur, os simulácri cónspuit. Quo facto statim ǽrea státua córruit. Quo cum íterum ac tértio in æde Mercúrii, Dianǽque factum esset, impietátis, et mágicæ artis accusátus, equúleo torquétur. Mox ad secúndum ab urbe lápidem via Ostiénsi dúcitur, ut secúri ferirétur. Cui inter viam oblátus quidam Christiánus, cum Felícem agnóscens, ad martýrium duci vidéret : Ego quoque, clara voce inquit, eádem qua iste, lege vivo; ego eúmdem Jesum Christum colo. Itaque Felicem osculátus cum eo secúri percútitur, tértio Kaléndas Septémbris : cujus nomen cum ignótum esset Christiánis, is Adáucti nómine nobilitátus est, quod sancto Mártyri Felíci adáuctus sit ad corónam. Eódem die cólitur sanctus Fiácrius qui sǽculo séptimo flóruit. In Hibérnia natus, sed suos suámque pátriam déserens ut soli Deo vacáret, in loco a sancto Faróne, epíscopo Meldénsi, sibi assignáto, vitam puram egit. Sanctitáte miraculísque illústris obdormívit in Dómino : cujus memória longe latéque in Gállias diffúsa est.

Ad Laud. Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Orat. Majestátem. *ut supra.*

FESTA SEPTEMBRIS

DIE I

SANCTI JULIANI

MARTYRIS

Duplex.

(*Dies fixa e* 28 *Augusti.*)

Omnia de Comm. unius Mart., præter seq.

Pridie, Vesp. a Capit. de S. Juliano.

ORATIO

Deus, qui in corde beáti Mártyris Juliáni ignem sancti tui amóris accendísti, ut persecutórum supplícia, te vincénte, despíceret : da nobis, ut cujus natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis

amóre roborémur. Per Dóminum.

Fit Commem. S. Raymundi Nonnati. Ant. Hic vir. ℣. Justum.

Deinde Commem. S. Ægidii Abbat. Ant. Similábo. *e I. Vesp.* ℣. Os justi. *e II. Noct. Oratio* Intercéssio. *in Breviar.; et tandem SS. Duodecim Fratrum Mart., ut in Breviar.*

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Ex sancto Gregório Turonénsi, de miráculis sancti Juliáni.

Lib. 2. *Cap.* 1. *et* 2.

INCLYTUS martyr Juliánus qui, Viennénsi ortus in urbe, Arvérnis datus est martyr, igne divíno succénsus, nihil áliud concupívit, nihil tota mente desiderávit, nisi, spretis mundi illécebris, justítiæ viam expedítus arríperet. Cum esset apud beatíssimum Ferréolum, jam tunc martýrii amóre flagrans, relíctis divítiis ac propínquis ob solíus amórem martýrii, Arvérnum advénit territórium. Sed nec hoc sine divíno mandáto perégit, cum tunc persecútio in Viennénsi urbe fervéret. Légerat enim Dóminum prædixísse : Si vos persecúti fúerint in ista civitáte, fúgite in áliam.

℟. Honéstum.

LECTIO V

CÓNTULIT ergo se Juliánus in Arvérnum territórium, non metu mortis, sed ut relínquens própria, facílius ad palmam pervenníret. Metuébat enim ne sibi paréntes essent óbvii, si inter eos hoc certámen iniísset, et pérderet miles Christi corónam, si legítime non certáret. Igitur, instánte persecutióne, ad Brivaténsem vicum, in quo fanátici erróres Næniæ colebántur, advénit, et cum ínsequi adversários sentíret, a vídua quadam se occultári deprecabátur; sed mox persecutóribus occúrrens : Nolo, inquit, diútius morári in hoc sǽculo, quia tota ánimi aviditáte Christum sítio.

℟. Desidérium.

LECTIO VI

HÆC loquénte Juliáno, edúcunt carnífices vibránti déxtera frámeam, et deciso cápite, in tres, ut ita dicam, partes gloriósus Martyr divíditur : nam caput Viénnam defértur, artus Briváte condúntur, felix ánima a Christo conditóre suscípitur. Senes quoque, qui sacrosánctum corpus mancipáverant sepultúræ, ita redintegráti sunt, ut in senectúte summa, tamquam júvenes haberéntur. Caput quoque ejus Ferréolus Martyr accépit, completóque certámine, tam hujúsce

membra quam illíus caput in uníus túmuli receptáculo collocáta sunt. Sancto Juliáno dicátæ sunt in diœcési Tutelénsi plures ecclésiæ, quarum præcípua in urbe Tutéla a décimo saltem sæculo pérstitit : quæ, in luctuósa Galliárum perturbatióne, sæculo décimo octávo desinénte, díruta est parochiális ecclésia. Rémanet vero fidélium píetas, et sancti Juliáni patrocínium remanébit.

℟. Stola.

IN III. NOCTURNO

Lect. e Comm. 1° *loco.*

Lectio IX. *de S. Ægidio.*

Ad Laud., Commem. S. Ægidii. Ant. Euge. *e Laud.,* ℣. Amávit. *e I. Vesp. Deinde SS. Duodecim Fratrum, in Brev.*

In II. Vesp. Commem. seq. S. Stephani Regis, in Brev.

DIE III

SANCTI AMATORIS

CONFESSORIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq. (m. t. v.)

Pridie, Vesp. de S. Amatore.

ORATIO

Deus, qui beátum Amatórem Confessórem tuum vita laudábili in terris decorásti; præsta, quæsumus, nobis, ut ejus méritis et précibus ætérna gáudia consequámur. Per Dóminum.

Fit Commem. præced. S. Stephani Regis Ant. Hic vir. ℣. Justum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Traditióne innúmeris testimóniis firmáta ac præsértim auctoritáte Martíni Papæ quinti, in bulla anni millésimi quadringentésimi vigésimi séptimi, sanctus Amátor idem prorsus est ac Zachæus, in Evangélio laudátus, et ipsi, ex eádem traditióne uxor fuit sancta Verónica, seu Berénice. Ambo in cárcerem missi a Páulo minárum et cædis in discípulos Dómini spiránte, liberáti sunt ab Angelo, a quo jussi sunt in Gálliam se recípere. Mari se committéntes devenérunt ad oram marítimam territórii Burdigalénsis, ubi non páucos a falsórum núminum cultu revocárunt; quos advéniens sanctus Martiális sacro fonte ábluit. Jubénte eódem sancto, Amátor, relícta uxóre in loco cui nomen Soulac, Romam pétiit ad sanctum Petrum, a quo per biénnium deténtus, ejus ac sancti Páuli martýrio præsens ádfuit. Intérea, ut refert Flávius Dexter, sancti Hierónymi coævus, sancta Verónica e vita cessit,

circa annum Christi septuagésimum.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus.

LECTIO V

In Gálliam redux, ut libérius Deo inservíret, ad Cadurcénses secéssit, in abstrúsam et angústam vallem, rúpibus hinc inde prominéntibus hórridam, et in eárum médio sedem fixit, unde ei nomen Rupis Amátor. Hic eréxit altáre quod consecrávit sanctus Martiális in honórem Beátæ Maríæ, quæ ibi concúrsu peregrinórum speciáliter cólitur et miraculórum frequéntia celebrátur. Noster vero Rupis Amátor in jejúniis, vigíliis, oratióne ac singulári in Deíparam devotióne vitam agens, circumstántes pópulos virtútum odóre illéctos Deo convértit, et tandem febre corréptus, migrávit ad Dóminum, die vigésima Augústi.

℟. Amávit.

LECTIO VI

Corpus ejus in primo áditu vestibulóque oratórii cónditum permánsit usque ad annum millésimum centésimum sexagésimum sextum, quod, sólidum integrúmque invéntum, translátum est ad basílicam Deo sub ejus invocatióne sacram, in qua innúmera et omníno stupénda patráta sunt mirácula. In ea summa veneratióne servátum est, donec furéntes Calvinístæ, anno millésimo quingentésimo sexagésimo secúndo, destrúctis ædifíciis ac thesáuris exspoliátis, illud in frustra concísum, subjícerent igni a quo non fuit consúmptum, ita ut étiam nunc ipsíus ossa, licet quidem flammis infuscáta intégra supérsint.

℟. Iste homo ómnia perfécit.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 19.

In illo témpore : Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachǽus : et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 8. in Luc. prope finem.

Zachæus statúra pusíllus, hoc est, nulla nobilitátis ingénitæ dignitáte sublímis, exíguus méritis sicut pópulus natiónum, audíto Dómini Salvatóris advéntu, quem sui non recéperant, vidére cupiébat. Sed nemo fácile Jesum videt : nemo potest Jesum vidére constitútus in terra. Et quia non prophétas, non legem habébat, tamquam formæ grátiam naturális, ascéndit in sycomórum, vanitátem scílicet Judæórum vestígio

suo próterens, erráta quoque córrigens superióris ætátis : et ideo Jesum in interióris domus recépit hospitio.

℟. Iste est qui ante Deum.

LECTIO VIII

Et bene ascéndit in árborem, ut arbor bona bonos fructus fáceret : ac naturáli excisus oleástro, et contra natúram insértus, in bonam olívam, fructum posset legis afférre. Radix enim sancta, etsi rami inútiles : quorum infructuósam glóriam plebs géntium fide resurrectiónis, quasi quadam córporis elevatióne transcéndit. Zachæus ergo in sycomóro, cæcus in via : quorum álterum Dóminus miseratúrus exspéctat, álterum mansiónis suæ claritáte nobílitat : álterum sanatúrus intérrogat, apud álterum se non invitátus invitat. Sciébat enim úberem hospitii sui esse mercédem. Sed tamen, etsi nondum vocem invitántis audíerat, jam víderat afféctum.

℟. Sint lumbi vestri præcincti.

LECTIO IX

Ibidem, in fine.

Et conféstim, inquit, vidit, et sequebátur illum, magníficans Dóminum. Aliter enim non vidéret, nisi sequerétur Christum, nisi Dóminum prædicáret, nisi sǽculum prætériret. Cum divítibus quoque in grátiam revertámur. Nólumus enim offéndere dívites, qui vólumus, si fíeri potest, sanáre omnes : ne in caméli comparatióne præstrícti, et in Zachǽo cítius quam opórtuit derelícti, justæ hábeant commotiónis offénsam. Discant dívites, non in facultátibus crimen hærére, sed in iis qui uti nésciant facultátibus. Nam divítiæ ut impediménta improbis, ita bonis sunt adjuménta virtútis. Dives certe Zachǽus, et eléctus a Christo : sed dimídium bonórum suórum paupéribus largiéndo, reddéndo étiam in quadrúplum, quæ fráude sustúlerat, uberiórem mercédem, quam conferébat, accépit.

Vesp. a Capit. de S. Rosa Viterbiensi; Commemoratio præced. S. Amatoris Conf.

TUTELEN.

De Romana Liturgia in suam Diœcesim revocanda apprime sollicitus Reverendissimus Dominus Joannes Baptista Leonardus BERTEAUD Episcopus Tutelensis, sui muneris esse duxit Proprium Officiorum in usum Cleri Diœcesis ipsius conficere, in quo pristinam honorificam sedem pergerent retinere Cælites illi, qui cum eas regiones virtutum splendore illustrassent, a vetustis sæculis singulari cultu ibidem honorari consueverunt, e probatis legitimisque fontibus desumptis Lectionibus et Orationibus propriis. Gnarus vero Episcopus orator supremo Sanctæ Sedis Apostolicæ judicio reservari quidquid sacram respicit liturgiam, exemplar manuscriptum hujus Proprii cum suo Supplemento exhibuit Sanctissimo Domino nostro Pio Papa IX. supplicibus additis votis, ut illud suprema auctoritate sua approbare, Cleroque Tutelensi concedere dignaretur. Examen exhibiti Proprii et hujus Supplementi cum Sanctitas Sua commiserit Sacrorum Rituum Congregationi, hæc probari posse censuit sub modo et forma in eodem exemplari adnotatis. Quam Sacræ Congregationis sententiam, referente subscripto Secretario, cum Sanctissimus idem Dominus ratam habuerit et confirmaverit, Apostolica benignitate indulsit, ut idem Proprium Officiorum sub modo et forma prædictis uti supra adnotatum a Clero Tutelensi perpetuo servetur in Horis canonicis persolvendis, injuncto onere Episcopo oratori, ut, postquam idem Proprium cum suo Kalendario Perpetuo (*) fuerit typis commissum, duplex authenticum exemplar illico ad sacram Rituum Congregationem transmittatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16 Julii 1863.

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinæ Card. PATRIZI
S. R. C. Præfectus.

D. Bartolini *S. R. C. Secretarius.*

(*) Kalendarium Perpetuum speciali probatum est decreto cujus finem referre juvat.

PORRO cum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. suprema auctoritate sua Proprium ipsum Officiorum, antea a Sacra Rituum Congregatione accurate examinatum et dispositum, clementer deferens supplicibus votis Episcopi oratoris approbaverit, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, nedum utile verum omnino necessarium vidit pro Clero Tutelensi Kalendarium perpetuum insimul probare juxta præfinitas regulas a Sacra Rituum Congregatione concinnatum, quod juxta supra adnotatum exemplar typis cudi debeat, et editioni Proprii Officiorum præmitti. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16 Julii 1863.

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinæ CARD. PATRIZI
S. R. C. Præfectus.

Loco † sigilli.

D. BARTOLINI *S. R. C. Secretarius.*

INDEX OFFICIORUM

QUÆ IN HOCCE PROPRIO TUTELENSI LEGUNTUR AUT SALTEM ADNOTANTUR

FESTA MOBILIA

FESTA SANCTORUM

319

26231. — Turonibus, typis Mame.

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS TUTELENSIS

A S. R. CONGREGATIONE APPROBATA

AC DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DD. DOMINICI HENRICI DENÉCHAU

EPISCOPI TUTELENSIS

DENUO EDITA

PARS AUTUMNALIS



PARISIIS

APUD CAR. POUSSIELGUE, EDITOREM

VIA DICTA CASSETTE, 15

M. D. CCC. XCVI



LICENTIA ET APPROBATIO ORDINARII

HENRICUS DOMINICUS, Miseratione divina et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia, Episcopus Tutelensis.

DILECTO nobis POUSSIELGUE editori jus et licentiam dedimus typis mandandi Kalendarium et Officia propria Diœcesis Tutelensis, a Sancta Sede specialiter concessa.

Cumque nobis constet per Presbyteros a nobis deputatos, Kalendarium istud et Officia propria jam excusa, diligenti collatione facta, cum originali suo convenire, illa approbavimus, evulgandique licentiam dedimus, prout per præsentes approbamus et licentiam damus.

Datum Tutelæ, sub signo sigilloque nostris ac Cancellarii Episcopatus nostri subscriptione, anno Domini millesimo octingentesimo nonagesimo sexto, die vero mensis Junii sextadecima.

✝ HENRICUS DOMINICUS Ep. Tutelensis.

De mandato Ill. ac Rev. DD. Ep. Tutelensis,

M. Soullier *Can. Secr. gen.*

KALENDARIUM PERPETUUM

AD USUM

CLERI DIŒCESIS TUTELENSIS

MONITA. — Festa in hocce Kalendario asterisco * notata, Ecclesiæ Tutelensi sunt propria, vel gradu superiori in Diœcesi gaudent. Festa autem quæ notantur linea – , sunt e propria die pro Ecclesia Tutelensi translata, sed in Breviario propria die inveniuntur.

Quæ notantur *Semiduplicia ad libitum*, si non celebrentur die occurrentiæ, habeantur tamquam Simplicia de præcepto.

JANUARIUS

Litt. Dom.	Dies mensis.	
A	1	CIRCUMCISIO DOMINI, *dupl.* 2. *cl.*
b	2	Octava S. Stephani Protom. *dupl.* Commem. Octavarum et * S. Vincentiani Conf.
c	3	Octava S. Joannis Apost. et Evang. *dupl.* Commem. Oct. SS. Innocentium et * S. Genovefæ Virg.
d	4	Octava SS. Innocentium Mm. *dupl.* * Commem. S. Faustæ Virg. et Mart.
e	5	Vigilia Epiphaniæ, *semid.* Commem. S. Telesphori Papæ et Mart.
f	6	EPIPHANIA D. N. J. C. *dupl.* 1. *cl.* cum Octava.
g	7	De Octava, *semid.* * Commem. S. Tillonis Conf.
A	8	De Octava, *semid.* * Commem. S. Valerici Conf.
b	9	De Octava, *semid.*
c	10	De Octava, *semid.* * Commem. S. Gulielmi Episc. et Conf.
d	11	De Octava, *semid.* Commem. S. Hygini Papæ et Mart.
e	12	De Octava, *semid.*
f	13	Octava Epiphaniæ, *dupl.*
g	14	S. Hilarii Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. S. Felicis Presbyt. et Mart.
A	15	S. Pauli primi Eremitæ, *dupl.* Commem. S. Mauri Abbatis.
b	16	S. Marcelli Papæ et Mart. *semid.* * Commem. S. Boniti Episc. et Conf.
c	17	S. Antonii Abbat. et Conf. *dupl.* * Commem. S. Sulpitii Episc. et Conf.
d	18	*Cathedra S. Petri Romæ,* dupl. maj. Commem. S. Pauli Apost., et S. Priscæ Virg. et Mart.
e	19	S. Canuti Regis et Mart. *semid. ad libitum.* Commem. SS. Marii et Soc. Mm.
f	20	SS. Fabiani Papæ et Sebastiani Mart. *dupl.* * Commem. S. Fortunatæ Virg. et Mart.
g	21	S. Agnetis Virg. et Mart. *dupl.*
A	22	SS. Vincentii et Anastasii Mm *semid.*
b	23	* *Desponsatio B. M. V.* dupl. maj. Commem. S. Joseph ejus Sponsi, ac S. Emerentianæ Virg. et Mart.

Litt. Dom.	Dies mensis.	
c	24	S. Timothei Episc. et Mart. *dupl.*
d	25	*Conversio S. Pauli Apost.* dupl. maj. Commem. S. Petri Apost. et * S. Præjecti Episc. et Mart.
e	26	S. Polycarpi Episc. et Mart. *dupl.* * Commem. S. Paulæ Viduæ.
f	27	S. Joannis Chrysostomi Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
g	28	S. Agnetis secundo, *simpl.*
A	29	S. Francisci Salesii Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
b	30	S. Martinæ Virg. et Mart. *semid.*
c	31	S. Petri Nolasci Conf. *dupl.*
		FESTA MOBILIA
		Dom. II. post Epiphaniam, SS. NOMINIS JESU, *dupl. 2. cl.*
		* Dom. III. post Epiphaniam, *S. Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph*, dupl. maj.
		* Dominica ante Septuagesimam, *Purissimi Cordis B. M. V.* dupl. maj.

FEBRUARIUS

d	1	S. Ignatii Episc. et Mart. *dupl.* * Commem. S. Sori Conf.
e	2	PURIFICATIO B. M. V. *dupl. 2. cl.*
f	3	S. Blasii Episc. et Mart. *simpl.*
g	4	* B. Joannæ Valesiæ Viduæ, *dupl.*
A	5	S. Agathæ Virg. et Mart. *dupl.*
b	6	* S. Hyacinthæ de Mariscottis Virg. *dupl.* Commem. S. Dorotheæ Virg. et Mart.
c	7	S. Romualdi Abbatis et Conf. *dupl.*
d	8	S. Joannis de Matha Conf. *dupl.*
e	9	S. Cyrilli Alexandrini Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. S. Apolloniæ Virg. et Mart.
		* — In civitate Tutelensi fit OFFICIUM SANCTISSIMI SACRAMENTI sub ritu *dupl. 1. cl.*
f	10	S. Scholasticæ Virg. *dupl.*
g	11	* *Apparitio B. M. V. Immaculatæ*, dupl. maj.
A	12	— S. Andreæ Corsini Episc. et Conf. *dupl.* (dies fixa e 4 huj.)
b	13	* S. Catharinæ de Ricciis Virg. *dupl.*
c	14	* SS. Viginti sex Martyrum Japonensium, *dupl.* (dies fixa e 5 hujus). Commem. S. Valentini Presbyt. et Mart.
d	15	— S. Raymundi de Pennafort Conf. *semid.* (dies fixa e 23 Jan.) Commem. SS. Faustini et Jovitæ Mm.
e	16	* S. Stephani de Mureto Conf. *semid. ad libitum.*
f	17	— SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. Conf. *dupl.* (dies fixa e 11 hujus). — In civitate Tutel. S. Cyrilli Alexandrini Episc. Conf. et Doct. *dupl.* (dies fixa e 9 hujus).
g	18	— S. Titi Episc. et Conf. *dupl.* (dies fixa e 6 hujus). Commem. S. Simeonis Episc. et Mart.
		— In civitate Tutel. SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. *dupl.* (dies fixa e 11 hujus).
A	19	* S. Bathildis Reginæ, *semid. ad libitum.*
b	20	— In civitate Tutel. S. Titi Episc. et Conf. *dupl.* (dies fixa e 6 hujus).
c	21	

Litt. Dom.	Dies mensis.	
d	22	*Cathedra S. Petri Antiochiæ,* dupl. maj. Commem. S. Pauli Apost.
e	23	S. Petri Damiani Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. Vigiliæ.
f	24	S. MATHIÆ APOSTOLI, *dupl. 2. cl.*
g	25	* S. Avertani Conf. *semid. ad libitum.*
A	26	* — S. Margaritæ de Cortona Pœnit. *semid.* (dies fixa e 23 hujus).
b	27	
c	28	

Quando Februarius habet dies 29, tunc de S. Mathia fit die 25, de S. Avertano die 26, et de S. Margarita die 27.

FESTA MOBILIA

* Feria III. post Dom. Septuagesimæ, *Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti,* dupl. maj.
* Feria III. post Dom. Sexagesimæ, *Commem. Passionis D. N. J. C.* dupl. maj.
* Feria VI. post Cineres, *SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C.* dupl. maj.
* Feria VI. post Dom. I. Quadragesimæ, *SS. Clavorum et Lanceæ D. N. J. C.* dupl. maj.

MARTIUS

d	1	
e	2	
f	3	
g	4	S. Casimiri Regis Conf. *semid.* Commem. S. Lucii Papæ et Mart.
A	5	
b	6	
c	7	S. Thomæ de Aquino Conf. et Doct. *dupl.* Commem. SS. Perpetuæ et Felicitatis Mm.
d	8	* S. Stephani Obazinensis Abbat. et Conf. *dupl.*
e	9	S. Franciscæ Romanæ Viduæ, *dupl.*
f	10	SS. Quadraginta Martyrum, *semid.*
g	11	— S. Joannis de Deo Conf. *dupl.* (dies fixa e 8 hujus).
A	12	S. Gregorii I. Papæ, Conf. et Doct. *dupl.*
b	13	
c	14	
d	15	* S. Sacerdotis Episc. et Conf. *dupl.* * Commem. S. Mundanæ Viduæ.
e	16	
f	17	S. Patritii Episc. et Conf. *dupl.*
g	18	* *S. Gabrielis Archangeli,* dupl. maj.
A	19	S. JOSEPH SPONSI B. M. V. *dupl. 1. cl.*
b	20	— S. Cyrilli Hierosolymitani Episc. Conf. et Doct. *dupl.* (dies fixa e 18 hujus).
c	21	*S. Benedicti Abbatis,* dupl. maj.
d	22	
e	23	* S. Cessatoris Episc. et Conf. *dupl.*
f	24	
g	25	ANNUNTIATIO B. M. V. *dupl. 1. cl.*
A	26	

Litt. Dom.	Dies mensis.	
b	27	S. Joannis Damasceni Conf. et Doct. *dupl.*
c	28	S. Joannis a Capistrano Conf. *semid.*
d	29	* S. Bertholdi Conf. *dupl.*
e	30	
f	31	

FESTA MOBILIA

* Feria VI. post Dom. II. Quadragesimæ, *Sacratissimæ Sindonis D. N. J. C.* dupl. maj.
* Feria VI. post Dom. III. Quadragesimæ, *SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C.* dupl. maj.
* Feria VI. post Dom. IV. Quadragesimæ, *Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.* dupl. maj.

Feria VI. post Dom. Passionis, *Septem Dolorum B. M. V.* dupl. maj.

APRILIS

g	1	
A	2	S. Francisci de Paula Conf. *dupl.*
b	3	* S. Mariæ Ægyptiacæ Pœnit. *semid. ad libitum.*
c	4	S. Isidori Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
d	5	S. Vincentii Ferrerii Conf. *dupl.*
e	6	
f	7	
g	8	
A	9	* S. Gaucherii Conf. *semid. ad libitum.*
b	10	
c	11	S. Leonis I. Papæ, Conf. et Doct. *dupl.*
d	12	
e	13	S. Hermenegildi Regis Mart. *semid.*
f	14	S. Justini Mart. *dupl.* Commem. SS. Tiburtii, Valeriani et Maximi Mm.
g	15	
A	16	
b	17	S. Aniceti Papæ et Mart. *simpl.*
c	18	* B. Mariæ ab Incarnatione Viduæ, *dupl.*
d	19	
e	20	
f	21	S. Anselmi Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
g	22	SS. Soteris et Caii Pont. et Mm. *semid.*
A	23	S. Georgii Mart. *semid.*
b	24	S. Fidelis a Sigmaringa Mart. *dupl.*
c	25	S. MARCI EVANG. *dupl. 2. cl.*
d	26	* *B. M. V. de Bono Consilio*, dupl. maj.
e	27	* S. Alpiniani, socii S. Martialis Conf. *semid. ad libitum.*
f	28	S. Pauli a Cruce Conf. *dupl.* Commem. S. Vitalis Mart.
g	29	S. Petri Mart. *dupl.*
A	30	S. Catharinæ Senensis Virg. *dupl.* * Commem. S. Eutropii Episc. et Mart.

FESTUM MOBILE

Dominica III. post Pascha, PATROCINII S. JOSEPHI SPONSI B. M. V. *dupl. 2. cl.*

MAIUS

Litt. Dom.	Dies mensis.	
b	1	SS. PHILIPPI ET JACOBI APOST. *dupl.* 2. *cl.*
c	2	S. Athanasii Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
d	3	INVENTIO S. CRUCIS, *dupl.* 2. *cl.* Commem. SS. Alexandri Papæ ac Soc. Mm.
e	4	S. Monicæ Viduæ, *dupl.*
f	5	S. Pii V. Papæ et Conf. *dupl.*
g	6	*S. Joannis ante Portam Latinam*, dupl. maj.
A	7	S. Stanislai Episc. et Mart. *dupl.*
b	8	*Apparitio S. Machaëlis Archangeli*, dupl. maj.
c	9	S. Gregorii Nazianzeni Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
d	10	S. Aureliani Episc. et Conf. *dupl.* Commem. SS. Gordiani et Epimachi Mm.
e	11	— S. Antonini Episc. et Conf. *dupl.* (dies fixa ex heri). * Commem. S. Mamerti Episc. et Conf.
f	12	SS. Nerei, Achillei et Soc. Mm. *semid.*
g	13	* S. Gualterii Stirpensis Abbat. et Conf. *semid. ad libitum.*
A	14	— SS. Cleti et Marcellini Pont. et Mm. *semid.* (dies fixa e 26 Aprilis). Commem. S. Bonifacii Mart.
b	15	* S. Isidori Agricolæ Conf. *dupl.*
c	16	* S. Joannis Nepomuceni Mart. *dupl.*
d	17	S. Paschalis Baylon Conf. *dupl.*
e	18	S. Venantii Mart. *dupl.*
f	19	S. Petri Cælestini Papæ et Conf. *dupl.* Commem. S. Pudentianæ Virg.
g	20	S. Bernardini Senensis Conf. *semid.*
A	21	* S. Felicis a Cantalicio Conf. *semid.*
b	22	* S. Lupi Episc. et Conf. *dupl.*
c	23	— S. Ubaldi Episc. et Conf. *semid.* (dies fixa e 16 hujus).
d	24	* *B. M. V. sub titulo auxilium Christianorum*, dupl. maj. * Commem. S. Yvonis Conf.
e	25	S. Gregorii VII. Papæ et Conf. *dupl.* Commem. S. Urbani Papæ et Mart.
f	26	S. Philippi Nerii Conf. *dupl.* Commem. S. Eleutherii Papæ et Mart.
g	27	S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. *dupl.* * Commem. S. Joannis Papæ et Mart.
A	28	S. Augustini Cantuariensis Episc. et Conf. *dupl.*
b	29	— * B. Joannis Baptistæ de la Salle Conf. *dupl.* (dies fixa e 4 hujus).
c	30	* S. Ferdinandi Regis Conf. *semid. ad libitum.* Commem. S. Felicis Papæ et Mart.
d	31	S. Angelæ Mericiæ Virg. *dupl.* Commem. S. Petronillæ Virg.
		FESTUM MOBILE
		* Feria VI. post Oct. Sanctissimi Corporis Christi, SACRATISSIMI CORDIS JESU, *dupl.* 1. *cl.*

JUNIUS

Litt. Dom.	Dies mensis.	
e	1	* *S. Clari Episc. et Mart.* dupl. maj.
f	2	* SS. Pothini Episc., Blandinæ Virg. ac Soc. Mm. *semid. ad libitum.* Commem. SS. Marcellini et Soc. Mm.
g	3	* S. Clotildis Reginæ Viduæ, *dupl.*
A	4	S. Francisci Caracciolo Conf. *dupl.*
b	5	S. Bonifacii Episc. et Mart. *dupl.*
c	6	S. Norberti Episc. et Conf. *dupl.*
d	7	* S. Liphardi Conf. *semid. ad libitum* (dies fixa e 5 hujus).
e	8	
f	9	SS. Primi et Feliciani Mm. *simpl.*
g	10	S. Margaritæ Reginæ Viduæ, *semid.*
A	11	*S. Barnabæ Apostoli,* dupl. maj.
b	12	S. Joannis a Sancto Facundo Conf. *dupl.* Commem. SS. Basilidis et Soc. Mm.
c	13	S. Antonii Patavini Conf. *dupl.* * Commem. S. Psalmodii Conf.
d	14	S. Basilii Magni Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
e	15	* S. Germanæ Cousin Virg. *dupl.* Commem. SS. Viti, Modesti et Crescentiæ Mm.
f	16	* *Apparitio D. N. J. C. beato Martiali Aquitaniæ Apost.* dupl. maj.
g	17	— * S. Joannis Francisci Regis Conf. *dupl.* (dies fixa ex heri).
A	18	SS. Marci et Marcelliani Mm. *simpl.*
b	19	S. Julianæ de Falconeriis Virg. *dupl.* Commem. SS. Gervasii et Protasii Mm.
c	20	* S. Rodulphi Episc. et Conf. *dupl.* Commem. S. Silverii Papæ et Mart.
d	21	S. Aloysii Gonzagæ Conf. *dupl.*
e	22	S. Paulini Episc. et Conf. *simpl.*
f	23	Vigilia.
g	24	NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ, *dupl.* 1. *cl.* cum Oct.
A	25	S. Gulielmi Abbatis, *dupl.* Commem. Octavæ.
b	26	SS. Joannis et Pauli Mm. *dupl.* Commem. Octavæ.
c	27	* S. Prosperi Episc. et Conf. *dupl.* Commem. Octavæ * et S. Domnoleni Conf.
d	28	S. Leonis II. Papæ et Conf. *semid.* Commem. Octavæ et Vigiliæ.
e	29	SS. PETRI ET PAULI APOSTOLORUM, *dupl.* 1. *cl.* cum Oct. * Commem. omnium SS. Apostolorum.
f	30	* S. MARTIALIS AQUITANIÆ APOST. *dupl.* 1. *cl.* cum Octava.

JULIUS

g	1	Dies Octava S. Joannis Baptistæ, *dupl.* Commem. Octavarum.
A	2	VISITATIO B. M. V. *dupl.* 2. *cl.* Commem. SS. Processi et Martiniani Mm.
b	3	— *Commemoratio S. Pauli Apost.* dupl. maj. (dies fixa e 30 Junii). Commem. S. Petri Apost. * et Oct. S. Martialis.

Litt. Dom.	Dies mensis.	
c	4	* Ordinatio et Translatio S. Martini, *dupl.* Commem. Oct.
d	5	— * S. Irenæi Episc. et Mart. *dupl.* (dies fixa e 3 hujus). Commem. Oct.
e	6	Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli, *dupl.* * Commem. Oct. S. Martialis.
f	7	* Octava S. Martialis, *dupl.*
g	8	S. Elisabeth Reginæ Portug. Viduæ, *semid.*
A	9	* *Festum Prodigiorum B. M. V.* dupl. maj.
b	10	SS. Septem Fratrum et Soc. Mm. *semid.*
c	11	— * S. Veronicæ de Julianis Virg. *dupl.* (dies fixa ex 9 huj.). Commem. S. Pii I. Papæ et Mart.
d	12	S. Joannis Gualberti Abbatis, *dupl.* Commem. SS. Naboris et Felicis Mm.
e	13	S. Anacleti Papæ et Mart. *semid.*
f	14	S. Bonaventuræ Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
g	15	S. Henrici Imperat. Conf. *semid.*
A	16	*B. M. V. de Monte Carmelo,* dupl. maj.
b	17	S. Alexii Conf. * *dupl.*
c	18	S. Camilli de Lellis Conf. *dupl.* Commem. SS. Symphorosæ cum septem Filiis Mm.
d	19	*S. Vincentii a Paulo Conf.* * dupl. maj.
e	20	S. Hieronymi Æmiliani Conf. *dupl.* Commem. S. Margaritæ Virg. et Mart.
f	21	* S. Roricii Episc. et Conf. *dupl.* Commem. S. Praxedis Virg.
g	22	*S. Mariæ Magdalenæ Pœnitent.* * dupl. maj.
A	23	S. Apollinaris Episc. et Mart. *dupl.* Commem. S. Liborii Episc. et Conf.
b	24	— SS. Cyrilli et Methodii Pont. et Conf. *dupl.* (dies fixa e 5 hujus). Commem. Vigil. et S. Christinæ Virg. et Mart.
c	25	S. JACOBI APOSTOLI, *dupl.* 2. *cl.* Commem. S. Christophori Mart.
d	26	S. ANNÆ MATRIS B. M. V. *dupl.* 2. *cl.*
e	27	S. Pantaleonis Mart. *simpl.*
f	28	SS. Nazarii, Celsi et Victoris I. Papæ, Mm., ac Innocentii I. Papæ et Conf. *semid.*
g	29	*S. Marthæ Virg.* * dupl. maj. Commem. SS. Felicis II. Papæ et Soc. Mm.
A	30	* S. Germani Antissiodorensis Episc. et Conf. *dupl.* Commem. SS. Abdon et Sennen Mm.
b	31	S. Ignatii de Loyola Conf. *dupl.*

FESTA MOBILIA

Dom. I. Julii, PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C. *dupl.* 2. *cl.*

* Dom. I. non impedita post Octavam SS. Apost. Petri et Pauli, *Omnium Sanctorum Summorum S. R. E. Pontificum,* dupl. maj.

AUGUSTUS

Litt. Dom.	Dies mensis.	
c	1	*S. Petri Apostoli ad Vincula,* dupl. maj. Commem. S. Pauli Apost. et SS. Machabæorum Mm.
d	2	S. Alphonsi Mariæ de Ligorio Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. S. Stephani I. Papæ et Mart.
e	3	Inventio S. Stephani Protomart. *semid.*
f	4	*S. Dominici Conf.* dupl. maj.
g	5	*Dedicatio S. Mariæ ad Nives,* dupl. maj.
A	6	*Transfiguratio D. N. J. C.* dupl. maj. Comm. SS. Xysti II. Papæ et Soc. Mm.
b	7	S. Cajetani Thienæi Conf. *dupl.* Commem. S. Donati Episc. et Mart.
c	8	SS. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm. *semid.*
d	9	* S. Martini Brivensis Mart. *dupl.* Commem. Vigiliæ et S. Romani Mart.
e	10	S. LAURENTII MART. *dupl. 2. cl.* cum Octava.
f	11	* S. Philumenæ Virg. et Mart. *dupl.* Commem. Oct. et SS. Tiburtii et Susannæ Mm.
g	12	S. Claræ Virg. *dupl.* Commem. Oct.
A	13	* S. Radegundis Reginæ Viduæ, *dupl.* Commem. Oct. et SS. Hippolyti et Cassiani Mm.
b	14	De Octava, *semid.* Commem. Vigiliæ et S. Eusebii Conf.
c	15	ASSUMPTIO B. M. V. *dupl. 1. cl.* cum Octava.
d	16	* S. Rochi Conf. *dupl.* Commem. Octav.
e	17	Octava S. Laurentii Mart. *dupl.* Commem. Octavæ Assumpt.
f	18	— S. Hyacinthi Conf. *dupl.* (dies fixa e 16 hujus). Commem. Oct. et S. Agapiti Mart.
g	19	* S. Calminii Conf. *dupl.* Commem. Oct.
A	20	S. Bernardi Abbatis Conf. et Doct. *dupl.* Commem. Oct.
b	21	S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Viduæ, *dupl.* Commem. Oct.
c	22	Octava Assumptionis Deiparæ, *dupl.* * Commem. Voti Ludovici XIII. et SS. Timothei et Soc. Mm.
d	23	S. Philippi Benitii Conf. *dupl.* Commem. Vigiliæ.
e	24	S. BARTHOLOMÆI APOST. *dupl. 2. cl.*
f	25	S. Ludovici Regis Conf. * *dupl.*
g	26	* S. Aredii Abbat. et Conf. *dupl.* Commem. S. Zephyrini Papæ et Mart. * et S. Pelagiæ Viduæ.
A	27	S. Josephi Calasanctii Conf. *dupl.*
b	28	S. Augustini Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. S. Hermetis Mart.
c	29	*Decollatio S. Joannis Baptistæ,* dupl. maj. Commem. S Sabinæ Mart.
d	30	S. Rosæ Limanæ Virg. *dupl.* Commem. SS. Felicis et Adaucti Mm. * et S. Fiacrii Conf.
e	31	S. Raymundi Nonnati Conf. *dupl.*

FESTUM MOBILE

Dominica infra Oct. Assumpt. S. JOACHIM PATRIS B. M. V. CONF. *dupl. 2. cl.*

SEPTEMBER

Litt. Dom.	Dies mensis.	
f	1	* S. Juliani Brivat. Mart. *dupl.* (dies fixa e 28 Augusti). Commem. S. Ægidii Abbat. et SS. duodecim Fratrum Mm.
g	2	S. Stephani Hungariæ Regis Conf. *semid.*
A	3	* S. Amatoris Conf. *dupl.*
b	4	* S. Rosæ Viterbiensis Virg. *dupl.*
c	5	S. Laurentii Justiniani Episc. et Conf. *semid.*
d	6	
e	7	
f	8	Nativitas B. M. V. *dupl.* 2. *cl.* cum Octava. Comm. S. Hadriani Mart.
g	9	De Octava, *semid.* Commem. S. Gorgonii Mart.
A	10	S. Nicolai de Tolentino Conf. *dupl.* Commem. Oct.
b	11	De Octava, *semid.* Commem. SS. Proti et Soc. Mm.
c	12	De Octava, *semid.*
d	13	De Octava, *semid.*
e	14	*Exaltatio SS. Crucis D. N. J. C.* dupl. maj. Commem. Oct.
f	15	Octava Nativitatis Deiparæ, *dupl.* Commem. S. Nicomedis Mart.
g	16	SS. Cornelii Papæ et Cypriani Episc. Mm. *semid.* Commem. SS. Euphemiæ et Soc. Mm.
A	17	Impressio sacrorum Stigmatum in corpore S. Francisci, *dupl.*
b	18	S. Josephi a Cupertino Conf. *dupl.* * Commem. S. Ferreoli Mart., ac * S. Ferreolæ Virg. et Mart.
c	19	SS. Januarii Episc. et Soc. Mm. *dupl.*
d	20	SS. Eustachii et Soc. Mm. *dupl.* Commem. Vigiliæ.
e	21	S. Matthæi Apost. et Evang. *dupl.* 2. *cl.*
f	22	S. Thomæ a Villanova Episc. et Conf. *dupl.* Commem. SS. Mauritii et Soc. Mm.
g	23	S. Lini I. Papæ et Mart. *semid.* Commem. S. Theclæ Virg. et Mart.
A	24	*B. M. V. de Mercede*, dupl. maj.
b	25	* S. Laudi Episc. et Conf. *dupl.* * Commem. S. Baumadi Conf.
c	26	* S. Ferreoli Episc. et Conf. *dupl.* Commem. SS. Cypriani et Justinæ Mm.
d	27	SS. Cosmæ et Damiani Mm. *semid.*
e	28	S. Wenceslai Ducis Mart. *semid.*
f	29	Dedicatio S. Michaelis Archangeli, *dupl.* 2. *cl.*
g	30	S. Hieronymi Presbyteri Conf. et Doct. *dupl.*

FESTA MOBILIA

* Dom. Kalendis Septembris proxima, ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS OMNIUM DIŒCESIS TUTELENSIS ECCLES. *dupl.* 1. *cl.* cum Octava.

* Dom. sequenti, Dies Octava Dedicat. Omnium Diœcesis Tutelensis Ecclesiarum, *dupl.*

Dom. infra Oct. Nativitatis Deiparæ, SS. Nominis B. M. V. * *dupl.* 2. *cl.*

Dom. III. Sept. *Septem Dolorum B. M. V.* dupl. maj.

OCTOBER

Litt. Dom.	Dies mensis.	
A	1	S. Remigii Episc. et Conf. *dupl.* * Commem. S. Vedasti Episc. et Conf.
b	2	*SS. Angelorum Custodum*, dupl. maj. * Commem. S. Leodegarii Episc. et Mart.
c	3	
d	4	*S. Francisci Assisiensis Conf.* dupl. maj.
e	5	* S. Pardulphi Conf. *dupl.* Commem. SS. Placidi et Soc. Mm.
f	6	S. Brunonis Conf. *dupl.*
g	7	* SS. Primi et Feliciani Mm. *dupl.* Commem. S. Marci Papæ et Conf., et SS. Sergii et Soc. Mm.
A	8	S. Birgittæ Viduæ, *dupl.*
b	9	SS. Dionysii et Soc. Mm. * *dupl.*
c	10	* *Translatio et Relatio S. Martialis*, dupl. maj.
d	11	— S. Francisci de Borgia Conf. *semid.* (ex heri).
e	12	
f	13	* S. Geraldi Conf. *dupl.* * Commem. S. Leoboni Conf.
g	14	S. Callisti I. Papæ et Mart. *dupl.*
A	15	S. Teresiæ Virg. *dupl.* * Commem. S. Austricliniani Conf.
b	16	* SS. Juniani et Amandi Conf. *dupl.*
c	17	* B. Margaritæ Mariæ Alacoque Virg. *dupl.*
d	18	S. LUCÆ EVANGELISTÆ, *dupl. 2. cl.*
e	19	S. Petri de Alcantara Conf. *dupl.*
f	20	S. Joannis Cantii Conf. *dupl.*
g	21	* SS. Ursulæ et Soc. Virg. et Mart. *dupl.* Commem. S. Hilarionis Abbatis.
A	22	— S. Eduardi Regis Conf. *semid.* (dies fixa e 13 hujus).
b	23	* *SS. Redemptoris*, dupl. maj.
c	24	* *S. Raphaëlis Archangeli*, dupl. maj.
d	25	* S. Frontonis Episc. et Conf. *semid. ad libitum.* Commem. SS. Chrysanthi et Dariæ Mm.
e	26	S. Hedwigis Reginæ Viduæ, *semid.* (dies fixa e 17 hujus). Commem. S. Evaristi Papæ et Mart.
f	27	Vigilia.
g	28	SS. SIMONIS ET JUDÆ APOST. *dupl. 2. cl.*
A	29	
b	30	
c	31	Vigilia.

FESTA MOBILIA

Dominica I. Octobr. SS. ROSARII B. M. V. *dupl. 2. cl.*
* Dominica II. Octobr. *Maternitatis B. M. V.* dupl. maj.
* Dominica III. Octobr. *Puritatis B. M. V.* dupl. maj.
* Dominica IV. vel V. Octobr. *Patrocinii B. M. V.*

NOVEMBER

d	1	SOLEMNITAS OMNIUM SANCTORUM, *dupl. 1. cl.* cum Oct.
e	2	De Octava, *semid.* Commemoratio omnium Fidelium defunctorum, *sub ritu duplici.*
f	3	De Octava, *semid.*

Litt. Dom.	Dies mensis.	
g	4	S. Caroli Episc. et Conf. *dupl.* Commem. Oct. et SS. Vitalis et Soc. Mm.
A	5	* S. Austremonii Episc. et Mart. *semid. ad libitum.* Commem. Oct. * et S. Gonsaldi Conf.
b	6	* S. Leonardi Conf. *dupl.* Commem. Oct.
c	7	De Octava, *semid.*
d	8	Octava omnium Sanctorum, *dupl.* Commem. SS. Quatuor Coronatorum Martyrum.
e	9	*Dedicatio Basilicæ SS. Salvatoris,* dupl. maj. Commem. S. Theodori Mart.
f	10	S. Andreæ Avellini Conf. *dupl.* Commem. SS. Tryphonis et Soc. Mm.
g	11	S. MARTINI EPISC. TURONENSIS CONF., TOTIUS DIŒCESIS PATRONI, *dupl. 1. cl.* cum Oct.
A	12	S. Martini I. Papæ et Mart. *semid.* * Commem. Oct.
b	13	* S. Duminii Conf. *dupl.* * Commem. Oct. * et S. Brictii Episc. et Conf.
c	14	* — S. Stanislai Kostka Conf. *dupl.* (ex heri). * Commem. Oct.
d	15	S. Gertrudis Virg. *dupl.* * Commem. Oct.
e	16	— S. Didaci Conf. *semid.* (e 13 hujus). * Commem. Oct.
f	17	S. Gregorii Thaumaturgi Episc. et Conf. *semid.* * Commem. Oct.
g	18	* Octava S. Martini Episc. et Conf. *dupl.*
A	19	S. Elisabeth Viduæ, *dupl.* Commem. S. Pontiani Papæ et Mart.
b	20	S. Felicis de Valois Conf. *dupl.*
c	21	*Præsentatio B. M. V.* dupl. maj. * Commem. S. Liberalis Episc. et Conf.
d	22	S. Cæciliæ Virg. et Mart. *dupl.*
e	23	S. Clementis I. Papæ et Mart. *dupl.* Commem. S. Felicitatis Mart.
f	24	S. Joannis a Cruce Conf. *dupl.* Commem. S. Chrysogoni Mart.
g	25	S. Catharinæ Virg. et Mart. *dupl.*
A	26	S. Silvestri Abbatis, *dupl.* Commem. S. Petri Alexandrini Episc. et Mart. * et S. Justi Conf.
b	27	* S. Odonis Abbat. et Conf. *dupl.*
c	28	— S. Josaphat Episc. et Mart. *dupl.* (dies fixa e 14 hujus).
d	29	* S. Saturnini Episc. et Mart. *semid. ad libitum.* Commem. Vigiliæ, et alterius S. Saturnini Mart.
e	30	S. ANDREÆ APOSTOLI, *dupl. 2. cl.*
		FESTUM MOBILE
		* Dom. infra Oct. Omnium Sanctorum, Festum SS. Reliquiarum in Ecclesiis Diœcesis Tutelen. asservatarum, *dupl.*

DECEMBER

Litt. Dom.	Dies mensis.	
f	1	* S. Eligii Episc. et Conf. *dupl.*
g	2	S. Bibianæ Virg. et Mart. *semid.*
A	3	S. Francisci Xaverii Conf. *dupl.*
b	4	S. Petri Chrysologi Episc. Conf. et Doct. *dupl.* Commem. S. Barbaræ Virg. et Mart.
c	5	— *Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli Apost.* dupl. maj. (dies fixa e 8 Nov.). Commem. S. Sabbæ Abbatis.
d	6	S. Nicolai Episc. et Conf. *dupl.*
e	7	Vigilia. S. Ambrosii Episc. Conf. et Doct. *dupl.*
f	8	IMMACULATA CONCEPTIO B. M. V. *dupl.* 1. *cl.* cum Octava.
g	9	De Octava, *semid.*
A	10	* *Translatio Almæ Domus Lauretanæ,* dupl. maj. Commem. S. Melchiadis Papæ et Mart.
b	11	S. Damasi I. Papæ et Conf. *semid.* Commem. Oct.
c	12	* S. Valeriæ Virg. et Mart. *dupl.* Commem. Oct.
d	13	S. Luciæ Virg. et Mart. *dupl.* Commem. Oct.
e	14	De Octava, *semid.*
f	15	Octava Immaculatæ Conceptionis B. M. V. *dupl.*
g	16	S. Eusebii Episc. et Mart. *semid.*
A	17	* S. Lazari resuscitati Episc. et Mart. *dupl.*
b	18	* *Exspectatio Partus B. M. V.* dupl. maj.
c	19	
d	20	* SS. Israëlis et Theobaldi Conf. *semid. ad libitum.* Commem. Vigiliæ.
e	21	S. Thomæ Apost. *dupl.* 2. *cl.*
f	22	
g	23	* S. Asclepii Episc. et Conf. *dupl.*
A	24	Vigilia Nativitatis.
b	25	NATIVITAS D. N. J. C. *dupl.* 1. *cl.* cum Octava.
c	26	S. Stephani Protomart. *dupl.* 2. *cl.* cum Oct. Commem. Oct. Nativitatis et * Omnium Sanctorum Martyrum.
d	27	S. Joannis Apost. et Evang. *dupl.* 2. *cl.* cum Oct. Commem. Octavarum.
e	28	SS. Innocentium Mm. *dupl.* 2. *cl.* cum Oct. Commem. Octavarum.
f	29	S. Thomæ Cantuariensis Episc. et Mart. *semid.* Commem. Octavarum.
g	30	Dom. infra Oct. Nativitatis, vel de Oct. Nativitatis, *semid.* Commem. Octavarum.
A	31	S. Silvestri Papæ et Conf. *dupl.* Commem. Octavarum.

OFFICIA VOTIVA

Qualibet Feria V non impedita Festo novem lectionum etiam translato, extra tamen Adventum, Quadragesimam, Octavas, Vigilias et Ferias privilegiatas, excepta etiam Feria in qua, secundum Rubricas, Officium Dominicæ aliquando erit appositum, fit Officium votivum SS. Sacramenti, sub ritu semiduplici.

Item quolibet sabbato, ut supra non impedito, sub iisdem limitationibus et ritu, fit Officium votivum Immaculatæ Conceptionis B. M. V.

(Ex concessione S. R. C., die 16 julii 1863).

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS TUTELENSIS

A SANCTA SEDE APPROBATA

PARS AUTUMNALIS

FESTA MOBILIA

DOM. KALEND. SEPTEMBRIS PROXIMA
IN ANNIVERSARIO
DEDIC. OMNIUM ECCLESIARUM
DIŒCESIS TUTELENSIS

Duplex 1. *cl. cum Octava.*

Officium ut in Communi Dedicat. Eccles., in Breviar.

Commem. Dom. occur. in utrisque Vesp. et Laud., ac per Homil. pro IX. *Lect.*

Infra Oct. fit de Semid. et supra occur., et de Dupl. translato cum Commemoratione Octavæ.

DOM. SEQUENTI
OCT. ANNIVERSARII
DEDIC. OMNIUM ECCLESIARUM
DIŒCESIS TUTELENSIS

Duplex.

Officium ex Comm. Dedicationis, in Breviar.

Commem. Dom. in utrisque Vesp. et Laud., ac per Homil. pro IX. *Lect.*

DOM. II. OCTOBRIS
MATERNITATIS B. M. V.

Duplex majus.

Ut in Supplem.

Officia Maternitatis, Puritatis et Patrocinii B. M. V., quoties designatæ Dominicæ juxta decreta impeditæ occur., poterunt, ex benigna sanctæ Sedis concessione, ad primas dies liberas transferri.

DOM. III. OCTOBRIS
PURITATIS B. M. V.

Duplex majus.

Ut in Supplem.

DOM. IV. VEL V. OCTOBRIS
PATROCINII B. M. V.

Duplex majus.

Omnia hic non propria, ut in Festis B. M. V.

In fine Ant. ad Magnif. in I. Vesp. et in ℟. VII. *ad Matut. loco* tuam sanctam Festivitátem, *dicitur* tuum sanctum Patrocínium.

Commem Dom. occur. in utrisque Vesp. et Laud.

In III. Noct. Lect. IX. *de Homil. Dom. occur.*

Quoties Dom. IV. Octobris, juxta decreta impedita occur., transferatur Festum

Patrocinii B. M. V. ad Dom. V. si October hoc anno quinque complectatur Dominicas. Quod si utraque Dom. impedita fuerit, tunc, ex benigna S. Sedis concessione, reponatur in prima die libera post Dom. IV. Octobris. Et si contingat reponi non posse hoc Festum nisi in Adventu, tunc, ex decreto S. R. C. diei 25 Aug. 1818, *nihil immutari debet, præter nonam Matut. Ant., quæ erit :*

Ant. Angelus Dómini nuntiávit Mariæ, et concépit de Spíritu sancto.

DOM. INFRA OCT. OMNIUM SANCTORUM

SS. RELIQUIARUM

IN ECCLESIIS DIŒC. TUTEL. ASSERVATARUM

Duplex.

Ut in Supplem. inter Festa mobilia Dom. IV. Octobris.

Lect. IX. *de Homil. Dom. occur.*

In Laud. et II. Vesp., Commem. Dom. et Oct.

Si dies Oct. Omnium Sanctorum incidat in Dominica, hoc anno de SS. Reliquiis fit tantum Commem. in utrisque Vesp. et Laud.

FESTA FIXA SANCTORUM

FESTA AUGUSTI

DIE XXX

COMMEMORATIO

SANCTI FIACRII

CONFESSORIS

Una cum Commem. SS. Felicis et Adaucti Mart.

Pridie Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

ORATIO

Majestátem tuam, Dómine, súpplices exorámus : ut sicut nos júgiter Sanctórum tuórum commemoratióne lætíficas, ita semper supplicatióne deféndas. Per Dóminum.

LECTIO IX

Pro SS. Mart. Felice et Adaucto, et S. Fiacrio Conf.

Felix, Diocletiáno et Maximiáno imperatóribus, propter suscéptam Christi religiónem comprehénsus, in Serápidis templum addúctus est. Cui sacrificáre cum juberétur, os simulácri cónspuit. Quo facto statim ǽrea státua córruit. Quod cum iterum ac tértio in æde Mercúrii, Dianǽque factum esset, impietátis, et mágicæ artis accusátus, equúleo torquétur. Mox ad

secúndum ab urbe lápidem via Ostiénsi dúcitur, ut secúri ferirétur. Cui inter viam oblátus quidam Christiánus, cum Felícem agnóscens, ad martýrium duci vidéret : Ego quoque, clara voce inquit, eádem qua iste, lege vivo; ego eúmdem Jesum Christum colo. Itaque Felícem osculátus cum eo secúri percútitur, tértio Kaléndas Septémbris : cujus nomen cum ignótum esset Christiánis, is Adáucti nómine nobilitátus est, quod sancto mártyri Felíci adáuctus sit ad corónam. Eódem die cólitur sanctus Fiácrius, qui sǽculo séptimo flóruit. In Hibérnia natus, sed suos suámque pátriam déserens ut soli Deo vacáret, in loco a sancto Faróne, epíscopo Meldénsi, sibi assignáto, vitam puram egit. Sanctitáte miraculísque illústris obdormívit in Dómino : cujus memória longe latéque in Gállias diffúsa est.

Ad Laud. Ant. **Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.**

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Orat.* Majestátem. *supra.

FESTA SEPTEMBRIS

DIE I
SANCTI JULIANI
MARTYRIS

Duplex.

(*Dies fixa e* 28 *Augusti.*)

Omnia de Communi unius Mart., præter seq.

Pridie, Vesp. a Capit. de S. Juliano.

ORATIO

Deus, qui in corde beáti Mártyris Juliáni ignem sancti tui amóris accendísti, ut persecutórum supplícia, te vincénte, despíceret : da nobis, ut cujus natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Fit Commem. S. Raymundi Nonnati. Ant. Hic vir. ℣. Justum.

Deinde Commem. S. Ægidii Abbat. Ant. Similábo. *e I. Vesp.,* ℣. Amávit. *Orat.* Intercéssio. *in Breviar.; et tandem SS. Duodecim Fratrum Mart., ut in Breviar.*

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO
LECTIO IV

Ex sancto Gregório Turonénsi, de miráculis sancti Juliáni.

Lib. 2. *cap.* 1. *et* 2.

Inclytus martyr Juliánus qui, Viennénsi ortus in urbe, Arvérnis datus est

martyr, igne divino succénsus, nihil áliud concupívit, nihil tota mente desiderávit, nisi, spretis mundi illécebris, justitiæ viam expedítus arríperet. Cum esset apud beatíssimum Ferréolum, jam tunc martýrii amóre flagrans, relíctis divítiis ac propínquis ob solíus amórem martýrii, Arvérnum advénit territórium. Sed nec hoc sine divíno mandáto perégit, cum tunc persecútio in Viennénsi urbe fervéret. Légerat enim Dóminum prædixísse : Si vos persecúti fúerint in ista civitáte, fúgite in áliam.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus.

LECTIO V

Cóntulit ergo se Juliánus in Arvérnum territórium, non metu mortis, sed ut relinquens própria, facílius ad palmam perveníret. Metuébat enim ne sibi paréntes essent óbvii, si inter eos hoc certámen iniísset, et pérderet miles Christi corónam, si legítime non certáret. Igitur, instánte persecutióne, ad Brivaténsem vicum, in quo fanátici erróres Nǽniæ colebántur, advénit, et cum ínsequi adversários sentíret, a vídua quadam se occultári deprecabátur ; sed mox persecutóribus occúrrens : Nolo, inquit, diútius morári in hoc sǽculo, quia tota ánimi aviditáte Christum sítio.

℟. Desidérium.

LECTIO VI

Hæc loquénte Juliáno, edúcunt carnífices vibránti déxtera frámeam, et decíso cápite, in tres, ut ita dicam, partes gloriósus martyr divíditur : nam caput Viénnam defértur, artus Briváte condúntur, felix ánima a Christo conditóre suscípitur. Senes quoque, qui sacrosánctum corpus mancipáverant sepultúræ, ita redintegráti sunt, ut in senectúte summa, tamquam júvenes haberéntur. Caput quoque ejus Ferréolus Martyr accépit, completóque certámine, tam hujúsce membra quam illíus caput in uníus túmuli receptáculo collocáta sunt. Sancto Juliáno dicátæ sunt in diœcési Tutelénsi plures ecclésiæ, quarum præcípua in urbe Tutéla a décimo saltem sǽculo pérstitit : quæ, in luctuósa Galliárum perturbatióne, sǽculo décimo octávo desinénte, díruta est parochiális ecclésia. Rémanet vero fidélium píetas, et sancti Juliáni patrocínium remanébit.

Lect. IX. *de S. Ægidio.*

Ad Laud. Commem. S. Ægidii. Ant. Euge serve. *e Laud.* ℣. Justum. *Deinde SS. Duodecim Fratrum, in Breviar.*

In II. Vesp. Commem.

seq. S. Stephani Regis, in Breviar.

DIE III
SANCTI AMATORIS
CONFESSORIS
Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq. (m. t. v.)

Pridie, Vesp. de S. Amatore.

ORATIO

Deus, qui beátum Amatórem Confessórem tuum vita laudábili in terris decorásti : præsta, quǽsumus, nobis, ut ejus méritis et précibus, ætérna gáudia consequámur. Per Dóminum.

Fit Commem. præced. S. Stephani Regis. Ant. Hic vir. ℣. Justum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Traditióne innúmeris testimóniis firmáta ac præsértim auctoritáte Martíni papæ quinti, in bulla anni millésimi quadringentésimi vigésimi séptimi, sanctus Amátor idem prorsus est ac Zachǽus, in Evangélio laudátus, et ipsi, ex eádem traditióne uxor fuit sancta Verónica, seu Berenice. Ambo in cárcerem missi a Páulo minárum et cædis in discípulos Dómini spiránte, liberáti sunt ab Angelo, a quo jussi sunt in Gálliam se recípere. Mari se committéntes devenérunt ad oram marítimam territórii Burdigalénsis, ubi non páucos a falsórum núminum cultu revocárunt; quos advéniens sanctus Martiális sacro fonte ábluit. Jubénte eódem sancto, Amátor, relícta uxóre in loco cui nomen Soulac, Romam pétiit ad sanctum Petrum, a quo per biénnium deténtus, ejus ac sancti Páuli martýrio præsens ádfuit. Intérea, ut refert Flávius Dexter, sancti Hierónymi coǽvus, sancta Verónica e vita cessit, circa annum Christi septuagésimum.

℟. Honéstum.

LECTIO V

In Gálliam redux, ut libérius Deo inservíret, ad Cadurcénses secéssit, in abstrúsam et angústam vallem, rúpibus hinc inde prominéntibus hórridam, et in eárum médio sedem fixit, unde ei nomen Rupis Amátor. Hic eréxit altáre quod consecrávit sanctus Martiális in honórem beátæ Maríæ, quæ ibi concúrsu peregrinórum speciáliter cólitur et miraculórum frequéntia celebrátur. Noster vero Rupis Amátor in jejúniis, vigíliis, oratióne ac singulári in Deíparam devotióne vitam agens, circumstántes pópulos virtútum odóre illéctos Deo convértit, et tandem febre corré-

ptus, migrávit ad Dóminum, die vigésima Augústi.

℟. Amávit.

LECTIO VI

Corpus ejus in primo ádditu vestibulóque oratórii cónditum permánsit usque ad annum millésimum centésimum sexagésimum sextum, quod, sólidum integrúmque invéntum, translátum est ad basílicam Deo sub ejus invocatióne sacram, in qua innúmera et omníno stupénda patráta sunt mirácula. In ea summa veneratióne servátum est, donec furéntes Calvinístæ, anno millésimo quingentésimo sexagésimo secúndo, destrúctis ædifíciis ac thesáuris exspoliátis, illud in frusta concísum, subjícerent igni a quo non fuit consúmptum, ita ut étiam nunc ipsíus ossa, licet quidem flammis infuscáta, intégra supérsint.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 19.

In illo témpore: Ingréssus Jesus perambulábat Jericho. Et ecce vir nómine Zachǽus: et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Episcopi.

Lib. 8. in Luc., prope finem.

Zachæus statúra pusíllus, hoc est, nulla nobilitátis ingénitæ dignitáte sublímis, exíguus méritis sicut pópulus natiónum, audíto Dómini Salvatóris advéntu, quem sui non recéperant, vidére cupiébat. Sed nemo fácile Jesum videt: nemo potest Jesum vidére constitútus in terra. Et quia non prophétas, non legem habébat, tamquam formæ grátiam naturális, ascéndit in sycómorum, vanitátem scílicet Judæórum vestígio suo próterens, erráta quoque córrigens superióris ætátis: et ídeo Jesum in interióris domus recépit hospítio.

℟. Iste est qui.

LECTIO VIII

Et bene ascéndit in árborem, ut arbor bona bonos fructus fáceret: ac naturáli excísus oleástro, et contra natúram insértus in bonam olívam, fructum posset legis afférre. Radix enim sancta, etsi rami inútiles: quorum infructuósam glóriam plebs géntium fide resurrectiónis, quasi quadam córporis elevatióne transcéndit. Zachǽus ergo in sycómoro, cæcus in via: quorum álterum Dóminus miseratúrus exspéctat, álterum mansiónis suæ claritáte nobílitat: álterum sanatúrus intérrogat, apud álterum se non invitátus invítat. Sciébat enim úberem hospítii sui esse mercédem. Sed tamen, etsi

nondum vocem invitántis audíerat, jam víderat afféctum.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti.

LECTIO IX

Ibidem, in fine.

Et conféstim, inquit, vidit, et sequebátur illum, magníficans Dóminum. Aliter enim non vidéret, nisi sequerétur Christum, nisi Dóminum prædicáret, nisi sǽculum præteríret. Cum divítibus quoque in grátiam revertámur. Nólumus enim offéndere dívites, qui vólumus, si fíeri potest, sanáre omnes : ne in caméli comparatióne præstrícti, et in Zachǽo cítius quam opórtuit derelícti, justæ hábeant commotiónis offénsam. Discant dívites, non in facultátibus crimen hærére, sed in iis qui uti nésciant facultátibus. Nam divítiæ ut impediménta ímprobis, ita bonis sunt adjuménta virtútis. Dives certe Zachǽus, et eléctus a Christo : sed dimídium bonórum suórum paupéribus largiéndo, reddéndo étiam in quádruplum, quæ fráude sustúlerat, uberiórem mercédem, quam conferébat, accépit.

Te Deum laudámus.

Vesp. a Capit. de S. Rosa Viterbiensi; Commemoratio præced. S. Amatoris Confessoris.

DIE IV

SANCTÆ ROSÆ VITERBIENSIS VIRGINIS

Duplex.

Ut in Supplem. pro aliquibus locis.

DIE XVIII

COMMEMORATIO

SANCTI FERREOLI MARTYRIS

ET SANCTÆ FERREOLÆ VIRG. ET MART.

Ad Vesp. Ant. Istórum est. ℣. Lætámini. *de Communi plur. Mart.*

ORATIO

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Ferréoli et Ferréolæ solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Pro SS. Ferreolo et Ferreola Mart.

LECTIO IX

Ferréolus, témpore Crispini consuláris jam Christi miles, at necdum próditus, offício tribunítiæ potestátis, hábitu non corde, spécie non afféctu, apud Viennénsem urbem fungebátur. Sanctus Juliánus, ætáte jam adúltus, colléga mox futúrus in cælo, providéntiæ divínæ solátium præbébat in sǽculo. Si enim ínvicem in contubérniis milítiæ temporális constitúti, plus fídei stú-

dio quam militári diligébant ampléxus, et inter labóres públicos sanctórum societátem fidélibus vínculis sacra diléctio nexúerat. Quos áutem sociáverat cáritas, sociávit et martýrium. Cum enim Juliánus Briváte apud Arvérnos propter Christum decollátus esset, páulo post et Ferréolus, jussu Crispíni, impiíssimi prǽsidis, primo crudelíssime verberátur, deinde gravi catenárum póndere onústus, in tetérrimum cárcerem trusus est; unde solútis Dei nutu vínculis et jánuis cárceris patefáctis, éxiens, ab insequéntibus íterum captus, martýrii palmam percépit. Sancti mártyris relíquiæ una cum cápite beáti Juliáni cónditæ, póstea a sancto Mamérto, Viennénsi epíscopo, invéntæ sunt. Tutéla cívitas, quæ pie colébat sanctum Juliánum, et sancti Ferréoli cultum prosecúta est. Hac eádem die, in diœcési Tutelénsi, recólitur memória beátæ Ferréolæ vírginis et mártyris, quæ et ipsa pro Christo fórtiter dimicávit, et per Christum victóriam consecúta est. Passam fuisse mártyrem non longe a Briva, in vico nómine sanctæ Ferréolæ nobilitáto, piæ réferunt traditiónes. Et revéra, ibi in ecclésia sancti Martíni sacræ ejus relíquiæ, perantíquo ab ævo, religióse asservántur et colúntur.

Ad Laud. Ant. Vestri capílli. ℣. Exsultábunt. *Orat. ut supra.*

DIE XXV

SANCTI LAUDI

EPISCOPI ET CONFESSORIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq. (m. t. v.)

Pridie in II. Vesp. B. M. V. de Mercede, Commem. S. Laudi, Ant. Sacérdos et Póntifex. ℣. Amávit.

ORATIO

Deus, qui sanctam nobis hujus diéi solemnitátem in honórem beáti Láudi Confessóris tui atque Pontíficis consecrásti: adésto famíliæ tuæ précibus, et præsta; ut cujus festa celebrámus, ejus méritis et auxílio muniámur. Per Dóminum.

Deinde Commem. S. Baumadi Conf. non Pont. Ant. Similábo. *e I. Vesp.* ℣. Justum. *e Laud. Orat.* Adésto.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Beátus Láudus, in inferióri Normánnia nóbili génere natus, a puerili ætáte, spretis lúdicris quibus hæc ætas occupári solet, in pietáte et divínis lítteris únicam quærébat delectatiónem, in quibus tantam progressiónem fecit, ut,

mórtuo per id témporis beáto Possessóre, Constantiénsi epíscopo, cleri totiúsque pópuli suffrágiis et Childebérti regis asséusu, cǽlitus cógnita vocatióne illíus, Constantiénsis epíscopus fúerit appellátus, uno tantum ad quem confirmátio novi epíscopi Constantiénsis pertinébat, Gildárdo, Rothomagénsi archiepíscopo, inítio id recusánte; verum ipse in somnis revelatióne divína admónitus, repénte promíttit se lubénter factúrum id quod petébant Constantiénses.

℟. Invéni David servum meum.

LECTIO V

Consecrátus epíscopus, in Ecclésia Dei verbum prædicávit non minóri audiéntium fructu quam admiratióne : ampliorésque grátiæ, quæ mérita ipsíus in dies augébat, splendóres édidit : ádeo ut clarum jam religiónis jubar sacris in Gálliæ comítiis præcípua inter lúmina hujus ævi, sanctitáte, doctrína, signísque divínis rádians collucéret. Secúndo, tértio et quarto concíliis Aurelianénsibus intérfuit, in quibus subscríptus reperítur. Redux inde ad pátriam, sancti Marcúlphi funus pio afféctu curávit. Rexit áutem per quadragínta annos Constantiénsem ecclésiam. Deínde, imménsis labóribus in tam diútino pontificátu exháustis, effúlgens innúmeris virtútibus et signis, óbiit Constántiæ, ibíque honorífice sepúltus est.

℟. Pósui.

LECTIO VI

Sacræ Láudi relíquiæ circa annum salútis octingentésimum quinquagésimum, quo témpore desæviébat in Gálliis Normannórum furor, ne ab iisdem bárbaris contaminaréntur, Constántia Andégavum, inde Tutélam delátæ sunt; ubi translatóribus morte præoccupátis ante pacem adéptam, ad nos usque in hanc diem in magno honóre perstitérunt. Ejus vivéntis sanctitátem, et defúncti glóriam testátur præstantíssimum illíus auxílium quod in exstinguéndo igne Tutelénses sibi frequénter adésse sensérunt; sæpe enim flammæ in ædifícia violénter grassántes, fœno, pálea, aliísque matériis ipsas irritántibus, prótinus suppréssæ visæ sunt, deportáta processionáliter cápsula in qua sacra sancti Láudi ossa continéntur. Flóruit tantus vir circa annum Dómini quingentésimum quinquagésimum.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Homo péregre. *de Comm.* 1° *loco.*

332

Pro S. Baumado.

LECTIO IX

SANCTUS Báumadus, in Aquitánia nobilibus paréntibus natus, ab ineúnte ætáte clara futúræ sanctitátis dedit indícia. Adoléscens cum liberálibus disciplínis incúmberet, non minus in virtúte quam in litterárum sciéntia, studébat profícere : stulta reputábat quæ vocántur oblectaménta mundi. Iis enim negléctis, ánimum pietátis opéribus totum intendébat; nihílque sibi putábat cárius quam cum Deo solus aut de Deo cum homínibus loquerétur. Utrum in Tutelénsi cœnóbio aliquantisper sub monacháli disciplína sancta víxerit, et póstea eremíticam apud Calmélium vitam expértus fúerit, non omníno certum. At vero pátriam, paréntes et divítias déserens, divíno ardóre succénsus, apud Cenomános solitúdinem incóluit, ibíque diu vitam egit solitáriam, ab omni rerum terrenárum perturbatióne quiétus, et soli Deo inténtus. Oratiónis assiduitáte, vigíliis, abstinéntia, cæterísque virtútibus mirabíliter énituit. Per vitam multis étiam clarus miráculis, tandem in eódem pago Cenomanénsi pretiósa morte quiévit. Ejus sacrum corpus una cum relíquiis beáti Láudi epíscopi, ab Andegavénsibus Tutélam deportátum, ecclésia cathedrális servat et venerátur.

Ad Laud. Commem. S. Baumadi. Ant. Euge serve bone. *e Laud.* ℣. Amávit. *e I. Vesp.*

Vesp. a Capit. de seq. Commem. præced. et S. Cypriani et Justinæ Mart.

DIE XXVI

SANCTI FERREOLI

LEMOV. EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq. (m. t. v.)

Pridie, Vesp. a Capit. de S. Ferreolo. Orat. Exáudi, quǽsumus Dómine.

Deinde Commem. S. Laudi. Ant. Amávit. ℣. Justum.; *et tandem SS. Mart. Ant.* Istórum. ℣. Lætámini. *Oratio ut in Brev.*

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

FERRÉOLUS, Lemóvicis natus, liberálibus disciplínis imbútus, admirábili vitæ sanctitáte flóruit. Abjécta enim sǽculi pompa, usu cilícii ex pilis camelórum conjécti, jejúniis quotidiánis (excéptis diébus Domínicis) et frequéntibus genuflexiónibus corpus edomábat; ánimam áutem assíduis précibus inténtam Deo exhibébat. Pietátis ardóre exǽstuans, sanctórum Apostolórum Mar-

tyrúmque relíquias venerándi cáusa, Romam, ut fert constans tradítio, profectiónem suscépit. Qua in peregrinatióne multis sanitátem cóntulit, multis viam salútis osténdit. Regréssus in pátrium solum, post Exótium ad régimen Lemovicénsis Ecclésiæ, consentiéntibus ómnium votis, assúmptus, eo in múnere ita se gessit, ut nullum séduli pastóris officium prætermítteret.

℟. Invéni.

LECTIO V

Quo témpore, cum Lemovicénsis província grávibus morbis, iisque arte humána insanabílibus affligerétur, sanctus Póntifex patérnam suórum curam gerens, tríduum jejúnus, cínere conspérsus cum fletu et gémitu, sacrifício obláto, in basílica beáti Martiális sanitátem exorávit. Tanta auctoritáte váluit apud pópulum, ut Gregório Turonénsi teste, Marcum referendárium Chilperíci regis, tribúta grávia exigéntem, ab imminénti discrímine liberáverit. Sacris ǽdibus ædificándis lubens suas opes impendébat. Scribit idem Gregórius Turonénsis basílicam sancti Martíni in urbe Brivénsi, ímpetu hostíli cremátam, marmóreis étiam colúmnis igne solútis, a Ferréolo fuísse omníno instaurátam.

℟. Pósui.

LECTIO VI

Duóbus concíliis, nempe Matisconénsi secúndo et Arvernénsi tértio, intérfuit. Cum sancto abbáte Arédio arcta amicítia junctus fuit. Mortis dénique cógnito témpore, cléricos ad omnes offícii partes expléndas adhortátus, mœréntes étiam consolátus, décimo quarto Kaléndas Octóbris, ánimam beátam réddidit. Ejus corpus in æde sancti Páuli, quam ipse dotáverat, primum cónditum, inde propter ruínam, in monastérium sancti Augustíni prope Lemóvicas, eóque hóstium incúrsu díruto, in castrum de Túrribus, postrémo Nexónium translátum est.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Vigiláte. *de Comm.* 2° loco.

Lect. IX. (*ex duabus una*) *de SS. Cypriano et Justina Mart.*, *quorum Commem. ad Laud. Ant.* Vestri capílli. ℣. Exsultábunt.

In II. Vesp. Commem. SS. Cosmæ et Damiani Mart. Ant. Istórum. ℣. Lætámini. *Orat. ut in Brev.*

FESTA OCTOBRIS

DIE 1

SANCTI REMIGII

EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia ut in Breviario, sub ritu duplici; præter seq.

Pridie, Vesp. a Capit. de S. Remigio, cum Commem. S. Hieronymi. Ant. O Doctor. ℣. Justum.

Deinde fit Commem. S. Vedasti Conf. Pont. Ant. Euge serve bone. *e Laud.* ℣. Elégit. *e II. Noct. Orat.* Exáudi quæsumus. *de Communi Pontificis.*

Pro S. Vedasto.

LECTIO IX

VEDÁSTUS, in finibus Petrocoriórum et Lemóvicum, in monte diœcésis Lemovicénsis, qui Léucus dicebátur, nóbili prosápia natus, relíctis ab adolescéntia paréntibus et prǽdiis amplíssimis, solitáriam Tulli Leucórum vitam ducébat, cum, eo tránsiens Clodovǽus, devíctis divínitus Germánis, Remos properáret, a sancto Remígio epíscopo baptizándus. Vedástum, tum presbýterum, ex sanctitátis et doctrínæ fama cógnitum, rex adscívit viæ cómitem ac futúrum sibi in fídei christiánæ rudiméntis præceptórem. Salutáribus illíus documéntis ad baptismum institútus Clodovǽus, Remis ab antístite Remígio sacris tinctus est aquis; cui Vedástum, quem in singulári habébat honóre, impénse commendávit, dum ipse, post accéptam baptísmi grátiam ad regni negótia proficiscerétur. Remis aliquámdiu commorátus est Vedástus, totus et indefésse piis invígilans opéribus, donec a sancto Remígio Atrebaténsium ordinátus epíscopus ad gentem bárbaram et paganísmi superstitiónibus máxima ex parte déditam míttitur. Cum Dei opus forti adórtus ánimo, sic in pópulos suæ curæ mandátos se gessit, ut Christo multos acquisíerit éthnicos, et plúribus in locis ecclésias eréxerit, in quibus constítuit presbýteros et diáconos. Tandem, exáctis in pontificátu annis quadragínta, febre corréptus, et sacro córporis et sánguinis Christi confirmátus viático, clarus miráculis ánimam Deo réddidit, ante médium sexti sǽculi.

Ad Laud. Commem. S. Vedasti. Ant. Sacérdos. ℣. Amávit. *e I. Vesp. de Comm. Conf. Pont.*

Vesp. de seq. cum Commem. præced., et S. Leodegarii Episc. et Mart. Ant. Iste sanctus. ℣. Glória.

Oratio Infirmitátem. *de Communi unius Mart.*

DIE II

COMMEMORATIO

SANCTI LEODEGARII

EPISC. ET MART.

LECTIO IX

Leodegárius, Pictaviénsis archidiáconus, ac deínde monastérii sancti Maxéntii abbas, tum Augustodunénsium epíscopus creátus est; cui Ecclésiæ decem et novem annis præfuit. Cum áutem Childéricum secúndum, qui in regni administratióne illíus ópera utebátur, argúeret quod antíquas regni leges rescidísset, filiámque avúnculi duxísset uxórem, in Luxoviénse monastérium, quo relegátus ántea fúerat Ebroínus, major palátii, amandátus est. Utérque, rege mórtuo, in prístinum gradum est restitútus; sed Ebroínus, Leodegário auctóre, se in monastérium detrúsum fuísse ratus, mílites Augustodúnum misit qui eum comprehénderent. Re cógnita, sanctus antístes, erogátis in páuperes facultátibus, triduáno jejúnio indícto, et factis circum urbis mœnia cum cruce et relíquiis Sanctórum supplicatiónibus, Christi córpore præmunítus, ne quid detriménti cívitas sui cáusa paterétur, sponte se trádidit inimícis; qui illum statim, óculis érutis, in monastérium conjecérunt. Inde, váriis cruciátum torméntis, postquam alligássent palo, et lapídibus obruíssent Guarínum ejus fratrem, eum præcísis lábiis et lingua, in cœnóbium Fiscamnénse, sub custódia asservándum, detrusérunt. Leodegário ea ómnia forti et infrácto ánimo perferénti, offícium linguæ divínitus rédditum est : ita ut verbum Dei prædicáret, atque infelícem Ebroíni óbitum prænuntiáret. Quare in palátium ductus, discíssa túnica, episcopáli dignitáte spoliátus, conjéctus est in cárcerem, ex quo in silvam, ejus póstea nómine insignítam, a quátuor siccáriis abdúctus, in território Atrebaténsi cápite truncátus est. Tunc corpus exánime, sese érigens, per horam círciter stetit; et percússor, qui illud dejícere conabátur, statim a dǽmone corréptus, sui críminis pœnas dedit. Sacrum deinde corpus apud Sarcíngum sepúltum, inde post biénnium ad Pictones, váriis in itínere patrátis miráculis, delátum est, et honorífice in basílica sancti Maxéntii cónditum. Apud Meimácum, in diœcési Tutelénsi, et caput et ambæ manus transláta religióse asservántur.

Ad Laud., pro Commem.

324

S. Leodegarii. Ant. Qui odit. ℣. Justus. *Oratio ut supra.*

DIE V

SANCTI PARDULPHI

CONF. NON PONT.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Pridie, in II. Vesp. S. Francisci, Commem. S. Pardulphi. Ant. Similábo. ℣. Amávit.

ORATIO

Deus, qui in corporáli cæcitáte, copióso Spíritus sancti splendóre beátum Pardúlphum illustráti: ejus méritis et précibus, cæléste nobis lumen lárgiter infúnde, quo omnes mundi fallácias detegéntes, ad ætérnam glóriæ tuæ claritátem semper intendámus. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus.

Et tandem Commem. SS. Placidi et Soc. Mart. Ant. Istórum. ℣. Lætámini. *Orat.* Deus, qui nos concédis. *de Comm. plurim. Mart. non Pont.*

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Pardúlphus, patre agrícola, in pago Sardéno, non longe ab urbe Garacténsi natus, ex casu rami árboris a pueritia utróque orbátus est óculo. Ab eo témpore, melióri ánimi lúmine collustrátus, bonis opéribus et miráculis florére cœpit. Nam adhuc odoléscens, majórem ténuis victus et vestítus partem clánculum paupéribus erogábat; conveniéntes úndique infírmos, et a dæmónibus étiam obséssos, admóto óleo benedícto, aliquándo étiam sola manus impositióne curábat. His et áliis virtútibus clárus, monastério Garacténsi, quod in honórem sancti Petri, a Lantário cómite exstrúctum fúerat, licet invítus præfícitur.

℟. Honéstum.

LECTIO V

Religiósis ómnibus absolútum se præbuit sanctitátis exémplar. Sibi egréssum a cœnóbio et carnis esum perpétuo interdíxit: aliquándo étiam de áridis cibis semel tantum in hebdómada victitans. Noctes insómnes in oratióne, prono córpore, quantum vires ferre póterant, summa cum ánimi suavitáte ducébat. Psalmos, antiphónas et responsória quæ, dum peragerétur divínum Offícium, audiéndo didícerat, ánimo volvébat. Sub Nonæ tempus, páuperes et infírmos, qua póterat ope, máxime verbo Dei solabátur. Meritórum tandem prǽmia consecutúrus, osténsa sibi a Michaéle Archángelo in visióne scala per quam in cælum ascénderet, fere oc-

togenárius, prídie Nonas Octóbris, circa annum septingentésimum trigésimum séptimum sanctam efflávit ánimam.

℟. Amávit.

LECTIO VI

Sacrum ejus corpus in monastério Garacténsi sepúltum est; unde póstea, relíctis cum sarcóphago quibúsdam relíquiis, in monastérium Sarlaténse primo translátum, tum circa annum millésimum, instánte Guidóne de Túrribus, Arnácum devéctum est. Célebre vero illud est, quod ad portam urbis Lemóvicæ támdiu immóbile pérstitit donec cæcus coram pópulo addúctus illuminarétur. Anno millésimo nonagésimo quarto, cum subcutáneus ignis veheménter íterum Aquitános afflígeret, indíctis ad averténdam iram Dei supplicatiónibus, corpus sancti Pardúlphi cum aliórum sanctórum relíquiis, ex Arnáco ad sanctum Martiálem Lemóvicas delátum est, ubi vária coruscárunt mirácula, et plúrimi infírmi sanáti sunt.

℟. Iste homo ómnia perfécit.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus. *pro Abbatibus.*

Lect. IX. *ut in Brev. de SS. Placido et Soc. Mart., quorum Commemoratio in Laud. Ant.* Vestri capílli. ℣. Exsultábunt.

Vesp. a Capit. de S. Brunone. Commem. S. Pardulphi. Ant. Hic vir. ℣. Justum. *Orat. ut supra.*

DIE VII

SS. PRIMI ET FELICIANI MART.

Duplex.

Omnia de Comm. plur. Mart., præter seq.

Pridie, a Capit. de SS. Primo et Feliciano.

ORATIO

Auxiliéntur nobis, Dómine, mérita ac suffrágia sanctórum Mártyrum tuórum Primi et Feliciáni: ut sicut illis donátum est pro Christo pati, nos quoque cómpati et cum eis conglorificári mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Fit Commem S. Brunonis. Ant. Hic vir. ℣. Justum. *Orat. ut in Brev.*

Deinde Commem. S. Marci Papæ et Conf. Ant. Sacérdos. ℣. Amávit. *Orat. ut in Brev. Et tandem Commem. SS. Sergii, Bacchi etc. Mart. Ant.* Vestri capílli. ℣. Exsultábunt. *e Laud. Orat. ut in Brev.*

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Primus et Feliciánus, fratres, admirántes constántiam beáti Caprásii nulla nec vi nec cruciátu superándam, jam Dei amóre

flagrántes, fide et ópere huic agóni se sociavérunt, mortis periculis se alácriter injiciéntes. Quos omnes ad júgulum mortis una conspiratióne confértos mox ut vidit Datiánus, blandiméntis demulcére, minisque eos terrére cœpit. Impar eos quocúmque modo ad sua vota fléctere, indignatióne tam gravi abréptus est, ut omnes, data senténtia, cum beáta Fide Virgine et Mártyre, ad delúbra addúci præcéperit, ubi aut diis immolent, aut cápite plectántur.

℟. Sancti.

LECTIO V

FORTÍSSIMI itaque Christi mílites, una cum beáta Fide, ad præcéptum locum vi adácti cum perveníssent, ibique nulla vi ad sacrificándum compélli potuíssent, capítibus truncátis, unius horæ spátio cum triúmpho martýrii ad corónam glóriæ feliciter pervenire meruérunt, ob fidei constántiam excellentióri felicitáte donáti. Horum córpora torméntis laniáta, cæsisque capítibus obtruncáta, in platéis tamquam neglécta relíquit gentílitas; sed devóta Christi plebs ea laténter et religióse cólligens, sacrum étiam diffúsum cruórem appósitis mundíssimis pannis extérgens, síngula recóndere stúduit.

℟. Vérbera.

LECTIO VI

RÉDDITA vero tantisper pace, sanctórum relíquias, mirábili providéntia tam studióse servátas, jugi pietátis afféctu veneráti sunt Aginnénses, eorúmdem ortus, passiónis, et sepultúræ honóre donáti. Póstmodum sanctus Dulcídius, Aginnénsis epíscopus, eas reponéndas curávit in æde sacra quam sub título sanctæ Fidis exstrúxerat. Tandem relíquiæ ipsæ Lemóvicum translátæ sunt, et in monastério Bellíloci repósitæ. Ibi magno pietátis afféctu asservántur; et in festivitáte sanctórum Mártyrum, sicut et in necessitátibus, a longe accúrrunt devóti fidéles, ipsórum expeténtes validíssima patrocínia.

℟. Tamquam áurum.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Cum audiéritis prælia. *ex Comm.* 1° loco.

Lect. IX. *de S. Marco, in Breviar.*

Ad Laud. Commem. S. Marci. Ant. Euge serve. ℣. Justum. *Oratio ut in Breviar.*

Deinde Commem. SS. Sergii etc. Ant. Istórum. ℣. Lætámini. *e I. Vesp. de Communi plur. Mart.*

Vesp. a Capit. de sancta Birgitta Vidua, ut in Breviar.; Commem. SS. Primi et Feliciani. Ant. Gáudent.

℣. Exsultábunt. *Orat. ut supra.*

DIE IX

SS. DIONYSII EPISC.

ET SOC. MART.

Duplex.

Officium sub ritu duplici, ut notatur in Breviar., hac die 9 Octobris, præter seq.

Pridie Vesp. a Capit. de SS. Dionysio et Soc. Mart. cum Commem. præced. S. Birgittæ Viduæ.

In die Festi Vesp. dicuntur integræ de seq. Festo Translationis et Relationis S. Martialis, cum Commem. SS. Dionysii et Soc. Mart.

DIE X

TRANSLAT. ET RELATIONIS

RELIQ. S. MARTIALIS

AQUITANIÆ APOSTOLI

Duplex majus.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq. (m. t. v.)

Pridie Vesp. de Festo Translationis et Relationis, etc.

ORATIO

Omnípotens sempitérne Deus, qui hunc diem nobis honorábilem in beáti Martiális Confessóris tui atque Pontíficis translatióne tribuísti : da Ecclésiæ tuæ in hac celebritáte lætítiam; ut cujus membra pio amóre venerátur in terris, ejus intercessiónibus sublevétur in cælis. Per Dóminum nostrum.

Fit Commem. SS. Dionysii et Soc. Mart. Ant. Gáudent. ℣. Exsultábunt. *Orat. ut in Breviar.*

IN I. NOCTURNO

Lect. de Comm. Apost.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Cum beáti Martiális sepúlcrum miraculórum glória effulgéret, fidelésque ad ejus opem implorándam, eo undequáque convenírent, Ludovícus Pius, imperátor, celebritáte loci permótus, prope cryptam in qua sanctum corpus quiescébat, amplam constrúxit ecclésiam, quæ in chartis regum subsequéntium, regális basílica passim appellátur, et tum ab ipso Ludovíco, tum a successóribus, multis donatiónibus et privilégiis áucta est. Qua absolúta, priúsquam dedicarétur, anno Incarnatiónis octingentésimo trigésimo secúndo, sexto Idus Octóbris, jubénte et præsénte eódem Ludovíco, qui tunc prope Lemóvicas convéntum generálem agébat in palátio Jucundiáco, corpus sancti Martiális e túmulo levátum, in eam solémni pompa translátum est, et pone altáre majus collocátum. Tríduo vero post, ipsa basílica tam insígni ornaménto decoráta, Salvatóri solémniter dicáta est, adstántibus ítidem rege regníque procéribus.

℟. Invéni.

336

LECTIO V

Eam translatiónem Deo gratam non fuisse inde constat quod tellus tanta ímbrium vi stagnáre cœpit, ut instáre dilúvium áliud putarétur. Neque illa ímbrium vis sedáta est priúsquam sancti Martiális corpus in locum pristinum fuisset reportátum; tunc áutem sua cælo et terræ réddita est fácies. Elápsis áliquot annis, cum Lemovicénsem agrum Normannórum incúrsus devastáret, Lemovicénses sacras beáti Martiális relíquias Solemniácum, locum tunc munitum, transferéndas curavérunt. Ibi sanctum corpus biénnio permánsit, donec, hóstibus e regióne proféctis, in suum sacéllum referrétur; quod si véteri traditióni fides adhibeátur, mirábili quodam modo factum est.

℟. Pósui.

LECTIO VI

Cum áutem rursus appropinquárent vastatóres, pretiósa patróni membra Tu┐rénnæ Lemovicénses abscondérunt. Jam ántea in isto castro, eo quod esset tutíssimum, aliquántulum depósita, hac iteráta Translatióne, Deo beáti Apóstoli Aquitániæ per signa et prodígia multa patrocínium manifestánte, ibi remansérunt, donec, réddita provínciæ pace, in próprium locum illa reférre decrétum est. Effúsa tunc óbviam multitúdine, cum clero hymnos concinénte, relátæ sunt sacræ relíquiæ, et in prisca sede repósitæ, sexto Idus Octóbris, qui dies prióri Translatióne jam ántea sacer erat.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Designávit. *de Comm. Evangelistarum.*

In II. Vesp. Commem. seq. S. Francisci Borgiæ Conf.

DIE XI

S. FRANCISCI BORGIÆ

CONF. NON PONT.

Semiduplex.

(*Dies fixa ex heri.*)

Omnia ut in Breviario, ad diem 10 *hujus*, *præter seq.* (m. t. v.)

Pridie in II. Vesp. de Translatione S. Martialis, fit tantum Commem. S. Francisci Borgiæ, omissa Commem. SS. Mart. Dionysii et Soc.

DIE XIII

SANCTI GERALDI

CONF. NON PONT.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Orat. Deus, qui nos.

Pridie ad Vesp. Commem. S. Leoboni Conf., per Ant. Euge serve. ℣. Justum. *e Laud. de Comm. Conf. non Pont.*

ORATIO

Deus, qui per beátum Leóbonum pestiléntem ignem a corpóribus hóminum mirabíliter exstinxísti: præsta, quǽsumus; ut qui ejus solémnia cólimus, ipsíus interveniéntibus méritis, a cunctis vitiórum flammis eruámur. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Geráldus, Auriliáci in Arvérnia comes, a paréntibus génere claríssimis pie institútus, ad stúdium sacrárum litterárum ultro se cóntulit. In quo stúdio eos progréssus fecit, ut Scriptúram sacram totam tenéret fere memóriter. Orbátus paréntibus adoléscens, amplo património potítus, ad pietátis, misericórdiæ et justítiæ offícia, divítiis et potestáte usus est. Oblátam sibi sorórem Wilélmi, Aquitániæ ducis, cónjugem, recusávit.

℟. Honéstum.

LECTIO V

Puéllæ cujúsdam adspéctu, voluptátis acúleo aliquándo pércitus, parum ábfuit quin in peccátum incíderet; sed, ad se statim revérsus, pœniténtiam egit. Nec mora, cæcitáte percússus, concéptæ ánimo libídinis pœnas luit. Mox vigilántior Deo militávit: recuperatóque póstmodum oculórum usu, nullas passus est umquam ad se diversári mulíeres. Jejúniis, oratióni, sacræ lectióni, páuperum curæ, pupillórum et subditórum defensióni totum se dedit. Monastérium Auriliáci magno sumptu exstrúxit, monachúsque fieri cúpiens, ab Arvernórum epíscopo monásticam tonsúram accépit, quam sub sæculári hábitu gestábat.

℟. Amávit.

LECTIO VI

Romam ad visitánda Apostolórum límina sépties se cóntulit. Sepúlcrum beáti Martiális, devotiónis cáusa, frequénter invísit, obtentúmque ex ejus relíquiis dentem unum, Auriliáci, in templo a se constrúcto, depósuit. Munífícus in eúmdem sanctum Apóstolum, ecclésiæ ipsíus quædam bona cóntulit; canónicis vero Lemovicénsis Ecclésiæ ánnulum suum largítus est. Orbátus íterum visu, septénnio ante óbitum, nihil de prístina abstinéntia remísit. Sancte óbiit anno Christi nongentésimo nono, ætátis quinquagésimo quarto. Multis ante et post óbitum cláruit miráculis, teste sancto Odóne, Cluniacénsi abbáte, qui rogánte Turpióne, Lemovicénsi epíscopo, vitam ejus conscrípsit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Sint lumbi. *de Comm.* 1° *loco.*

Pro S. Leobono Conf.

LECTIO IX

Leóbonus, abjéctis inánibus curis, cæléstis vitæ genus in terris dúcere instítuens, in monte agri Lemovicénsis, non longe a vico cui nomen Fursácum est, secéssum elégit. Quo in loco, pérvigil in oratiónibus, in tentatiónibus fortis, mente, verbis, in toto córporis hábitu húmilis, in victu sóbrius, páuper spíritu, castitátem ánimi et córporis sédulo cóluit. Cum ad labefactándum ejus sanctum castæ vitæ propósitum, múlier tuguríolum ejus ab impudéntibus adolescéntibus noctu immíssa fuisset, vir sanctus prunis ardéntibus illǽsus incúbuit, eámque ut idem fáceret hortátus, miráculo attónitam in fugam convértit. Cum tamen ibi subsístere tutum non créderet, Salaniácum se cóntulit, ubi locum institúto suo idóneum nactus, mutáto solo, sed non mutáto propósito, réliquum vitæ tempus vigíliis, jejúniis, rerum divinárum contemplatióni, aliísque perfectióris vitæ christiánæ virtútibus, gnáviter impéndit. Demum tértio Idus Octóbris ad beatórum prǽmia vocátus est. Mórtui Leóboni glóriam plúribus mirá-culis Deus illustrávit. In anno nongentésimo quarto, cum subcutáneus ignis, ignótum morbi genus, per totam fere Aquitániam hóminum córpora depásceret, frustra adhíbitis medicórum remédiis, ex univérsa provincia sanctórum relíquias deférri Lemóvicum jussit Hilduinus episcopus. Quare, ne officio suo deéssent, Salaniacénses sancti Leóboni capsam ejus loco movérunt, eáque apérta, ossa in ea cóndita vino abluérunt, quod fuit ægrótis plúrimis remédium salutáre. Et in itínere, dum sacrum corpus Lemóvicas efferrétur, occúrrens ei quidam e Junchéria júvenis, prope Ambazácum, ab igne illo pestilénti liberátus est.

Ad Laud. pro Commem. S. Leoboni, Ant. Similábo. ℣. Amávit. *e I. Vesp. de Comm. Oratio ut supra.*

Vesp. a Capit. de seq. S. Callixto Papa Mart. cum Commem. præced. S. Geraldi.

DIE XV

PRO COMMEMORATIONE

S. AUSTRICLINIANI

B. MARTIALIS SOCII

Pridie ad Vesp., Ant. Similábo. ℣. Amávit. *de Communi Conf. non Pont.*

ORATIO

Deus, qui beátum Austricliniánum Confessórem tuum, dignitáte sacerdótii,

glória discipulátus apostólici, ac sanctitátis munéribus adornásti : Ecclésiam tuam contínua fac celebritáte lætári; ut ejus méritis muniátur cujus natalítiis gloriátur. Per Dóminum.

Pro S. Austricliniano.

LECTIO IX

Austriclinіánus sacérdos, una cum Alpiniáno, a beáto Petro Apóstolo comes datus est sancto Martiáli, quando eum in Aquitániam misit ad christiánam fidem propagándam. Cum áutem simul pérgerent, atque Elsam venissent, morbo corréptus Austricliniánus móritur. Quod cum ægre ferret Martiális, Romam rédiit, atque Austricliniáni mortem Petro nuntiávit. Petrus ob id nihil commótus, báculum cui innitebátur, Martiáli trádidit, promíttens fore ut, eo ad cadáver admóto, Austricliniánus vitæ redderétur. Fides dictis áddita est, et sancti Petri prædictiónem rei comprobávit evéntus. Austricliniánus a morte revocátus, cum beátis Martiále et Alpiniáno injúnctum sibi iter prosecútus est. Gállias ingréssi, tandem in óppidum Tullum, quod nunc Tutéla cívitas nuncupátur, pervenére sancti sócii, ibíque primum ac toti Lemóvicum províncíæ, deínde áliis circumjacéntibus regiónibus, Evangélium promulgárunt. Austricliniánus, cum cárceres, flagélla, aliaque torménta pro Christi fide a dæmonum cultóribus passus esset, plurimósque in vera religióne erudiísset, sanctitáte conspícuus, Idibus Octóbris, migrávit in cælum.

Ad Laud. Ant. Euge. ℣. Justum. *de Communi Conf. non Pont. Orat. ut supra.*

DIE XVI

SS. JUNIANI ET AMANDI

CONF. NON PONT.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

Pridie, Vesp. a Capit. de SS. Juliano et Amando.

ORATIO

Adésto Dómine supplicatiónibus nostris, quas in beatórum Juniáni et Amándi Confessórum tuórum solemnitáte deférimus : ut, qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, eórum, qui tibi placuérunt, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Fit Commem. præced. S. Teresiæ Virg. Ant. Veni sponsa. ℣. Diffúsa est. *Orat. propria.*

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Juniánus puer, relíctis paréntibus, ut Christum sequerétur, et abjécta omni spe terrénæ hereditátis, ut

ætérnam adiret, religiósis institútis informándum se commisit beáto Amándo sanctitátis fama percélebri, vitam agénti solitáriam in loco qui tunc Comodoliácum vocabátur. Eximiárum magistri virtútum studiósus imitátor fuit; et illo in cælum evocáto, erémi ac céllulæ factus est heres, ubi et máculis cœpit claréscere; quod potíssimum innótuit, cum pestem quæ per agrum Pictaviénsem grassabátur, aqua quam suis précibus e saxo céllulæ suæ edúxerat, mirabíliter exstinxit.

℟. Honéstum.

LECTIO V

Cæco visum restítuit, surdo et cláudo simul líberam audiéndi et ambulándi facultátem concéssit; plúrimos a spirítibus immúndis obséssos liberávit. In iis fuit Rorícius, Comodoliáci dóminus, qui póstmodum, avo vita functo, Lemovicénsis episcopus ordinátus est. Tandem, cum ibi diu Juniánus eremíticam vitam duxisset, ac sæpíssime de humáni géneris hoste gráviter eum lacessánte, victóriam reportásset, ætáte, vigíliis, jejúniis et labóribus conféctus, décimo séptimo Kaléndas Novémbris, ad beatórum sedes tránsiit. Ad ejus sepúlcrum, ait Gregórius Turonénsis, sæpe morbi curántur; nam et vidi multos qui, cæcis óculis, eo perdúcti lumen recepérunt, et qui paralýtici illuc se contúlerant, sani et incólumes revérsi sunt. Flóruit témpore Clotárii primi, Francórum regis.

℟. Amávit.

LECTIO VI

Amándus, anachoréta, Comodoliáci, ad Vigénnæ ripam flóruit. Ibi, cum in loco hórrido homínibus ignótus, soli Deo vacáret, a pastóribus casu detéctus est. Fama sanctitátis ejus pervulgáta, Rorícius sénior, episcopus Lemovicénsis, illum invísit, eique ædículam prope ipsius specum in próprio prǽdio exstrúxit. Ibi beátum Juniánum solitáriæ vitæ institútis informávit. Tandem conféctus sénio, crebrísque mirácu-lis clarus, obdormívit in Dómino. Ejus corpus eódem loco terræ mandátum, ignótum diu jácuit, donec, labénte sǽculo undécimo, hortátu sancti Hugónis, abbátis Cluniacénsis, qui tunc Comodoliácum advénerat, quǽsitum est et invéntum a Ramnúlpho, sancti Juniáni canónico, qui et templum Deo ibidem sub sancti Amándi nómine excitávit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Nolite timére. *de Comm.* 2° *loco.*

Vesp. a Capit. de seq. B. Margarita Maria Virg., cum Commem. præced.

DIE XVII

B. MARGARITÆ MARIÆ ALACOQUE VIRG.

Duplex.

Ut in Supplemento pro aliquibus locis.

Vesp. de seq. Commem. præced.

DIE XXI

S. URSULÆ ET SOCIARUM VIRG. ET MART.

Duplex.

Omnia de Comm. Virg., præter seq.

Pridie in Vesp., a Capit. de SS. Ursula et Soc. Post Hymnum dicuntur : ℣. Adducéntur Regi Vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Ad Magnif. Ant. Prudéntes Vírgines aptáte vestras lámpades : ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

ORATIO

Da nobis, quǽsumus Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum ejus palmas incessábili devotióne venerári : ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per.

Fit Commem. præced. S. Joannis Cantii, Ant. Hic vir. ℣. Justum. *Orat.* Da, quǽsumus. *propria in Brev.*

Deinde Commem. S. Hilarionis Abbat. Ant. Similábo. ℣. Amávit. *Orat.* Intercéssio. *in Brev.*

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Ursulam et plúrimas ejus sócias domo Britónes fuisse vetus et constans tradítio profértur. Quod forte pátria tentarétur ab Anglis et Saxónibus, aliísque e septentrióne prædónibus, éxiit e terra sua beátum agmen eo fere témpore quo plures sacerdótes ac clérici, multíque álii viri e Británnia migrántes, líttora Armóricæ petébant. Per Rheni óstia in Germániam secúndam venérunt Ursula et sóciæ ejus, et Colóniæ Agrippínæ resedérunt, ubi pietátem aliquámdiu coluérunt, cæterásque virtútes quæ sponsas Christi vírgines decent. Dum áutem, ut diligentíssimus Sigebértus áuctor est, illic dégerent, Attila dux Hunnórum, Rhenum tránsiens, in Gállias prorúpit, ruínis et terróre ubíque sparsis. Inter bellórum turbas atque excídia úrbium, stragésque cívium, Colóniam quæ véterum vallórum munitióne, et Rheni flúvio validíssimum castrum habebátur, confúgerant plures sancti præsules, multíque viri ac mulíeres ibídem vitæ ac

bonis præsidium quæsitúri. At frustra, cum inter annum quadringentésimum quinquagésimum primum Hunnórum petulántiam et feritátem Ubii bis expérti sint. Nec quispiam umquam díxerit quam atrócia pertulére mala. Quod álibi patrátum scriptóres coævi tradidérunt, id quoque Colóniæ factum : pópulus in ore gládii trucidátus, sacerdótes Dómini ante altária ferro perémpti. Sed ut nulla in his tempóribus acérbior, sic étiam nulla gloriósior pássio fuit quam sanctæ Ursulæ et innumerabilium Vírginum quæ, cum ómnia pótius parátæ essent subíre torménta quam pudicítiæ detriméntum fácere, sagíttis demum transfíxæ sunt.

℟. Propter.

LECTIO V

POSTQUAM vero abiérunt bárbari, Coloniénses beatárum Mártyrum ossa pretiósa collegérunt; nec diu post in agro ubi quies illis fúerat data, basilicam ædificárunt, quæ jam médio sæculo séptimo Ecclésia sanctárum Vírginum dicebátur; et sæculo nono monastérium facta, ut pleræque basilicæ cœmeteriáles, incolebátur a moniálibus. Máximo número fuisse sanctæ Ursulæ sodáles non ullo témpore dubitátum est. Jam sæculo nono Wandelbértus, vicíni Prumiénsis monastérii abbas, testátus est numerósa trophǽa virgíneis manípulis erécta, ad Rheni líttora, in Agrippínæ urbe fulgére, atque olim ab ímpio furóre ínclyta míllia, ductrícibus sanctis, mactáta fuísse. Sǽculo vero ineúnte décimo, Wicfrídus Coloniénsis archiepíscopus prædícto sanctimoniálium cœnóbio multa bona trádidit, propter reveréntiam úndecim míllium sanctárum Vírginum inibi quiescéntium. Non omnes quidem virginitátis corónam meruísse mártyres Coloniénses compértum est, síquidem plúrimi sacerdótes aliíque viri ac mulíeres iis accenseántur. Sed cum Ursula et sóciæ ejus láudem cæterórum, qui pro asseréndа fide vel pietáte tuénda sánguinem profudérunt, splendóre certáminis superássent, univérso ágmini virgíneum suum candórem noménque indidérunt.

℟. Dilexísti.

LECTIO VI

EMINUÉRE ab antiquis sæculis sancti complúres in coléndis beátis Virgínibus Martýribus. Dum in eárum ecclésia sacra operarétur sanctus Cunibértus, qui médio sæculo séptimo sedem tenébat Coloniénsem, colúmba prius in vértice beáti antístitis, deínde in sepúlcro uníus Vírginis consedére visa est.

Sanctum Floriánum, regem Scotórum, et sanctum Audoénum, Rhotomagénsem archiepíscopum, ad Mártyrum sanctárum túmulos peregrinatiónem suscepísse; necnon sanctum Willebrórdum, apóstolum Frisónum, una cum sanctis Adalbérto et Werenfrído, óperam dedísse in elevándo córpore beátæ Cunéræ uníus e virgíneo sodalítio, jámpridem lítteris consignátum est. At pietáte in sanctas Vírgines prælúxit ómnibus sanctus Anno, Coloniénsis archiepíscopus, cui in more pósitum erat, síngulis fere nóctibus, eárum adíre altária, ibíque férvidas effúndere preces. Nec eas negléxit sanctus Norbértus, qui ipse Colóniam véniens, corpus uníus Vírginum cum áliis relíquiis Præmonstrátum transferéndum curávit. Sed et sacra beatárum Mártyrum pígnora plúrimas Galliárum ecclésias ditavérunt. Inter eas præcípue nominánda est ecclésia collégii Sorbónici Parisiénsis, quæ Ursulæ patrocínio consecráta, duo sanctárum Mártyrum cápita in sacrário suo diu honestíssime servávit. Tandem in his últimis sǽculis novum beátæ Ursulæ et sociábus decus áddidit sancta Angela Merícia, quæ novam Vírginum societátem instítuens, invíctæ tot Vírginum ducis patrocínio ac nómine insigníri vóluit.

℟. Afferéntur.

IN III. NOCTURNO

Homil in Evang. Símile erit regnum cælórum. *de Comm.* 1° *loco.*

Lect. IX. (*ex duabus una*) *de S. Hilarione, in Brev.*

Ad Laud. ℣. *et Ant. ad Bened. sicut in I. Vesp.*

Pro Commem. S. Hilarionis, Ant. Euge serve. ℣. Justum. *Orat. ut supra.*

In II. Vesp., ℣. *et Ant. ad Magnif. e I. Vesp.*

Et fit Commem. seq. S. Eduardi Regis Conf. Ant. Similábo. ℣. Amávit. *de Comm. Oratio propria in Brev. die* 13 *hujus.*

DIE XXII

SANCTI EDUARDI

REGIS ET CONF.

Semiduplex.

(*Dies fixa ex* 13 *hujus.*)

Officium ut notatur in Breviario, ad diem 13 *hujus.* (m. t. v.)

Vesp. de seq. cum Commem. præced.

DIE XXIII

SS. REDEMPTORIS

Duplex majus.

Ut in Supplem. pro aliquibus locis.

DIE XXIV

SANCTI RAPHAELIS

ARCHANGELI

Duplex majus.

Ut in Supplem. pro aliquibus locis.

In II. Vesp. Commem. seq. S. Frontonis Conf. Pont. et SS. Chrysanthi et Dariæ Mart. ut in Brev.

DIE XXV

SANCTI FRONTONIS

EPISC. ET CONF.

Semiduplex ad libitum.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq.

ORATIO

Deus, cujus ineffábili misericórdia beátus Póntifex Fronto in géntibus evangelizávit investigábiles divítias grátiæ Christi : da nos ejus intercessióne créscere in sciéntia tua; ut, in omni ópere bono fructificántes, numquam ab evangélicæ perfectiónis sémita deflectámus. Per Dóminum nostrum.

Fit Commem. S. Chrysanthi et Dariæ, Ant. Istórum. ℣. Lætámini. *Oratio propria in Brev.*

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Beátus Fronto, primus Petrocorénsium episcopus, a beáto Petro, ut fert antiquissima traditio, in Gállias missus est ad prædicándum Evangélium. Is cum beáto Geórgio divérsas regiónes Christum annuntiándo peragrávit, multósque paganórum superstitióni erípuit. Geórgio ad Velaunórum partes transeúnte, ipse Petrocorénsem gentem ab idolórum cultu ad veri núminis cognitiónem revocándam suscépit.

℟. Invéni.

LECTIO V

Petrócorum ingréssus Fronto, ibi christiánam fidem cum summo labóre et incredíbili constántia prædicávit, magnámque cívium multitúdinem ad Christum convértit. Tandem, post multos exantlátos labóres múltaque ad confirmándam religiónem quam prædicábat édita mirácula, sanctus Pastor in pace quiévit.

℟. Pósui.

LECTIO VI

Ejus corpus sepúltum est prope urbem, in eo qui póstea dictus est Pódium sancti Frontónis loco, qui et ipse in civitátem crevit. Ibi Frotésius episcopus, sǽculo décimo, monastérium ædificáre cœpit, quod, témpore Guliélmi de Alba Rupe, repentíno incéndio conflagrávit, ipsa tamen nunc supérstite insigni basílica quæ, sub Geráldo de Gordónio, ab archiepíscopo Bituricénsi, anno supra millésimum quadragésimo séptimo, duodécimo Kaléndas Aprílis fúerat consecráta.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Vigiláte. *de Comm. 2° loco.*

Lect. IX. (*ex duabus una*) *de SS. Chrysantho et Daria Mart., quorum Commem. in Laud. Ant.* Vestri capílli. ℣. Exsultábunt. *Orat. propria in Brev.*

Vesp. a Capit. de seq. S. Hedwige Vidua, Commem. præced. Ant. Amávit. ℣. Justum. *Oratio ut supra; deinde S. Evaristi Papæ et Mart. Ant.* Iste sanctus. ℣. Glória et honóre. *Orat.* Infirmitátem.

DIE XXVI

SANCTÆ HEDWIGIS

VIDUÆ

Semiduplex.

(*Dies fixa e* 17 *hujus.*)

Officium ut in Brev. ad diem 17 *hujus.*

In II. Vesp. nulla Commem.

FESTA NOVEMBRIS

DIE V

SANCTI AUSTREMONII

EPISC. ET MART.

Semiduplex ad libitum.

Omnia de Comm. unius Mart., præter seq.

Pridie, in Vesp. S. Caroli Episc. fit Commem. S. Austremonii Episc. et Mart. Ant. Iste sanctus. ℣. Glória et honóre.

Orat. Deus, qui nos. *de Comm. unius Mart.*

Deinde post Commem. Oct., fit Commem. S. Gonsaldi Conf. Ant. Similábo. ℣. Amávit. *de Comm. Conf. non Pont.*

ORATIO

Da, quǽsumus Dómine, pópulo tuo, per mérita beáti Gonsáldi, salútem mentis et córporis, ut bonis opéribus inhæréndo, tuæ semper virtútis protectióne deféndi mereámur. Per.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Austremónius Póntifex a sancto Petro, juxta vetustíssimam Aquitániæ traditiónem, Roma in Arvérniam diréctus ad propalándum fídei christiánæ lumen, eruéndis ex avítæ superstitiónis calígine hujus tractus íncolis vígilem curam impéndit. Tanto áutem in labóre, sanctissimórum asseclárum ópera usus, dum ipse salútis mystérium Claromóntii, in Arvérniæ præcípua civitáte, felíciter promovéret, Sirenátum ad Tigernénse castéllum, Nectárium in meridionális Limániæ partes, Márium, Mammétum et Antónium ad montes Lemovicíni vicínos misit; qui strénue injúnctum opus aggréssi, plerásque plébium multitúdines, in suo quisque

tractu, Christi agnitióne illustrárunt.

℟. Honéstum.

LECTIO V

Cum áutem Claromóntii cives pene omnes, abjécta idololatria, Evangélio nomen dedissent, ipseque Victorinus, gentilítiæ superstitiónis sacérdos, et christianórum insecútor, Cássii senatóris, apud quem hospitabátur Austremónius, hortatiónibus victus, fidem ampléxus esset; Urbico demandáta religiónis provectióne et pópuli cura, ad Nivernénses properávit sanctus antistes, divínæ veritátis et misericórdiæ lumen allatúrus. Multam illic brevissimo témpore fecit grátiæ seméntem; et numeróso gregi pastórem præfécit Patricium, virum apostólicæ virtútis; rebúsque sic compósitis, ad Claromontános revérsus est. Quos omni provéxit sollicitúdine, donec explétis eo in múnere annis triginta sex, secéssum ad contemplatiónem aptum pétere dispósuit; pópulis quos tanto labóre Christo pepérerat, continuis précibus, inter extrémos annos consúlere cúpiens.

℟. Desidérium.

LECTIO VI

Quamóbrem, ordináto in sui vicem Urbico epíscopo, Iciodórum selégit óppidum, pone quod, exstrúcto tuguriolo, sedem fixit, toto corde ad ætérna anhélans, et in divinis meditatiónibus nocte diéque defíxus. Inter hæc tamen cæléstium colloquiórum oblectaménta, pópuli curam non abjécit, propinquósque incolas ad Christum convértit. Cumque Lúcium, præfécti Iciodorénsis fílium, baptismate abluisset, ira excandéscens pater milites immisit, qui beátum antistitem necárent. Mónitus áutem Austremónius, dum juxta dominicum mandátum fúgeret ad montes, comprehénsus prope Tremélium cápite truncátus est. Ejus sacrum corpus, primum in vico Iciodorénsi sepúltum, a sancto Avíto, e successóribus suis uno, monastério Iciodorénsi destrúcto, ad monastérium Volovicénse translátum est. Demum Aldebértus, Arvernórum ítidem episcopus, sacras ejus reliquias, præsénte Pippino rege; in monastérium Mauziácum tránstulit.

℟. Stola.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Si quis vult post me venire. *de Comm.* 2° *loco.*

Pro S. Gonsaldo.

LECTIO IX

Gonsáldus, nóbili apud Gallos sánguine ortus, adhuc puer bonis litteris eruditus, et sub disciplina sancti Præjécti, Arvernó-

rum epíscopi et mártyris, ad omnem pietátem et mores ecclesiásticos formátus, ut erat óptimæ índolis, magna ómnium virtútum fundaménta pósuit; cumque totus ad res cæléstes et divínas inténderet, vernánte adhuc ætáte, ne quo immúndo adspéctu vel afféctu inficerétur, commúni se hóminum consórtio subdúxit. Locum secéssui suo elégit montem aspérrimum, in agro Lemovicénsi, non longe a flúmine Toriónis, quem, odóre suæ sanctitátis et miraculórum fulgóre replétum, próprio demum nómine, quo étiam hódie appellátur, insignívit. Illic, procul ab omni mundi contágio, totum se ad divína applícuit; assiduóque devotiónis stúdio cum Deo versabátur. Ita jejúniis, vigíliis, et piis meditatiónibus inténtus, vitam cæléstem tradúxit. Sæpius apérto cum diábolo certámine, qui se ei étiam visibíliter obtrudébat, conflíxit, et crudéle ac intestínum bellum quod ei máxime ab infánda carnis libídine suscitábat, felíciter confécit, et omnes illíus insúltus glorióse triumphávit. Post tot victórias, ad repósitam sibi in cælo corónam justítiæ pervénit, Nonis Novémbris, anno círciter sexcentésimo octogésimo.

In Laud. Commem. Oct. et S. Gonsaldi, cum Orat. propria, ut supra.

Vesp. de seq. S. Leonardo Conf., cum Commem. præced. et Octavæ.

DIE VI

SANCTI LEONARDI

CONFESSORIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq.

ORATIO

Deus, qui singulárem in liberándis captívis grátiam beáto Leonárdo contulísti: concéde propítius; ut, illíus intercedéntibus méritis, a cunctis vitiórum vínculis solúti, perféctam libertátem consequámur. Per Dóminum.

Fit Commem. S. Austremonii. Ant. Qui vult veníre. ℣. Justus. *Oratio ut supra. Deinde Commem. Octavæ, quæ fiet in Laud. et II. Vesp.*

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Leonárdus, natálibus in Fráncia clarus, et ab ipso Clodovǽo rege de sacro fonte suscéptus, a pueritia, magistro beáto Remígio, Reménsi epíscopo, virtútum ómnium sólida jecit fundaménta. Nam et ab eo témpore, incarcerátis visitándis et liberándis incúmbens, munificus in páuperes, castus, modéstus et húmilis, in rerum diviná-

342

rum contemplatióne sédulus, vitam sanctissimam exigébat. Ab ambitióne ita aliénus fuit, ut, in áulam a rege accítus, ibíque manére rogátus donec ad episcopátum eveherétur, imparem se tanto óneri assevérans, vitam solitáriam cuívis honóri prætúlerit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus.

LECTIO V

IGITUR Auréliam proféctus, beáto Maximino aliquámdiu adhǽsit. Inde, peragráta, multisque miráculis et prædicatióne verbi Dei illustráta Bituricénsi província, in silvam agri Lemovicénsis secéssit, ubi idóneum institúto suo locum nactus permánsit. Accidit áutem ut, cum Gálliæ rex in palátium huic silvæ próximum, venatiónis cáusa, simul cum regina venisset, ipsa partúriens, ac præ dolóre jamjam moritúra, a sancto viro salutárem opem accéperit, ejúsque précibus fácile partum edíderit.

℟. Amávit.

LECTIO VI

IN grátiam tanti benefícii obláta pro régia liberalitáte múnera recusávit beátus Leonárdus, id solum expóscens, ut sibi ejus quam incolébat silvæ pars áliqua concederétur. Quod fácile obtínuit a rege, qui totum nemus conférre volébat. Ibi, ædificáto oratório in honórem beátæ Maríæ, austeritáte vitæ admirábili duóbus mónachis quos in consórtes delégerat, et áliis exémplo suo prælúcens, innúmeris miráculis et caritátis officiis clarus, incarceratórum liberatióne ubíque notíssimus, octávo Idus Novémbris evolávit in cælum, circa annum Christi quingentésimum quinquagésimum octávum.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Sint lumbi. *de Comm.* 1° *loco.*

DIE XI

S. MARTINI TURONEN. EPISC. ET CONF.

PATRONI DIŒCESIS TUTELENSIS

Duplex 1. *classis cum Octava.*

IN I. VESPERIS

Ant. et Capit. de Laud. Ps. Dixit Dóminus. *cum reliq. de Dom., et loco ult., Ps.* Laudáte Dóminum omnes gentes.

HYMNUS

ORBE qui, Præsul, celebráris omni,
Omnium votis et honóre dignus;

Te piæ mentis stúdio perénni
Hic canit hymnus.
Véstibus donas própriis egéntem,
Dum riget totis fera bruma castris,
Quas ad ornátum sibi vult decéntem
Christus in astris.
Jam status sordet tibi militáris,
Et calet pectus melióre flamma :
Tu sacer Christo sacra destináris
Miles ad arma.
Hoste cum multo subeúnda pugna,
Mille cum monstris, vitiísque mille;
Ne qua commíssum fériat malígna
Pestis ovíle.
Tu simul morbis medicína cunctis,
Cómprimis mortem, retinésque vinctam,
Et potes rursum túmulo sepúltis
Réddere vitam.
Trínitas, unum veneránda numen,
Da tuæ láudis decus ad perénne,
Dulce Martíni celebráre nomen
Tempus in omne.
Amen.

℣. Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? ℟. Scitóte quóniam mirificávit Dóminus Sanctum suum.

Ad Magnif. Ant. O beátum virum, cujus ánima paradísum póssidet : unde exsúltant Angeli, lætántur Archángeli, chorus Sanctórum proclámat, turba Vírginum invítat : mane nobíscum in ætérnum.

ORATIO

Deus, qui in beáto Martíno Pontífice, sive per vitam, sive per mortem magnificátus es : ínnova éadem grátiæ tua mirácula in córdibus nostris; ut neque mors, neque vita separáre nos possit a caritáte Dómini nostri Jesu Christi : Qui tecum vivit.

Nulla fit Commem., nisi de Dom.

AD MATUTINUM

Invit. Laudémus Deum nostrum, * In confessióne beáti Martíni.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus ut in I. Vesp.

IN I. NOCTURNO

Ant. Martínus adhuc catechúmenus hac me veste contéxit.

Pss. de Communi Confessoris Pontificis.

Ant. Sanctæ Trinitátis fidem Martínus conféssus est, et baptísmi grátiam percépit.

Ant. Ego signo Crucis, non clýpeo protéctus aut gálea, hóstium cúneos penetrábo secúrus.

℣. Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? ℟. Scitóte quóniam mirificávit Dóminus Sanctum suum.

De Epistola prima beáti Páuli Apóstoli ad Corínthios.

LECTIO I. *Cap.* 2.

Ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis, aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum. Et ego in infirmitáte et timóre, et tremóre multo fui apud vos; et sermo meus et prædicátio mea, non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne Spíritus et virtútis: ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei.

℟. Hic est Martinus, eléctus Dei Póntifex, cui Dóminus post Apóstolos tantam grátiam conférre dignátus est: * Ut in virtúte Trinitátis Deíficæ mererétur fíeri trium mortuórum suscitátor magníficus. ℣. Sanctæ Trinitátis fidem conféssus est. Ut.

LECTIO II. *Cap.* 9.

Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. Omnia áutem fácio propter Evangélium, ut párticeps ejus effíciar. Nescitis quod ii qui in stádio currunt, omnes quidem currunt, sed unus áccipit bravíum? Sic cúrrite ut comprehendátis. Omnis áutem qui in agóne conténdit, ab ómnibus se ábstinet: et illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant; nos áutem incorrúptam. Ego ígitur sic curro, non quasi in incértum; sic pugno non quasi áërem vérberans: sed castigo corpus meum, et in servitútem rédigo: ne forte cum áliis prædicáverim, ipse réprobus effíciar.

℟. Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso subíre propter eos labórem: * Fiat volúntas tua. ℣. Oculis ac mánibus in cælum semper inténtus, invictum ab oratióne spíritum non relaxábat. Fiat.

De Epistola beáti Páuli Apóstoli ad Philippénses.

LECTIO III. *Cap.* 1.

Scio secúndum exspectatiónem et spem meam quia in nullo confúndar: sed in omni fidúcia sicut semper, et nunc magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam sive per mortem. Mihi enim vívere Christus est, et mori lucrum. Quod si vívere in carne, hic mihi fructus óperis est, et quid éligam ignóro. Coárctor áutem e duóbus: desidérium habens dissólvi, et esse cum Christo, multo magis mélius: permanére áutem in carne necessárium propter vos.

℟. O beátum virum Martinum Antístitem, * Qui nec mori tímuit, nec vívere

recusávit. ℣. Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem : fiat volúntas tua. Qui. Glória Patri. Qui.

IN II. NOCTURNO

Ant. Confído in Dómino, quod fília mea précibus tuis reddénda sit sanitáti.

Ant. Tetrádius, cógnita Dei virtúte, ad baptísmi grátiam pervénit.

Ant. O ineffábilem virum, per quem nobis tanta mirácula corúscant!

℣. Exáudiet illum de cælo sancto suo. ℟. In potentátibus salus déxteræ ejus.

LECTIO IV

Martínus, Sabáriæ in Pannónia, patre tribúno mílitum natus, Pápiæ vero in Itália educátus, anno ætátis décimo, invítis paréntibus, ad Ecclésiam confúgiens, inter catechúmenos nomen dedit. Adscríptus milítiæ ex imperatórum edícto, quo veteranórum fílii sua nómina profitéri cogebántur, sub Constántio méruit. Ambiánis, ad portam urbis, páuperi nudo eleemósynam peténti, cum nihil habéret præter arma et vestiméntum: partem chlámydis dedit. Cui sequénti nocte Christus dimidiáta illa veste indútus appáruit, circumstántes Angelos sic allocútus : Martínus adhuc catechúmenus hac me veste contéxit. Baptizátus, ac relícta milítia, sanctum Hilárium Pictaviénsem ádiit, a quo exorcísta factus est, cum prius diáconi órdinem præ humilitáte recusásset: nec multo post ad suos revérsus, matrem ad Christum convértit. Ab epíscopis ariánis quod solus pene eórum perfídiam frángeret, públice virgis cæsus, Illýrico pulsus est. Eádem de cáusa, Medioláno, ubi monastérium sibi constrúxerat, per Auxéntium ejéctus, sedem in Pictónibus fixit, ibíque sub Hilário tum mónachis apud Lococíacum congregátis prǽfuit, tum prædicatiónis lumen per omnem vicíniam spárgere cœpit.

℟. Oculis ac mánibus in cælum semper inténtus, * Invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat. ℣. Dum sacraménta offérret beátus Martínus, globus ígneus appáruit super caput ejus. Invíctum.

LECTIO V

Turonénsis epíscopus ordinátus, secúndo ab urbe lápide monastérium cóndidit, in quo discípulos octogínta, nihil próprium habéntes, congregávit; ex quibus plures póstea epíscopi creáti sunt. Non procul ab eo loco altáre díruit, quod falso putabátur eréctum in memóriam mártyris. Idolórum fana dejécit, et lucos succídit, non véritus aliquándo vitæ adíre

324

discrímen, ut eórum cultum pénitus aboléret. Ad comitátum ob máxima negótia ire coáctus, a Valentiniáno repúlsam passus est; qui tamen séptimo post die, redeúnti Martíno, e sólio divínitus excússus, assurréxit, ejúsque postulátis ánnuit. Ithácium episcopum ácriter reprehéndit, quod contra leges ecclesiásticas Priscilliánum in cáusa cápitis insectarétur. Tréviros proféctus, ut apud Máximum imperatórem grávibus de cáusis, ac præcípue pro duórum nobiliórum virórum salúte ágeret; cum nihil impetráre potuisset, nisi ante promitteret se cum episcopis Ithaciánæ partis in comitátu degéntibus communicatúrum; id factúrum se pollícitus est, si his pro quibus rogáverat parcerétur, dúmmodo étiam tribúni, quos in cædem Priscillianistárum ad Hispánias jam missos accéperat, revocaréntur. Quare congregátis iis ad ordinatiónem Felícis episcopi, ingréssus sýnodum illórum communiónem aliquátenus iniit, sátius exístimans ad horam cédere, quam his non consúlere quorum cervícibus gládius imminébat; nec tamen addúci pótuit, ut communiónem illam suscriptióne firmáret. Exínde facti pœnitens, cavit ne in pósterum Ithaciánæ communiónis párticeps fíeret. Cumque energúmenos tárdius quam solébat, et grátia minóre curáret, subinde discípulis cum lácrymis fatebátur, se propter communiónis illíus malum, detriméntum sentíre virtútis. Séxdecim póstea vixit annos, quibus ab omni episcopórum convéntu abstínuit.

℟. Beátus Martínus óbitum suum longe ante præscívit, dixítque frátribus * Dissolutiónem sui córporis imminére, quia judicábat se jam resólvi. ℣. Viribus córporis cœpit repénte destítui, convocatísque discípulis dixit. Dissolutiónem.

LECTIO VI

Injuriárum fuit patientíssimus, ádeo ut impúne vel ab ínfimis cléricis læderétur, ac plerúmque sibi obtrectántium peccáta defléret. Quodam in convívio páteram presbýtero prius porréxit quam imperatóri, a quo honóris grátia ut prior bíberet, accéperat. Innúmeris miráculis cláruit. Tréviris paralýticam pene exánimem óleo a se benedícto sanávit. Parísiis, ad portam urbis, leprósum ósculo mundávit; próprii córporis óbice flammas aliquándo représsit; tres mórtuos suscitávit. Annis demum gravis, dum Condaténsis vici ecclésiam in sua diœcési visitáret, víribus deféctum

se séntiens, mortem sibi imminére discípulis indicávit. Ingravescénte febre, in cínere et cilício decúmbens, ne vile quidem stramen sibi súbjici passus est. Rogátus a presbýteris ut corpus in álterum latus reclinándo subleváret : Sínite me, inquit, cælum pótius respícere quam terram, ut suo jam itínere itúrus ad Dóminum spíritus dirigátur. Instánte jam morte, viso dæmone : Quid hic adstas, inquit, cruénta béstia? Nihil in me, funéste, repéries : Abrahæ me sinus recípiet. Ea in voce ánimam Deo réddidit.

℟. Dixérunt discípuli ad beátum Martínum : Cur nos Pater déseris, aut cui nos desolátos relínquis? * Invádent enim gregem tuum lupi rapáces. ℣. Scimus quidem desideráre te Christum, sed salva sunt tibi tua prǽmia; nostri pótius miserére quos déseris. Invádent enim gregem. Glória Patri. Invádent enim gregem.

IN III. NOCTURNO

Ant. Dóminus Jesus Christus non purpurátum, aut diadémate reniténtem se ventúrum esse prædixit.

Pss. III. Noct. de Comm. unius Mart.

Ant. Sacérdos Dei, Martíne, apérti sunt tibi cæli, et regnum Patris mei.

Ant. Sacérdos Dei, Martíne, Pastor egrégie, ora pro nobis Deum.

℣. Veníte fílii, audíte me.
℟. Timórem Dómini docébo vos.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 11.

In illo témpore : Dixit Jesus turbis : Nemo lucérnam accéndit, et in abscóndito ponit, neque sub módio, sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur lumen vídeant. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

In festo S. Martini, nº 12.

Martínus lucérna erat ardens et lucens : eum saltem non pígeat imitári; sed imitári in eo quod est imitábile, non áutem quod mirábile exhibétur. Ad mensam dívitis sedes hódie; diligénter consídera quæ tibi apponúntur : quænam vidélicet ad admiratiónem, quæ vero ad imitatiónem. Húmilis fuit et spíritu páuper iste Martínus, sicut evidentíssime probat efféctus ipse divínæ grátiæ, quam profécto Deus tam multam nisi multum húmili non dedisset. Tantam advérsus omnes injúrias patiéntiam assúmpserat, ut cum esset summus Sacérdos, impúne étiam ab ínfimis cléricis læderétur. Ad cælum lácrymæ ejus a maxílla ascéndere consuéverant; quibus sic abundá-

365

bat, ut soléret, pro illórum quoque, qui obtrectatóres sui videbántur, flere peccátis.

℟. O beátum virum, in cujus tránsitu Sanctórum canit númerus, Angelórum exsúltat chorus, * Omniúmque cæléstium Virtútum occúrrit psalléntium exércitus. ℣. Ecclésia virtúte roborátur, sacerdótes Dei revelatióne glorificántur, quem Míchaël assúmpsit cum Angelis. Omniúmque.

LECTIO VIII

SANE quantum justitiam esurierit, tum in cæteris ejus áctibus, tum speciáliter in idololatríæ persecutióne probátum est, in templórum destructióne, in statuárum dejectióne, succisióne lucórum. Ubi se quoque aliquándo non est véritus dare discrímini, ut occásio tanti críminis de médio tollerétur. Nam misericórdem eum in páupere se expértum Salvátor ipse apud Angelos gloriabátur, datam sibi medietátem vestis osténtans. Porro mundítiam cordis ejus illud vel máxime índicat, quod non est confúsus inimíco loquens in porta: Nihil in me, funéste, repéries; Abrahæ me sinus recípiet. Cæterum persecutiónes, quas sustinuit propter justítiam, longum est numeráre; pro quibus ómnibus dúbium non est multiplíciter coronári eum, qui quidem, etsi non semel efféctu consummátæ passiónis, sed tóties martyr fuit afféctu devotíssimæ voluntátis.

℟. Martínus Abrahæ sinu lætus excípitur: Martínus hic páuper et módicus, * Cælum dives ingréditur, hymnis cæléstibus honorátur. ℣. Martínus episcopus migrávit a sǽculo: vivit in Christo gemma sacerdótum. Cælum. Glória Patri. Cælum.

LECTIO IX

DÓMINE, inquit, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem, fiat volúntas tua. O vere sanctíssimam ánimam! O inæstimábilem caritátem! O obediéntiam singulárem! Bonum certámem certásti, cursum consummásti, fidem servásti; de réliquo súperest tibi coróna justítiæ, quam reddet tibi Dóminus hódie justus judex; et adhuc dicis: Non recúso labórem; fiat volúntas tua. Obtulísti plane Isaac: Unícum illum quem díligis, quod in te est, jugulásti; immolásti singuláre gáudium tuum pia devotióne, parátus redíre íterum in perícula, innováre certámina, dénuo subíre labórem, sustinére tribulatiónem, prolongáre tentatiónem, deinde differri adhuc ab illa tanta felicitáte, et diu desideráta societáte Spi-

rituum beatórum, atque in hujus mortalitátis ærúmnas ab ipso intróitu glóriæ revocári; postrémo (quod máximum est) a Christo tuo peregrinári diútius, si modo ipse voluísset. Nec sane dúbium quin ampliórem grátiam mereátur qui parátum se éxhibet, étiam ante mandátum, quam qui obedíre sátagit post mandátum.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1. Dixérunt discípuli ad beátum Martínum : Cur nos Pater déseris, aut cui nos desolátos relínquis? Invádent enim gregem tuum lupi rapáces.

Pss. de Dom.

2. Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem; fiat volúntas tua.

3. O virum ineffábilem, nec labóre victum, nec morte vincéndum, qui nec mori tímuit, nec vívere recusávit!

4. Oculis ac mánibus in cælum semper inténtus, invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat, allelúia.

5. Martínus Abrahæ sinu lætus excípitur : Martínus hic páuper et módicus cælum dives ingréditur, hymnis cæléstibus honorátur.

CAPITULUM. *Eccli.* 44. *c*

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

HYMNUS

Perfúsus ora lácrymis
Martínus astra súspicit :
Et in beáto Pátriæ
Defíxus obtútu gemit.

O mors, ait, quid támdiu
Differs leváre víncula?
Amóre Christi sáucium
Priváre vita munus est.

Quid tu minácі gútture,
Draco cruénte, síbilas?
Redi sub umbras tártari;
Me lucis áula dévocat.

Et vos, flagrans quos cáritas
Mihi dat esse fílios,
Fletu molésto párcite
Tardáre patris gáudia.

Quod si tamen nostros adhuc
Tellus labóres éxigit,
Jam láuream prensans manu,
Reddar libénter prælio.

Sic fortis et constans sibi
Martínus usque pérstitit,
Nec pro Deo timens mori,
Sed nec recúsans vívere.

Sit Trinitáti glória,
Sermónibus quam víndicans
Martínus et miráculis,
Adéptus est in præmium.
Amen.

℣. In justítia apparébo conspéctui tuo Dómine. ℟. Satiábor cum apparúerit glória tua.

Ad Bened. Ant. O beátum virum, cujus ánima Pa-

34

radisum póssidet : unde exsúltant Angeli, lætántur Archángeli, chorus Sanctórum proclámat, turba Vírginum invítat : mane nobiscum in ætérnum.

ORATIO

Deus, qui in beáto Martíno Pontífice, sive per vitam, sive per mortem magnificátus es : innova éadem grátiæ tuæ mirácula in córdibus nostris; ut neque mors, neque vita separáre nos possit a caritáte Dómini nostri Jesu Christi : Qui tecum vivit.

AD TERTIAM

Ant. Dómine.

Capit. ut supra in Laud.

℟. *br.* Fílii hóminum, * Usquequo gravi corde? Fílii. ℣. Scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum. Usquequo. Glória Patri. Fílii.

℣. Exáudiet illum de cælo sancto suo. ℟. In potentátibus salus déxteræ ejus.

AD SEXTAM

Ant. O virum ineffábilem.

CAPITULUM. *I. Cor.* 2.

Nos non spíritum hujus mundi accépimus, sed spíritum qui ex Deo est, ut sciámus quæ a Deo donáta sunt nobis : quæ et lóquimur non in doctis humánæ sapiéntiæ verbis, sed in doctrína Spíritus.

℟. *br.* Exáudiet illum * De cælo sancto suo. Exáudiet. ℣. In potentátibus salus déxteræ ejus. De cælo. Glória Patri. Exáudiet.

℣. Veníte fílii, audíte me. ℟. Timórem Dómini docébo vos.

AD NONAM

Ant. Martínus Abrahæ sinu.

CAPITULUM. *II. Cor.* 12.

Pláceo mihi in infirmitátibus meis, in contuméliis, in necessitátibus, in persecutiónibus, in angústiis pro Christo : cum enim infírmor, tunc potens sum.

℟. *br.* Veníte fílii, * Audíte me. Veníte. ℣. Timórem Dómini docébo vos. Audíte. Glória Patri. Veníte.

℣. In justítia apparébo conspéctui tuo Dómine. ℟. Satiábor cum apparúerit glória tua.

IN II. VESPERIS

Ant., Capit. et Hymn. de Laud. Pss. de Dom.; sed loco ult., Ps. Meménto.

℣. In justítia apparébo conspéctui tuo Dómine. ℟. Satiábor cum apparúerit glória tua.

Ad Magnif. Ant. O beátum Pontíficem, qui totis viscéribus diligébat Christum Regem, et non formidábat impérii principátum! O sanctíssima ánima, quam etsi gládius persecutóris non ábstulit, palmam tamen martýrii non amísit!

Et fit Commem. seq. S. Martini Papæ et Mart. Ant. Iste sanctus. ℣. Glória et

honóre. *Oratio* Deus, qui nos. *in Brev.*

In Festis occurrentibus infra Oct. sancti Martini, fit Commem. Oct. in utrisque Vesp. et Laud.

AD VESPERAS

Ant. O beátum Pontíficem. ℣. In justítia.

AD LAUDES

Ant. O beátum virum. ℣. In justítia. *Oratio ut supra.*

DIE XIII

SANCTI DUMINII CONF. NON PONT.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont., præter seq.

Pridie, Vesp. de S. Duminio Conf. Orat. Adésto.

Fit Commem. præced. S. Martini Mart. Ant. Qui vult. ℣. Justus.

Deinde Commem. Oct.; et tandem S. Brictii Episc. et Conf. Ant. Sacérdos. ℣. Justum.

ORATIO

ADJUVA nos Dómine, beáti Bríctii Confessóris tui atque Pontíficis patrocínio confidéntes : ut, ipso intercedénte et te miseránte, cæléstium gaudiórum consórtes fieri mereámur. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

DUMÍNIUS aut Domínius, in pago Lemovicénsi, seu forsan Cadurcénsi, clara sed idololátra oriúndus família, júnior, Clodovǽo primo regnánte, a patre excitátus milítiam proféssus est. Convérsus ad Christum, post patris óbitum, natále solum repétiit, tum ut baptísmi grátiam facílius serváret, tum ut solátium præbéret matri, in quam tanta pietáte quanta in omnes mansuetúdine emícuit. Iis in tempestátibus, hinc irruéntes Wisígothi, illinc íncolæ pagáni, iráti quod ubíque Clodovǽus fana simulacrórum diruénda curáret, Christiános frequéntibus prǽliis lacessébant. Quos semper Dumínius, adjútor opportúnus et fortíssimus dux, profligávit.

℟. Honéstum.

LECTIO V

DUM præliarétur Dumínius, in castro præmuníto matrem suam relíquerat; sed proditióne custódis apértum castrum ingrediúntur hostes, in obsidiónem matrem viri sancti abdúcunt; brevíque eam, liberatúro fílio appropinquánte, horréndo supplício interfíciunt. Dúplici pércitus dolóre, et quia matrem summópere diligébat, et quia verebátur ne quadam imprudéntia ipse diræ necis ejus reus fuísset, sacras peregrinatiónes aggréditur. Romam venit : quóniam vero tunc vacábat sacro-

347

sáncta sedes, Jerúsalem statim pétiit, ubi loca sancta pie venerátus est. Hinc in Arábiam pergens, ad montem Sina pium eremitam ádiit, a quo solátium, et ad vitam eremíticam in ipsa sui ortus regióne ducéndam exhortatiónes et præcépta simul ac sancti Séphani relíquias accépit.

℟. Amávit.

LECTIO VI

ROMAM iterum devéniens, Felíci Papæ quarto, ut ferunt, secrétum consciéntiæ animíque angórem apéruit: a quo consolátus et in propósito confirmátus, secum relíquias Protomártyris adspórtans, in pátriam regréssus est. Ibi morem eremíticum secútus est, exstructáque Bragúsii, prope Giméllum et infra, ad rívulum inter rupes aspérrimas profluéntem, ecclésia, quam beátæ Maríæ beatóque Stéphano dedicávit, vitam in Christo abscónditam egit; et méritis refértus, tandem beátum finem obtinuit. Hunc ánimam exhalavísse décima tértia die Novémbris intra ecclésiam sancti Stéphani, ubi sacrum ejus corpus quiéscit, pérhibet tradítio. Diu áutem caput illíus venerándum in argéntea capsa Gimélli servátum est, et étiam nunc servátur pretiósum et perantíquum scrínium.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Nolíte timére. *de Comm.* 2° *loco.*

Pro S. Bríctio.

LECTIO IX

BRÍCTIUS, civis Turónicus, adoléscens beáto Martíno in disciplínam tráditus est, atque ab ipso christiána pietáte imbútus. Diáconus creátus, juveníli quadam levitáte sui dissímilis, móribus quidem integer, a luxu vero fastúque haud aliénus, monéntem et corripiéntem epíscopum suum irridébat. Ubi vero conquiévit ánimi ímpetus concitátior, ipse ad pedes hóminis Dei prócidit, effúse lácrymans, veniámque flágitans, quam statim impetrávit. Tandem omníno in se revérsus, post óbitum sancti Martíni, anno Arcádii et Honórii imperatórum secúndo, Bríctius, eligénte clero et pópulo Turonénsi, epíscopus consecrátus est. Exinde oratióni et ministério verbi instans, vigilánter, pénitus obliteráta prióris aberratiónis memória, pastorále munus pro dignitáte sustínuit, et quidquid in sanctum Martínum delíquerat, non intermíssis oratiónibus ac flétibus díluit. Demum quadragésimo séptimo procellósi episcopátus anno, ánimam Deo réddidit. In ea sepúltus est ecclésia quam super sancti Martíni túmulum exstrúxe-

rat, ad quam beátus Perpétuus in memóriam sancti Bríctii vigílias instituit.

In Laud. Commem. Oct. et S. Brictii Episc. et Conf. Ant. Euge serve. *e Laud.* ℣. Amávit. *e I. Vesp. Orat. ut supra.*

Vesp. a Capit. de seq., cum Commem. præced. et Oct.

DIE XIV

S. STANISLAI KOSTKÆ CONFESSORIS

Duplex.

(*Dies fixa ex heri.*)

Ut in Supplem. die 13.

DIE XVI

SANCTI DIDACI CONFESSORIS

Semiduplex.

(*Dies fixa ex* 13 *hujus.*)

Omnia ut notantur in Brev., die 13 *hujus, præter seq.* (m. t. v.)

Pridie, in Vesp. S. Gertrudis Virg., fit Commem. S. Didaci. Ant. Similábo. ℣. Amávit. *Oratio propria in Brev.*

Deinde, Commem. Oct., quæ fiet etiam in Laud.

Vesp. a Capit. de seq. S. Gregorio Thaumaturgo Episc. et Conf., cum Commem. S. Didaci Conf., et Oct.

DIE XVIII

IN DIE OCTAVA S. MARTINI EPISCOPI CONFESSORIS DIŒCESIS TUTEL. PATRONI

Duplex.

Omnia ut in die Festi, præter seq.

ORATIO

CONCÉDE, quæsumus omnípotens Deus, ut beáti Martíni Pontíficis frequentáta solémnitas ad perpétuam pópulo tuo profíciat salútem : et quem sæpius venerámur in terris, semper habeámus patrónum in cælis. Per Dóminum.

Commemor. S. Gregorii Thaumaturgi. Ant. Amávit. ℣. Justum. *Orat. in Breviar.*

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

MARTÍNUS óbitum suum longe ante præscívit, dixítque frátribus dissolutiónem sui córporis imminére. Intérea cáusa éxstitit, qua Condaténsem diœcésim visitáret. Nam cléricis inter se ecclésiæ illíus discordántibus, pacem cúpiens reformáre, licet finem diérum suórum non ignoráret, profícisci tamen istíus modi ob cáusam non recusávit : bonam hanc virtútum suórum consummatiónem existímans, si pacem ecclésiæ rédditam reliquísset. Aliquámdiu ergo in vico illo, vel in ecclésia ad quam íerat commorátus, pace inter cléricos restitúta, cum jam régredi ad monastérium cogitáret, víribus córporis cœpit repénte destitui : convocatísque discípulis, índicat se jam resólvi. Tum vero mœror et luctus

ómnium, vox una plangéntium : Cur nos Pater déseris, aut cui nos desolátos relínquis? Invádent enim gregem tuum lupi rapáces. Tunc ille motus his flétibus, conversúsque ad Dóminum, hac tantum fléntibus voce respóndit : Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem, fiat volúntas tua.

℟. Oculis.

LECTIO V

ITAQUE cum jam per áliquot dies vi fébrium tenerétur, non tamen a Dei ópere cessábat; pernox in oratiónibus et vigíliis, fatiscéntes artus servíre spirítui cogébat, nóbili illo stratu suo, in cínere et cilício récubans. Et cum a discípulis rogarétur, ut saltem vília sibi síneret straménta suppóni : Non decet, inquit, fílii, Christiánum nisi in cínere mori. Ego si áliud vobis exémplum relínquo, ipse peccávi. Oculis igitur ac mánibus in cælum semper inténtus, invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat. Et cum a presbýteris qui tunc ad eum conflúxerant rogarétur, ut corpúsculum láteris mutatióne reveláret : Sínite me, inquit, sínite me, fratres, cælum pótius respícere quam terram, ut suo jam itínere itúrus ad Dóminum spíritus dirigátur. Hæc locútus, diábolum vidit prope assístere : Quid, inquit, adstas, cruénta béstia? Nihil in me, funéste, repéries : Abrahæ me sinus recípiet. Cum hac ergo voce, flagrántem divínis opéribus spíritum cælo réddidit.

℟. Beátus.

LECTIO VI

JAM vero in obséquium fúneris, credi non potest quanta hóminum multitúdo convénerit. Tota cívitas óbviam córpori ruit; cuncti ex agris atque vicis, multíque ex vicínis úrbibus affluxérunt. O quantus luctus ómnium! Quanta præcípue mœréntium laménta monachórum, qui eo fere ad duo míllia convenísse dicúntur : speciális Martíni glória, cujus exémplo in Dómini servitútem stirpes tantæ fructificavérunt. Agébat nimírum ante se Pastor exstínctus greges suos, sanctæ illíus multitúdinis pállidas turbas, ágmina palliáta, aut emeritórum labórum senes, aut jurátos Christi in sacraménta tirónes. Tum vírginum chorus, fletu ábstinens præ pudóre, cum lætándum pótius illi esse sentíret, quem jam suo Dóminus grémio confovéret. Hæc ígitur beáti viri corpus, usque ad locum sepúlcri, hymnis canóra cæléstibus turba proséquitur.

℟. Dixérunt.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 2.

In illo témpore : Dixit Jesus turbis : Nemo lucérnam accéndit, et in abscóndito ponit, neque sub módio, sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 7. Comment. in Luc. cap. 2. post init.

Quia in superióribus ecclésiam Synagógæ prætulit, hortátur nos ut fidem pótius nostram ad Ecclésiam transferámus. Lucérna enim fides est, juxta quod scriptum est : Lucérna pédibus meis verbum tuum, Dómine. Verbum enim Dei fides nostra est : Verbum Dei lux est. Lucérna est fides. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. Lucérna áutem lucére non potest nisi aliúnde lumen accéperit.

LECTIO VIII

Hæc est lucérna quæ accénditur, virtus scílicet nostræ mentis et sensus, ut drachma illa possit, quæ períerat, reperíri. Nemo ergo fidem sub lege constítuat. Lex enim intra mensúram est, ultra mensúram grátia : lex obúmbrat; grátia claríficat. Et ídeo nemo fidem suam intra mensúram legis inclúdat, sed ad Ecclésiam cónferat, in qua septifórmis Spíritus relúcet grátia, quam princeps ille sacerdótum fulgóre supérnæ divinitátis illúminat, ne eam legis umbra restínguat.

LECTIO IX

Dénique lucérna illa, quam matutínis vespertinísque tempóribus, ritu vétere Judæórum princeps sacerdótum solébat accéndere, velut sub módio sita legis evánuit : et cívitas illa Jerúsalem, quæ in terris est, quæ occídit prophétas, quasi in conválle fletus pósita, delitéscit : illa áutem Jerúsalem quæ in cælo est, in qua mílitat fides nostra, in illo altíssimo ómnium locáta monte, hoc est Christo, non potest ténebris et ruínis hujus mundi abscóndi, sed fulgens candóre Solis ætérni, luce nos grátiæ spiritális illúminat.

Vesp. a Capit. de seq. S. Elisabeth Vidua, cum Commem. præced., et S. Pontiani Papæ et Mart., in Breviar.

DIE XXI

COMMEMORATIO

SANCTI LIBERALIS

EPISC. ET CONF.

Pridie, in Vesp. Ant. Sacérdos. ℣. Amávit. *Orat.* Exáudi. *de Communi Conf. non Pont.*

Pro S. Liberali.

LECTIO IX

BRIVA Currétia, quod est óppidum inferióris Lemovicini tractus, ortum sancto Liberáli dedisse dícitur. Ipse divinárum litterárum apprime gnarus, adhuc puer coætáneos christiána disciplina devóte imbuébat. Póstea vero, quamvis prædiléctus paréntibus quibus sciéntia et morum honestáte multum inserviébat, domum relíquit, procúlque vivéndi cúpidus ad ignótas regiónes proféctus est. Aliquámdiu stetisse apud Meldas, et ob doctrinæ suæ excelléntiam epíscopum hujus sedis creátum fuisse quidam mémorant. Ebrodúnum quondam áttigit Liberális, et próxima Saracenórum clade Ebrodunénsibus præsule suo orbátis, póntifex assúmptus est. Ecclésiam pauperésque bonis recreávit, et inter hujus ætátis máxime egrégios divini verbi præcónes annumerári méruit. In pátriam tamen aliquánto post témpore migrávit, ab iisdem infidélibus expúlsus, Brivǽque, ubi páuper et ignótus aliquámdiu delitúerat, ad meliórem vitam translátus, locum córpori sortitus est in ecclésia natális vículi quem Salvázeum vocant, ubi colebátur undécimo Kaléndas Decémbris. Circa annum a Christo nongentésimum vigésimum óbiit beátus póntifex, et sui eum concives agnovérunt, et mórtuum solémni fúnere coluérunt. Gloriósum ejus sepúlcrum appáruit, imprimis cum sæviénte incéndio totam fere urbem pervasúro, ad illud congregáti pópulus et clerus, ut a sancto Liberáli súpplices opem expóscerent, súbito rogus qui jam subúrbium cremáverat magna ex parte, lóngius ab ipsius ecclésia defécit. Cujus mémores benefícii Brivénses, ecclésiam in ipsórum óppido, beáto Liberáli dicátam ornárunt, ad eámque quotánnis die vigésima prima Novémbris votiva solemnitáte confluxérunt. Ædem exspoliávit, et sacras reliquias dispérsit impia tempéstas quæ, sǽculo décimo octávo labénte, Gállias concússit. Memória Sancti non périit, et cultus ipsi débitus pie persolvétur favénte Summo Pontifice Pio nono.

Ad Laud., pro S. Liberalis Commem. Ant. Euge serve. ℣. Justum. *Oratio ut supra.*

DIE XXVI

SANCTI SILVESTRI ABBATIS

Duplex.

Omnia ut in Breviario, præter seq.

Pridie, in Vesp. S. Catha-

rinæ, a Capit. de S. Silvestro, cum Commem. præced., et S. Petri Episc. et Mart., in Breviar.

Deinde Commem. S. Justi Conf. Ant. Euge. ℣. Justum. *e Laudibus.*

ORATIO

Omnípotens sempitérne Deus, qui virtútum méritis et signórum præcóniis beátum Justum Confessórem tuum decorásti : concéde nobis, quæsumus; ut, qui ejus solémnia celebrámus, ipsius patrocíniis ad vitam perveniámus ætérnam. Per Dóminum nostrum.

In III. Noct. Lect. IX. *de S. Petro Mart., in Breviar.*

Ad Laud. Commem. S. Petri Mart. Ant. Qui odit. ℣. Justus. *et S. Justi Conf. Ant.* Similábo. ℣. Amávit. *Orat. ut supra.*

Vesp. a Capit. de seq. S. Odone Abbat., cum Commem. præced.

DIE XXVII

SANCTI ODONIS

ABBATIS TUTELENSIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter seq. (m. t. v.)

Pridie Vesp. a Capit. de S. Odone; Commem. præced.

ORATIO

Deus, qui beátum Odónem Abbátem caritátis tuæ igne succénsum, in Ecclésia tua lucére simul et ardére fecisti : ejus intercessióne concéde; eódem nos caritátis spíritu fervéntes, coram te semper ut filios lucis ambuláre. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

Odo, Abbónis, nóbilis Franci filius, cum Turonénsis Ecclésiæ esset canónicus, illud Apóstoli apud se répetens : Si quis ignórat, ignorábitur, litterárum sciéntiam viro ecclesiástico dignam cum pietáte conjúnxit. Adhuc adoléscens suis facultátibus in páuperes distribútis, primo in solitúdine per triénnium vitam solitáriam, deínde monásticam in Gignacénsi monastério, sério egit; quo témpore frater quidam illic móriens exclamárat pro Christi tribunáli sibi a dæmone objéctas micas, quas in fine mensæ comédere neglexísset. Hujus memor Odo, micas sédulo colléctas ipse lectióni inténtus, cum semel in mensa comédere juxta régulam oblítus, post mensam non audéret, delicti véniam deprecatúrus abbáti supplex, eas in tot margarítas divínitus convérsas stupens osténdit, quas abbas vesti sacræ intéxi curávit.

℟. Honéstum.

LECTIO V

Sacerdótio initiátus, in locum defúncti Aimónis abbátis Tuteléensis primum sufficitur : deínde Cluniacénsis abbas institútus est; ubi thesáuros in régulæ observatióne laténtes mónachis explicávit; nullúmque illius ápicem prudénti inconsúltum, proficiénti inútilem, credénti difficilem, pœniténti ásperum esse, suo et multórum exémplo dócuit. Solitúdini, puritáti, et devotióni suórum in Dei láudibus noctúrnis diurnísque, oratióni ac cǽteris pietátis exercitatiónibus, et siléntio præcipue cavit; ita ut verbórum vice, signis necessária loqueréntur. His accéssit apparitio crebra sanctórum Martíni Turonénsis et Benedicti, e quorum exémplo et patrocínio únice pendébat, qui Odónem et illi obsequéntes favóribus, negligéntes vindicta, cǽlitus prosequebántur.

℟. Amávit.

LECTIO VI

Páuperes solébat cæli janitóres appelláre, eorúmque inópiæ, honestiórum étiam verecúndiæ consúlere; morbo vel sénio débiles in itinere óbvios equum suum ascéndere cogébat; quos ipse psallens pédibus comitabátur. Quam humanitátem cum in Alpibus Cóttiis præstáret, múlier ad primum cellæ ipsius tactum dæmónio quo tenebátur liberáta est. Cum áutem in príncipum dissidiis componéndis, pace ecclésiis restituénda, monastériis reformándis consenuísset, Romæ ex febre moribúndus, mortis indúcias impetrávit, donec Túrones revérsus, sancti Martini solemnitátem celebrásset. Tunc febre iterum corréptus et sanctis Ecclésiæ sacraméntis munitus, inter suas fratrúmque preces ánimam Deo réddidit, décimo quinto Kaléndas Decémbris, círciter annum nongentésimum quadragésimum.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia. *de Comm. pro Abbatibus.*

DIE XXVIII

SANCTI JOSAPHAT

EPISC. ET MART.

Duplex.

(*Dies fixa e* 14 *hujus.*)

Omnia ut in Breviario, die 14, *exceptis seq.*

Pridie, Vesp. de S. Odone, a Capit. de S. Josaphat. Commem. S. Odonis.

In II. Vesp. Commem. S. Saturnini Mart. Ant. et ℣. *e I Vesp. unius Mart. Orat. ut infra et alterius S. Saturnini Mart. Ant.* Qui odit. ℣. Posuisti. *e Tertia. Orat.* Deus, qui nos. *ut in Brev.*

DIE XXIX
SANCTI SATURNINI
EPISC. ET MART.
Semiduplex ad libitum.
Omnia de Communi unius Mart., prœter seq.

ORATIO

Deus, qui per beátum Saturnínum Mártyrem tuum atque Pontíficem, infidéles pópulos de ténebris ad lucem veritátis veníre tribuísti : da nobis, ejus intercessióne, in fide stábiles, ac in spe Evangélii, quod prædicávit, immóbiles permanére. Per Dñm.

IN I. NOCTURNO
Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO
LECTIO IV

Saturnínus a Románo Pontífice missus in Gállias, et Tolósæ Póntifex constitútus, multos ab idólis ad Christum convértit : dæmónibus qui illic colebántur ádeo terríbilis, ut frustra sacrifíciis evocáti, orácula réddere cessáverint. Tam inexspectáto siléntio commóti gentíles, ímpetu facto, Saturnínum, in Capitólium urbis traxérunt, comminati duríssimam mortem, nisi more pátrio diis sacra fáceret.

℟. Honéstum.

LECTIO V

Quod cum renuísset, pedes ejus táuro alligárunt : qui sanctum præsulem per declíves gradus Capitólii raptátum, colliso cápite, excússo cerébro, membrísque discérptis, interémit. Exánime beáti Mártyris corpus tam diu a táuro distráctum est, quoad, rupto fune, accéptum, et lígneo immíssum ferétro, mulíeres duæ in alta scrobe condidérunt.

℟. Desidérium.

LECTIO VI

Invéntum est póstea ab Hilário Tolosáno, qui, effóssa circum humo sacras véritus relíquias commovére, túmulum superimpósuit : et oratórium exstrúxit, quod a Sýlvio amplificátum, posteáque ab Exupério sub sancti Mártyris nómine consecrátum, veneránda hujus pígnora honorificéntius recóndidit. Celébrior exínde habéri cœpit cultus sancti Saturníni, dispertítis per Gállias ejúsdem relíquiis, de quibus sanctus Gregórius Turonénsis multa refert mirácula; quarum étiam partem íntulit in oratórium domus episcopális a se dedicátum. Per diœcésim Tutelénsem plures sunt parochiáles ecclésiæ sub ejus invocatióne Deo dicátæ.

℟. Stola.

IN III. NOCTURNO
Homil. in Evang. Si quis venit ad me. *de Communi unius Mart.*

Lect. IX. *de Vigil. S. Andreœ.*

In Laud. Commem. Vigil. et alterius S. Saturnini Mart. Ant. Iste sanctus. ℣. Glória et honóre. (*e I. Vesp. de Comm. unius Mart.*) *Oratio.* Deus, qui nos.

Vesp. de S. Andrea, sine Commem. S. Saturnini.

FESTA DECEMBRIS

DIE I

SANCTI ELIGII

EPISCOPI ET CONFESSORIS

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter seq. (m. t. v.)

Pridie, ad Vesp. S. Andreæ Apost., Commem. S. Eligii Pont., Ant. Sacérdos. ℣. Amávit.

ORATIO

TRÍBUE nobis, quǽsumus Dómine, singulárem sancti Eligii Confessóris tui atque Pontíficis caritátem imitári : ut illíus mérita in spíritu et veritáte celebrémus. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO

LECTIO IV

ELÍGIUS in vico Catalacénsi parum dissito ab urbe Lemóvica, natus est paréntibus Euchério et Terrígia, qui eum, ob singulárem qua pollébat indústriam, Abbóni aurifábro Lemóvicis instruéndum tradidérunt. A quo óptime edóctus, relicta pátria, Parísios se cóntulit, ubi perítiæ suæ fama Clotário secúndo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit coram sacerdóte, et exinde in ópera pietátis omni stúdio incúbuit. Nam, étiam cum artem exercébat, subinde in sacros códices óculos intendébat; ita ut mens Deo vacáret, dum manus úsibus serviébant humánis. Quidquid arte sua comparábat, id totum fovéndis egénis et captívis, rerum étiam sibi necessariárum dispéndio, rediméndis erogábat. Hinc tantus ad eum páuperum concúrsus, ut quæerénti domum Eligii dicerétur : Ubi cœtum páuperum conspexéris, illic et Eligium repéries.

℟. Invéni.

LECTIO V

INTRA domum áutem vacábat oratióni cum familiáribus, qui diu noctúque in ejus cámera canónicum cursum solémniter adimplébant. Non minus accéptus Dagobérto quam Clotário patri, et ab eo ad Aremoricórum regem pacis componéndæ cáusa missus, reges ambos felici fœdere sociávit. Vária ejus hor-

tátu exstrúcta sunt templa et monastéria. Solemniacénse in Lemovícibus cœnóbium cóndidit. Parísiis ædificávit monastérium vírginum. Instaurávit ibídem basílicam sancti Martiális, in quam cum sancti Aquitániæ Apóstoli relíquiæ deportaréntur, procederéntque juxta cárcerem, ex Elígii consílio, psalléntium chori, óstia obseráta vinctis cǽlitus patuérunt. Plúrima divérsis tempóribus, áuro, argénto, gemmísque ornávit sepúlcra sanctórum. De Ecclésiæ disciplína sollícitus, simoníacam labem, quæ altas in Gállia radíces égerat, exstirpávit.

℟. Pósui.

LECTIO VI

TANDEM ad Noviomén-sem episcopátum assúmptus, non modo salúti gregis sibi commíssi invigilávit, sed et Flandros et Frísios, aliósque ad septentriónem pópulos, non sine magno labóre ac vitæ discrímine, ad Christum addúxit. Sedit in concílio Cabilonénsi sub Clodovéo secúndo. Multa præcláre scripsit, ejécit dǽmones, futúra divínitus prædíxit, aliísque miráculis illústris óbiit septuagenárius, desinénte die última Novémbris, anno sexcentésimo quinquagésimo nono, hora prima noctis, et Noviómi sepúltus est. Ejus funus sancta regína Bathíldis cum líberis prosecúta est. Váriæ, divérsis tempóribus, in monastérium Solemniacénse prope Lemóvicas, e Novioménsi Ecclésia sancti Pontíficis translátæ sunt relíquiæ.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Vigiláte. *de Comm.* 2° *loco.*

In II. Vesp. Commem. seq.

TUTELEN.

De Romana Liturgia in suam Diœcesim revocanda apprime sollicitus Reverendissimus Dominus Joannes Baptista Leonardus BERTEAUD Episcopus Tutelensis, sui muneris esse duxit Proprium Officiorum in usum Cleri Diœcesis ipsius conficere, in quo pristinam honorificam sedem pergerent retinere Cælites illi, qui cum eas regiones virtutum splendore illustrassent, a vetustis sæculis singulari cultu ibidem honorari consueverunt, e probatis legitimisque fontibus desumptis Lectionibus et Orationibus propriis. Gnarus vero Episcopus orator supremo Sanctæ Sedis Apostolicæ judicio reservari quidquid sacram respicit liturgiam, exemplar manuscriptum hujus Proprii cum suo Supplemento exhibuit Sanctissimo Domino nostro Pio Papa IX. supplicibus additis votis, ut illud suprema auctoritate sua approbare, Cleroque Tutelensi concedere dignaretur. Examen exhibiti Proprii et hujus Supplementi cum Sanctitas Sua commiserit Sacrorum Rituum Congregationi, hæc probari posse censuit sub modo et forma in eodem exemplari adnotatis. Quam Sacræ Congregationis sententiam, referente subscripto Secretario, cum Sanctissimus idem Dominus ratam habuerit et confirmaverit, Apostolica benignitate indulsit, ut idem Proprium Officiorum sub modo et forma prædictis uti supra adnotatum a Clero Tutelensi perpetuo servetur in Horis canonicis persolvendis, injuncto onere Episcopo oratori, ut, postquam idem Proprium cum suo Kalendario Perpetuo (*) fuerit typis commissum, duplex authenticum exemplar illico ad sacram Rituum Congregationem transmittatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16 Julii 1863.

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinæ Card. PATRIZI
S. R. C. Præfectus.

D. Bartolini *S. R. C. Secretarius.*

(*) Kalendarium Perpetuum speciali probatum est decreto cujus finem referre juvat.

353

PORRO cum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. suprema auctoritate sua Proprium ipsum Officiorum, antea a Sacra Rituum Congregatione accurate examinatum et dispositum, clementer deferens supplicibus votis Episcopi oratoris approbaverit, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, nedum utile verum omnino necessarium vidit pro Clero Tutelensi Kalendarium perpetuum insimul probare juxta præfinitas regulas a Sacra Rituum Congregatione concinnatum, quod juxta supra adnotatum exemplar typis cudi debeat, et editioni Proprii Officiorum præmitti. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16 Julii 1863.

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinæ CARD. PATRIZI
S. R. C. Præfectus.

Loco † sigilli.

D. BARTOLINI *S. R. C. Secretarius.*

INDEX OFFICIORUM

QUÆ IN HOCCE PROPRIO TUTELENSI LEGUNTUR
AUT SALTEM ADNOTANTUR

FESTA MOBILIA

FESTA SANCTORUM

354

26231. — Turonibus, typis Mame.

---

(1) Ce Propre comprend aussi les Offices des diocèses de :

Barcelone (Barcinonen.)
Girone (Gerunden.)
Lérida (Ilerden.)
Solsona (Celsonen.)
Tortose (Dertusen.)
Urgel (Urgellen.)
Vich (Vicen.)